




7a 8-3.

115835790









~~ALICOR.~~ P. Compuso el dñs. D^o de
Monroyo
M A R T I N I
B E C A N I ^{Aitorz.}
~~el Coll. de la Compa de Jesus de Granada~~
S O C I E T A T I S I E S V
T H E O L O G I ,

*O P V S C V L O R V M
THEOLOGICORVM,*

Tomus Secundus. B-9999



L V G D V N I,

Sumpt. ANTONII PILLEHOTTE,
sub signo SS. Trinitatis.

M. D C X X I.

PERMISSV SVPERIORVM.

ପ୍ରକାଶନି

ପ୍ରକାଶନି

ମୁଦ୍ରଣ କାର୍ଯ୍ୟକ୍ରମ ଏବଂ ପ୍ରକାଶନ କାର୍ଯ୍ୟକ୍ରମ

୧୯୯୯ - ୬



ADMODVM
R E V E R E N D O
ET EXIMIO DOMINO
D. STEPHANO VVEBERO
IVNIORI, SS. THEOLOGIAE DOCTORI,
ac D. Virginis Canonico & Scholastico
dignissimo, &c. domino & amico suo plu-
rimùm colendo.

MARTINVS BECANVS.

VI x duo menses sunt, Reuerende
admodum, & Eximie Domine
Scholastice, cùm primum meo-
rum Opusculorum Tomum, Reuerendissi-
mo Domino, D. Stephano VVebero se-
niori, patruo tuo colendissimo, tum pro-
pter singulares viri illius virtutes, tum ob
præclara in nostram Societatem merita,
quæ quotidie fiunt auctiora, lubens in-

* 2 scripsi

DEDICATIO.

scripsi, ac dedicaui. Nunc secundus in lu-
cem prodit. Et hunc, cui alteri potius,
quam tibi, iuniori Stephano VVebero, se-
nioris illius nepoti, & virtutum ipsius
æmulo, inscribendum, ac dedicandum
censeam? Sic enim futurum est, ut ambo
non minus patrocinio, quam argumento
coniuncti & colligati maneant: Ambo in
eadem familia, in eadem domo, sub eo-
dem tecto locum ac clientelam repe-
riant. Quidni? Idem utriusque sensus est.
In utroque, pro Ecclesia Christi, pro Ro-
mano Pontifice, pro antiquorum Patrum
& Conciliorum authoritate, pro sanctissi-
mis Maiorum nostrorum institutis, &, ut
summatim dicam, pro fidei ac religionis
Catholicæ defensione, contra Calvinis-
tas, bellum suscipitur. An æquum sit, ut
qui mente ac proposito tam concordes
sunt, hospitio disiuncti diuellantur? Non
opinor. Viuant igitur pariter, & quasi fra-
terno amoris vinculo sociati, in eodem
apud vos domicilio commorentur. Nec
video quid obstet. Alter sanè à Reueren-
dissimo

D E D I C A T I O.

dissimo tuo patruo benignissimè exceptus est. De altero, quid dubitem? Si te noui, pari humanitate eum complexurus es. Iam pridem in hoc genere eam expertus sum, ut noua intercessione opus non sit. Hoc vnum precor, ut Deus Optimus Maximus, qui vtrumque Stephanum, patruum, ac nepotem, ad illas virtutis, doctrinæ, & dignitatis fastigia prouexit; eosdem saluos & incolumes, ad maiorem nominis sui gloriam, & Ecclesiæ utilitatem, protegere & conseruare dignetur. Amen.

Moguntiæ, Anno Christi 1610. mense Septembri ineunte.

INDEX OPVSCVLORVM
QVÆ IN HOC TOMO
continentur.

- 1 **D**isputatio de Fide Hæreticis seruanda. p. 1.
cum Appendix.
- 2 Questiones Miscellaneæ de eadem materia, contra quendam Batavum Caluinistam. p. 81
- 3 De Antichristo reformato. p. 143
- 4 An Ecclesia Romana defecerit. p. 205
- 5 De triplici Cœna, Caluinistarum, Lutheranorum & Catholicorum. p. 228
- 6 De communione sub utraque specie, contra Hussitas, Lutheranos & Caluinistas. p. 310
- 7 Epistola ad Fridericum Balduinum, de eodem argumento. p. 336
- 8 Refutatio Apologiae Regis Angliae, de Primatu Ecclesiæ. p. 417
- 9 Refutatio Torturæ Torti, seu, In Sacellatum Regis Angliae, quod causam sui Regis negligenter egerit. p. 518
- 10 De Purgatorio Caluinistarum. p. 557
- 11 De triplici Sacrificio, Naturæ, Legis, & Gratia. p. 581

PRAEFATIO AD LECTOREM.

Npriori tomo exposui tibi rationes, Benevolē Lector, quæ me primū ad scribendum, præsertim contra Nouatores, in causa fidei ac religionis impulerunt. Eadem cur in suscep-
to proposito persistam, omnino sufficentes sunt.
Neque hoc loco illas repeto. Hoc vnum nunc accipe.

Errores sectariorum, qui in hoc secundo Tomo refu-
tantur, duo habent, quæ mirum est, coniungi ac sociari
inter se potuisse. Vnum est, quod altissimè in ipsorum
animis ac pectoribus defixi sint. Alterum, quod nullo
subnixi fundamento. Quid enim tam persuasum est
vulgò, quām Catholicos docere, fidem Hæreticis ser-
uandam non esse? Et tamen putidum mendacium est.
Quid tam decātatum in Batauia, Saxonia, Anglia, quām
Papam esse Antichristum? Et mera calumnia est. Quid
tam frequens in pulpitis nouorum Prædicantium, quām
Ecclesiam Romanam à prisca fide ac pietate degenera-
se? Et illi ipsi qui hoc clamant, spuri ac degeneres filij
sunt. Quid tam celebre in popinis rusticorum, quām
Catholicos per summam iniuriam, dimidium Chri-
stum suffurari Laicis communicantibus? Et apud ipsos
nec caro, nec sanguis Christi reperitur in cœna Eucha-
ristica, sed sola externa symbola, quibus contenti esse
debet. Quid tam sacrosanctum in Anglia, quām Regem
esse Primate & Caput Ecclesiæ? Et inanis præsum-
ptio est. Denique apud Lutheranos quid tam solenne,
quām sacrificium Missæ esse abominandam idolola-
triā? Et à solo diabolo hoc didicerunt.

Causa porrò, cui hi vanissimi errores tam facile pe-
netrarint in animos miserorum hominum, in promptu
est. Quid facilius cr̄escit in terra, quām lolium, vepres

PRAEFATIO AD LECTOREM.

& spinæ? quid difficilius, quam herbæ salutares? Rursum, quid matres tam amant, quam suos filios? quid nouercæ tam oderunt, quam alienos? Ita res habet in proposito. Errores facile succrescunt: vera & salutaris doctrina tardius instillatur. Plerique imitantur matres in fouendis erroribus; nouercas in nutrienda veritate. Ecclesiast. 11.16. *Error & tenebrae peccatoribus concreata sunt.* Et Ephes.4.17. *Ambulant in vanitate sensus sui tenebris habentes obscuratum intellectum,* Et 2. Timoth. 4. 4. *A veritate auditum auertunt; ad fabulas autem conuentuntur.*

Sed cur his erroribus, qui hīc refelluntur, adiunctum est Purgatorium Caluinistarum? An fortè & hic error est? Minime. Habent & Caluinistæ suum Purgatorium. Nec refert, nihil haec tenus de eo auditum esse. Latuit: nunc inuentum est. A quo tandem? Noli, quæso, id iam perscrutari. Facile conjecturam capies ex sequentibus. Et hoc certò persuasum tibi habe, non defuturos, qui deinceps curiosius in Caluinistarū latebras & mysteria inquirant. Non secus, quam superiori saeculo in noui Orbis inuentione factū est. Vnus aut alter fuit, qui primū in illam plagā per maria penetrare ausus est; & cùm initū reperisset, multos alios, præsertim Lusitanos, ad plura inuestigāda, suo exēplo excitauit. Ita planè hīc futurum præsagio. Quid si & ipsi Caluinistæ, præsertim qui haec tenus de suo Purgatorio nihil audierunt, partim rei nouitate attoniti, partim lustrandi studio illecti, singulos eius sinus, ambages, ambitum, situm, magnitudinem peruestigare incipient, & quasi de novo Orbe inuenient, serio sibi gratulari: Melius certè in eo operam ponent, quam haec tenus in nostro Purgatorio exagitando posuerunt. Sed hanc curam ipsis relinquimus. Tu interim, Benevolē Lector, æqui, bonique, hunc nostrum laborem consule.

D. AVGVSTINVS DE
Hæreticis.

Ecclæsia Catholica per totum Orbem valide, latèque diffusa, omnibus errantibus vitetur ad profectus suos, & ad eorum correctionem, cùm euigilare voluerint. Vitetur enim Gentibus ad materiam operationis sua: Hæreticis ad probationem doctrine sua: Schismaticis ad documentum stabilitatis sua: Indæis ad comparationem pulchritudinis sua. In libro de vera religione, cap. 6.

Heretici, cùm foris sunt, plurimum prosunt, non verum docendo, quod nesciunt, sed ad verum aperiendum Catholicos excitando. ibidem. cap. 8.

Utamur igitur etiam Hæreticis, non ut eorum approbemus errores, sed ut Catholicam disciplinam aduersus eorum insidias afferentes, vigilantes, & cautores simus, etiam si eos ad salutem reuocare non possumus. Ibidem cap. 8.

I D E M A V G V S T I N V S
De Authoritate Patrum.

Quod credunt, credo: quod tenent, teneo: quod docent, doceo: quod prædicant, prædicto. Iстis cede, & mihi cedes: acquiesce istis, & quiesce a me. Postremo, si mihi per eos amicus fieri non vis, saltem peto, ne per me illorum efficiaris inimicus. Sed quomodo non efficeris, si in isto errore permanseris? Quanto ergo melius, ut his accedas, ab illo recedas? Lib. 1. contra Iulianum, cap. 8.

Certè ipse dixisti, quod omnes Iudices ab odio, amicitia, inimicitia, ira vacuos esse deceat, Pauci tales potuerunt inueniri. Sed Ambrosium, aliosque collegas

August. de Authoritate Patrum.

eius, quos cum illo commemoravi, tales fuisse credendum est. Verum etsi tales non fuerunt in his causis, quas ad se delatas, & inter partes cognitas, cum hic viuerent, suo iudicio definierunt; ad hanc tamen causam tales erant, quando de illa sententias protulerunt: nullas nobiscum, vel vobiscum amicitias vel attenderunt, vel inimicitias exercuerunt. Neque nobis, neque vobis irati sunt: neque vos miserati sunt. Quod inuenierunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperūt, hoc filiis tradiderunt. Non dum vobiscum apud istos Iudices aliquid agebamus: & apud eos est acta causa nostra. Nec nos, nec vos ei noti fueramus, & eorum pro nobis latas contra vos sententias recitamus: nondum vobiscum certabamus, & eis pronunciantibus vicimus. Dicis, me, si sub potestate Iudicium premerer, quales tibi ipsi componis, non habiturum fuisse, quid facerem, quò confugere; cum tuis argumentationibus, vnde occurrerem, reperire non possem? Ego planè haberem, quod facerem; haberem, quò confugerem. A Pelagianis (Caluinisticis) enim tenebris, ad hæc tam clara Catholica lumina prouocarem, quod & nunc iam facio. Tu ergo responde, quid facias, & quò cōfugias. Ego à Pelagianis ad istos; tu ab istis ad quos?

Lib. 2. contra Julianum, prope finem.

Quanto tibi essent isti Iudices optabiliores, si tenes Catholicam fidem; tanto tibi sunt terribiliores, quia oppugnas Catholicam fidem, quam in lacte suxerunt, quam in cibo sumpserunt, cuius lac & cibum paruis magnisque ministraverunt. *Ibidem.*

INDEX

CAPITVM, DISPV TATIONVM, QVÆSTIONVM, CONCL VSIONVM, ARGVMENTORVM, PARADOXORVM, & cæterorum insignium, quæ his secundi tomi opusculis continentur.

	Pusculum primum de fide hereticis seruanda ad lectorem. pag. 1.	Examinatur 1. propositio Caluinista. p.70.
	Disputatio Theologica, An hereticis seruanda sit fides. p.4.	Examinatur 2. propositio. p.71.
	De triplici promissione gratuita, one- rosa, & iurata. cap. I. p.6.	Examinatur 3. propositio. p.72.
	Quid requiratur, ut promissio gra- tuita sit valida. c.2. p.7.	Examinatur 4. propositio. p.76.
	Quid requiratur, ut promissio onerosa sit valida. c.3. p.9.	Examinatur 5. propositio. p.79.
	Quid requiratur ut promissio iurata sit valida. c.4. p.15.	Examinatur 6. propositio. ibid.
	Vnde oriatur obligatio valida pro- missionis. c.5. p.20.	Examinatur 7. propositio. p.80.
	Quanta sit obligatio valida promis- sionis. c.6. p.22.	
	An in promissione valida, & obli- gandi vim habente seruanda sit hereticis fides. c.7. p.32.	
	An seruanda sit fides hereticis in ca- su excommunicationis. c.8. p.39.	
	An in contractu matrimonij seruan- da sit fides hereticis. c.9. p.46.	
	An in negotio libertatis religionis seruanda sit hereticis fides. c.10. p.50.	
	An in bello hereticis seruanda sit fi- des. c.11. p.59.	
	An in salvo conductu seruanda sit hereticis fides. c.12. p.61.	
	Appendix. p.69.	
<hr/>		
OP VSCVL V M SECVN- D V M.		
	Quæstiones Miscellaneæ lectori. p.81.	
	De fide hereticis seruanda contra Batauum Caluinistam, proposicio- nes quæstionum. p.82.	
	Quæstio 1. An Caluinista sint Euhan- gelici. p.83.	
	Quæstio 2. An Caluinista sint hare- tici. p.86.	
	Quæstio 3. An Pontificij sint Catho- lici. p.89.	
	Quæstio 4. An Catholicæ in Concilio Tridentino doceant. Hæreticis non esse seruandam fidem. p.91.	
	Quæstio 5. An Catholicæ in Constan- tieni Concilio doceant. Hæreticis non esse seruandam fidem. p.102.	
	Quæstio 6. An in Concilio Lateran- ensi definitum sit. Hæreticis non esse seruandam fidem. p.111.	
	Quæstio 7. An Pontifices decernant, non esse fidem hæreticis seruan- dam.	

dam. p. 118. de Gregorio IX. p.	Cap. 9. An Papa faciat miracula.
120. de Sixto V. & Gregorio XIV.	p. 189.
p. 123. de Paulo V. p. 129.	Cap. 10. An Papa imprimat suis cha-
Questio 8. An Catholici scribant	racterem. p. 196.
Ep sentiant, non esse hereticis ser-	Cap. 11. An Papa sit blasphemus.
uandam fidem. p. 133.	p. 198.
Questio 9. An Catholici re ipsa non	Cap. 12. An Papa persequatur san-
seruent hereticis fidem. p. 137.	ctos. p. 203.
Epilogus. p. 42.	Cap. 13. An sit articulus fidei, Pa-
	pam esse Antichristum. p. 204.

OPUSCULUM III. DE
ANTICHRISTO RE-
FORMATO p. 143.

- Proponitur thema. p. 143.
1. Vitium Reformatorum Contem-
ptus SS. Patrum. p. 145.
 2. Vitium Reformatorum, prava
Scriptura interpretatio. p. 147.
 3. Vitium Reformatorum, Menda-
cla & Calumniae. p. 155.
 4. Vitium Reformatorum, Mutua
dissensio. p. 159.
 5. Vitium Reformatorum. Dam-
nant suos maiores. p. 162.
 - Speciale examen Antichristi refor-
mati, & ibi proponuntur capita
disputationum. p. 163.
 - Cap. 1. An Antichristus venerit.
p. 163.
 - Cap. 2. An Papa sit Antichristus.
p. 173.
 - Cap. 3. An Papa defecerit à vera
fide. p. 177.
 - Cap. 4. An Papa sedeat in templo
Dei. p. 180.
 - Cap. 5. An Papa ostendat se tan-
quam sit Deus. p. 183.
 - Cap. 6. An Papa extollat se super
omnem Deum. p. 184.
 - Cap. 7. An Papa neget Christum.
p. 186.
 - Cap. 8. An Papa colat idola. p. 187.

OPUSCULUM IV. D E
Ecclesia Romana p. 205.

An Ecclesia Romana defecerit.
p. 205.

1. Conclusio. Concedenda est aliqua
visibilis Ecclesia in terris; qua sit,
& dicatur Catholica, Sancta,
Sponsa Christi, Domus Dei. Co-
lumna & firmamentum verita-
tis. p. 206.
2. Conclusio. In hac visibili & ca-
tholica Ecclesia de qua dictum
est, sunt omnes illi qui in Christi
fidem Baptismo initiantur, non só-
lum boni, sed etiam mali, nee só-
lum prædestinati, sed etiam re-
probi. p. 210.
3. Conclusio. Extra hanc visibilem
& catholicam Ecclesiam nemo
potest saluari, aut remissionem
peccatorum consequi. p. 211.
4. Conclusio. Qui hanc visibilem &
catholicam Ecclesiam deserunt,
desertores sunt Religionis, & træ-
suga, & sacri coniugij violatores.
p. 212.
5. Conclusio. Hac visibilis Christi
Ecclesia, non potest esse sine Pasto-
ribus, Episcopis, doctoribus, aliis-
que ministris legitime vocatis &
ordinatis. p. 213.
6. Conclusio.

6. <i>Conclusio.</i> Hac visibilis Ecclesia tam firmiter à Christo fundata est, ut non possit deficere, aut peri- re.	<i>p. 214.</i>	subnixi sunt.	<i>p. 246.</i>
7. <i>Conclusio.</i> Ecclesia Romana pri- mis quingentis annis post Chri- stum, fuit illa visibilis & catho- lica Ecclesia Christi de qua ha- bentus dictum est.	<i>p. 216.</i>	Cap. 9. Caluinista merito suspecti esse debent.	<i>p. 252.</i>
8. <i>Conclusio.</i> Ecclesia Romana nun- quam hattenus defecit ab eo statu in quo fuit primus quingentis an- nis, ac proinde sicut tunc erat verè catholica, & apostolica, ita etiam nunc est.	<i>p. 217.</i>	De cœna Lutheranorum, seu de transubstantiatione.	<i>p. 253.</i>
<i>Explicatio prioris argumenti.</i> <i>p. 218.</i>		Cap. 1. An Christus fiat præsens in Eucharistia per ubiquitatē.	<i>p. 254.</i>
<i>Explicatio posterioris argumenti.</i> <i>p. 219.</i>		Cap. 2. An Christus fiat præsens in Eucharistia per unionem hyposta- ticam.	<i>p. 260.</i>
Caluinista docent, quod Ecclesia pri- mitiva abhorret.	<i>p. 220.</i>	Cap. 3. An Christus fiat præsens in Eucharistia per simplicem coniun- ctionem.	<i>p. 262.</i>
Primitiva Ecclesia docuit.	<i>p. 224.</i>	Cap. 4. An Christus fiat præsens in Eucharistia per transubstantia- tionem.	<i>p. 264.</i>

O P V S C V L V M V. D E
triplici cœna, Caluinistica, Ca-
tholica, Lutherana. *p. 228.*

De cœna Caluinistica, seu de præ-
sentia Christi in Eucharistia.
p. 229.

Cap. 1 Status questionis de præsentia
Christi in Eucharistia. *p. 229.*

Cap. 2. Caluinista negant præsentia
Christi in Eucharistia. *p. 231.*

Cap. 3. Caluinista seipsoſ ingulant.
p. 233.

Cap. 4. Caluinista non intelligunt
quid dicant. *p. 236.*

Cap. 5. Caluinista Scripturam cor-
rumpunt. *p. 238.*

Cap. 6 Caluinista repugnant Patri-
bus. *p. 240.*

Cap. 7. Caluinista diuinis miraculis
confutantur. *p. 243.*

Cap. 8. Caluinista nullo fundamento

DE C O E N A , S E V P O-	tius Eucharistia Catholicorum.
	<i>p. 268.</i>
Cap. 1. An Christus fiat præsens in Eucharistia.	<i>p. 269.</i>
1. Quæſt. Quid sit præsentia Sacra- mentalismi.	<i>ibid.</i>
2. Quæſt. Quomodo præsentia Sacra- mentalismi differat à naturali, seu quantitatia.	<i>p. 274.</i>
3. Quæſt. An præsentia Sacra- mentalismi dependeat à naturali.	<i>p. 276.</i>
4. Quæſt. An fieri possit, ut corpus sit alicubi præsens indiuisibiliter, & sine extensiōne locali.	<i>p. 278.</i>
5. Quæſt. An fieri possit, ut idem corpus sit præsens in duobus locis.	<i>p. 281.</i>
6. Quæſt. An idem corpus existens in duobus locis habeat utroque eadem formas sive substantiales, sive accidentales.	<i>p. 288.</i>
7. Quæſt. An idem corpus existens in duobus locis, si mutetur in uno, mutetur etiam in altero.	<i>p. 290.</i>
	<i>Cap.</i>

- Cap. 2.** An Christus fiat præsens in Eucharistia per transubstantiationem. p. 296.
- Cap. 3.** Quamdiu Christus maneat præsens in Eucharistia. p. 302.
- Cap. 4.** An totus Christus secundum substantiam sit præsens in Eucharistia. p. 304.
- Cap. 5.** An Christus in Eucharistia possit ac debeat adorari. p. 307.
-

OPVSCVLVM VI. DE COMMVNIONE SVB VTRAQUE SPECIE, PRO DEFENSIONE CATHOLICORUM CONTRA HUSSICAS, LUTHERANOS, & CALVINISTAS, PAG. 310. Lectori ibid. Capita doctrinæ Catholicorum. p. 313.

- Cap. 1.** Aliud est institutio diuina, aliud præceptum diuinum. p. 313.
- 2.** Christus instituit Eucharistiam sub vtraque specie, non tamen præcepit omnibus usum utriusque speciei. p. 316.
- 3.** Christus usum unius speciei, & verbis & facto cōprobauit. p. 318.
- 4.** Tempore Apostolorum usurpata fuit una species. p. 323.
- 5.** Post tempora Apostolorū fuit una species in usu. p. 326.
- 6.** Sub una specie non minùs contineatur totus Christus, quām sub vtraque. p. 340.
- 7.** Ex una specie non minor fructus percipitur, quā ex vtraque. p. 344.
- 8.** Quæ sint causa, cur potius sub una, quām sub vtraque specie Laici communicent. p. 358.
- 9.** Ecclesia legitimè statuit, ut laici cōmunicent sub una specie. p. 360.
- 10.** Soluuntur obiectiones ex Scripturis. p. 363.
- 11.** Soluuntur obiectiones ex Patri-

- bus. p. 372.
- 12.** Soluuntur obiectiones ex ratione. p. 378.
- 13.** Omnino igitur in Catholicorum sententia persistendum est. p. 385.
-

OPVSCVLVM VII. AD FRIDERICUM BALDUINUM THEOLOGUM VITTEMBERGENSEM EPISTOLA, DE COMMUNIONE SUB VTRAQUE SPECIE, PAG. 386.

- Cap. 1.** De Iohanne Hussio. p. 390.
- 2.** De ubiquitate Christi. p. 391.
- 3.** An omnis institutio diuina continet præceptum. p. 394.
- 4.** An debeamus Christum sequi, nō Ecclesiam. p. 396.
- 5.** An benedictio Christi fuerit semper efficax. p. 397.
- 6.** An Paulus in tertio celo audierit verba institutionis Eucharistia. p. 399.
- 7.** An Patres agnouerint Transubstantiationem. p. 402.
- 8.** An ministri debeant tantum porrigerere, non autem sumere Eucharistiam. p. 408.
- 9.** An Christus porrexerit Eucharistiam ante, an post lauationem pedum. p. 409.
- 10.** An hoc Sacramento non tantum anima, sed & corpus reficiatur. p. 412.
- 11.** An abstemij possint sub una specie communicare. p. 414.
- Epilogus.** p. 415.
-

OPVSCVLVM VIII. SERENISSIMI ANGLIAE REGIS APOLOGIA & MONITORIAE PRÆFATIONIS AD IMPERATOREM, REGES, & PRINCIPES REFUTATIO. P. 417. AD EOSDEM BECANUS. IBID. LECTORI. P. 418. QUORUM REFU-

refutatio proposita.	p. 419.	2. De Vicario Dei.	p. 497.
Prima pars refutationis. De primatu Regis Angliae. p. 422.		3. De Henoch, & Helia, an sint in calo.	p. 499.
Cap. 1. An Rex iure naturali habeat Primalatum Ecclesia. p. 424.		4. An Henoch & Helias sint interfecti ab Antichristo. p. 502.	
Cap. 2. An Rex habeat Primalum Ecclesia iure diuino veteris Testamenti. p. 427.		5. De duobus testibus. Apocalyp. II.	
I. Obiectio ex facto Regis Iosaphat. p. 437.		6. De Beata Maria Virgine. p. 510.	
II. Obiectio ex facto Davidis, & aliorum Regum. p. 439.		7. De fundamento fidei. p. 513.	
III. Obiectio ex facto eiusdem Davidis. p. 445.		8. De Concilio generali conuocando. p. 515.	
IV. Obiectio desumpta ex facto Salomonis Regis. p. 447.		Epilogus.	p. 527.
V. Obiectio desumpta ex facto eiusdem Regis Salomonis. p. 450.			
VI. Obiectio ex facto Iosua Regis. p. 454.			
VII. Obiectio ex facto Ezechiae Regis. p. 456.		O P V S C V L V M I X. R E F U T A T I O N I S .	
VIII. Obiectio sumpta ex titulis Regum veteris Testamenti. p. 457.		Torti seu contra Sacellatum Regis Angliae, quod causam sui Regis negligenter egerit. Dedicatio libri. p. 518.	
Conclusio totius capituli. p. 463.		Refutatio torturæ torti. p. 519.	
Cap. 3. An Rex iure diuino noui Testamenti habeat primalatum Ecclesia. p. 464.		Cap. 1. De conuictiis Sacellani. p. 520.	
Obiectiones dilute. p. 469.		2. De paradoxis Sacellani. p. 521.	
4. An Rex iure ciuili vel canonico habeat primalatum Ecclesia. p. 474.		Paradoxum 1. p. 522.	
5. An Rex consensu doctorum hominum habeat primalatum Ecclesia. p. 478.		Paradoxum 2. p. 524.	
6. An Rex titulo prescriptionis habeat primalatum Ecclesia. p. 481.		Paradoxum 3. p. 525.	
7. An Rex ex propria doctrina possit primalatum suum defendere. p. 485.		Paradoxum 4. p. 526.	
8. Quod sit ergo officium Regis circa Ecclesiam. p. 488.		Paradoxum 5. p. 528.	
Secunda pars refutationis. De erroribus & paradoxis Regis Angliae. p. 492.		Paradoxum 6. p. 531.	
Cap. 1. De Vicario Christi. p. 493.		Paradoxum 7. p. 532.	
		Paradoxum 8. p. 533.	
		Paradoxum 9. p. 534.	
		Paradoxum 10. p. 535.	
		Paradoxum 11. p. 537.	
		Paradoxum 12. p. 538.	
		Paradoxum 13. p. 540.	
		Paradoxum 14. p. 541.	
		Paradoxum 15. p. 542.	
		Cap. 3. De primatu Regis male defenso à Sacellano. p. 543.	
		1. Argumentum contra primatum Regis ex Sacellano. ibid.	
		2. Argumentum. p. 545.	
		3. Argumentum. p. 546.	
		4. Argumentum. p. 548.	
		5. Ag.	

5. Argumentum.	p. 549.	faicis.	p. 612.
6. Argumentum.	p. 551.	Cap. 1. De Victimis, immolationibus, & libamentis.	p. 613.
Argumentum Sacellani pro primatu Regis.	p. 552.	2. De holocausto sacrificio pro peccato, & hostia pacifica.	p. 614.
		3. De iugi sacrificio, quod quotidie offerebatur.	p. 618.
O P V S C V L V M X. DE		4. De aliis aliarum solennitatum sacrificiis.	p. 619.
Purgatorio Caluinistarū.	p. 557.	5. De igne quo utabantur sacerdotes in sacrificiis.	p. 624.
Lectori.	ibid.	Liber tertius. De sacrificio in statu gratiae.	p. 627.
De Purgatorio Caluinistarum per 4. capita tractandum.	p. 559.	Cap. 1. De sacrificio Christi cruento in cruce.	p. 630.
Cap. 1. An Caluinista habeant Purgatorium.	p. 559.	2. De sacrificio Christi incremento in Missa.	p. 632.
1. Fundamentum Purgatorij Caluinistici.	p. 561.	3. Quid Propheta de hoc sacrificio predixerint.	p. 633.
2. Fundamentum.	p. 562.	4. Quid Christus de hoc sacrificio predixerit, antequam ab ipso institutum esset.	p. 641.
3. Fundamentum.	p. 563.	5. Quid sentiat Apostolus Paulus de hoc sacrificio.	p. 645.
4. Ibidem.		6. Quid sentiant antiqui Patres de hoc sacrificio.	p. 649.
Adstruktur Purgatorium Caluinisticum.	p. 564.	7. Quid sentiant Christiani hoc tempore.	p. 651.
Cap. 2. Vbi sit Purgatorium Caluinistarum.	p. 568.	Argumenta Nouatorum.	p. 654.
3. Quomodo differat Purgatorium Caluinistarum à nostro.	p. 575.	8. In quo consistat essentia huius sacrificij.	p. 660.
4. Quid agant Caluinista in suo Purgatorio.	p. 577.	9. An sacrificium Missæ essentialiter differat ab omnibus aliis sacrificiis.	p. 670.
O P V S C V L V M XI. D E		10. An sacrificium Missæ essentialiter differat à Sacramento Eucharistia.	p. 673.
triplici sacrificio, naturæ, legis, gratiae, libelli tres.	p. 581.	11. Quis sit principalis offerens in sacrificio Missæ.	p. 675.
Liber primus. De Sacrificiis legis naturæ.	p. 583.	12. Quem valorem & effectum habeat sacrificium Missæ.	p. 682.
Cap. 1. De sacrificio Abel & Cain.	p. 583.	13. An valor & effectus huius sacrificij sit infinitus.	p. 689.
2. De sacrificio Noë.	p. 586.	D E	
3. De sacrificio Abrahe.	p. 589.		
4. De sacrificio Melchisedech.	p. 593.		
5. De sacrificio Isaac & Iacob.	pag. 601.		
6. De sacrificio Iob.	p. 602.		
7. De agno Paschali.	p. 604.		
8. An in supradictis sacrificiis opus fuerit Sacerdote.	p. 611.		
Liber secundus. De sacrificiis Mo-			

DE FIDE HÆRETICIS
SERVANDA.

CVM APPENDICE IN
librum, cui Titulus ; Fœderatorum in-
ferioris Germaniae pacis Defensio
tertia contra calumniam pacis
perturbatae, &c.

OPUSCULVM I.

LECTORI.

DE fide seruanda duplex est error ; Alter Politicorum nostri temporis , qui generatim sentiunt , & fidem & iuramentum violari posse , quando vtilitas aliqua id exigit . Contra hos agunt Petrus Ribadeniera libr. 2. De Principe Christiano cap. 15. & Iustus Lipsius libro secundo Politicorum cap. 14. qui inter cætera sic habet ?

Et ubi isti Doctores noui?

*Queis nec ara , nec fides , nec vlla firma pa-
ctio est.*

*Qui aures Principum venenant , & suadent ,
Ut omnia recta & honesta negligant , dum-
modo potentiam consequantur.*

Opusc. Tom. I L.

BIBLIOTeca A.
UNIVERSITARIA

Qui

Qui intermortuum illud recoquunt.

— ius regnandi gratia

Violandum est. Aliis rebus pietatem colas.

Heu vani, falsi. Nam fides nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corruptitur præmio.

— Fulgentibus Ostro

Hæc potior regnis.

Fraudes & captiunculas miscent: scio. Et Perfidos nunquam causa deficiet, cur pacto non stent:

Semperque aliquam fraudi speciem iuris imponent.

Sed audiant generosum Brasidam. Iis, qui in dignitate sunt, turpius, fraude honesta circumuenire aut lædere, quam vi aperta.

Nam quod nonnulli sibi sumunt, nullam esse fidem, quæ infideli data sit:

Errant, & querunt latebram periurio.

Nam fides etiam perfidis præstanda est:

Et iam inter arma. Et

— optimus ille.

Militiae, cui postremum est, primumque tueri

Inter bella fidem.

Apagite igitur istos, ô mei Reges:

— neu rumpite foedera pacis,

Nec regnis postferte fidem.


Hæc cogitate. Non peierare, timentes & diuinam vltionem, & humanam infamiam.

Nam profecto.

— Et si quis primo periuria celat :

Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Hæc Lipsius in Politicos. Alter error est eorum, qui tametsi aliis omnibus, non tamen hæreticis seruandam esse fidem existimant. Quos copiosè refutauit Ioannes Molanus Doctor & Professor Louaniensis, in tribus libellis, quos inscripsit, *De fide hæreticis seruanda*. Verum, quia libelli isti, vel omnino distraicti sunt ante aliquot annos, vel à paucis habentur & leguntur ; visum fuit operæ pretium, de eadem re Disputationem instituere ; & more scholastico, ex certis & legitimis fundamentis, totam controuersiam clarè & perspicuè definire. Vale Lector, & boni consule.



DISPUTATIO THEOLOGICA.

An Hæreticis seruanda sit fides?

1. **F**ides, ut notauit D. Thomas in 3. d. 24. sumitur variis modis. Primò, pro fide catholica, qua credimus vera esse, quæ à Deo reuelata sunt. Heb. 11. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Secundò, pro fide seu credulitate humana, Terent. in Andria, 3. 4. 7. *Propemodum habeo iam tibi fidem.* Tertiò, pro bona vel mala conscientia, quo sensu dicunt Iureconsulti, *Possessorem bone fidei prescribere non male.* Quartò, pro fidelitate in seruandis promissis & conuentis. 1. Machab. 10. 27. *Perseruerate adhuc conseruare ad nos fidem.* De hac sola hic agimus.

2. Hæc fides, si etymologiam spectes, dicitur à *fio*, & *dico*, quasi per eam fiat, quod dictum est, teste Cicerone libro primo Officiorum. Quem secutus Augustinus epist. 19. ad Hieronymum ait; *Fides in Latino sermone ab eo dicitur appellata, quia fit, quod dicitur.* Si rem spectes, definitur à Cicerone loco citato in hunc modum; *Fides est dictorum conuentorumque constantia & veritas.* Constant quippe, veraque redundunt dicta & conuenta, quando fit, quod dictum conuentumque est.

3. Est ergo hic quæstio; An in promissis, pactis & conuentis seruanda sit fides Hæreticis? Catholici constanter docent, seruandam esse, modò promissa, pacta & conuenta sint alias licita & honesta. Quare, ex eo præcisè, quod hi Hæretici, illi Catholici sint, non minus his, quam illis præstandum esse, quod promissum, conuentumque est. v. g. In Comitiis Imperialibus patet es in eadem causa cum duobus Principibus altero

Catholi

Catholico , Altero Hæretico , si aliæ legitimè paetus es, non minus teneris vni , quam alteri fidem seruare. Hæc nostra sententia est.

4. Aduersarij dupliciter hic peccant. Primò , quia affingunt nobis contrariam sententiam. Aiunt nos docere , non esse fidem Hæreticis seruandam ; quod est apertum mendacium. In hoc similes sunt Pharisæis; qui tametsi ex ore Christi palam audiuerint. Reddite quæ sunt Cæsar is, Cæsari ; & quæ sunt Dei, Deo ; tamen ausi sunt illi obiicere coram Pilato; *Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram* , & prohibentem tributa dare Cæsari, Planè sic agunt nobiscum Aduersarij. Publicè , & priuatim , voce & calamo , docemus & protestamur , fidem seruandam esse hæreticis , & tamen ubique clamant. *Hoc inuenimus negantes* , fidem seruandam esse hæreticis.

5. Neque hic sistunt. Hoc mendacio, velut prætextu quodam abutuntur , quasi ipsis impunè licet , pacta cum Catholicis inita rescindere & violare. Iterum similes Pharisæis. Clamabant illi ; *Crucifige, crucifige*. Quid mali fecit? *Audiuitus eum prohibentem tributa dare Cæsari*. Hi similiter clamant. Rescinde fidem Catholicis datam, Rescinde pacta cum Catholicis inita. Quid causæ? *Audiuitus eos docentes*; non esse fidem hæreticis seruandam. Ut quid nos ipsis seruemus? Nimirum, ut illi homicidium, sic hic perfidiam suam , mendacio tuentur.

6. Sed ad rem. Tria hic præstanta sunt. Primò, præmittenda generalia quædam documenta , è quibus pendet totius controversiæ decisio. Secundò , ex iis generatim ostendam, non minus hæreticis , quam Catholicis seruandam esse fidem. Tertiò , examinabo casus quosdam particulares, in quibus apparet specialis aliqua difficultas. Omnia iuxta subiectum indicem.

Capita huius disputationis.

1. *De triplici promissione; gratuita, onerosa & iurata.*
2. *Quid requiratur, ut promissio gratuita sit valida?*
3. *Quid requiratur, ut promissio onerosa sit valida?*
4. *Quid requiratur, ut promissio iurata sit valida?*
5. *Vnde oriatur obligatio valida promissionis?*
6. *Quantas sit obligatio valida promissionis?*
7. *An in promissione valida & obligandi vim habente, seruanda sit fides Hæreticis, quatenus heretici sunt?*
8. *An seruanda sit illis fides, quatenus excommunicati sunt?*
9. *An in contractu matrimonij seruanda sit illis fides?*
10. *An in negotio Libertatis Religionis?*
11. *An in Bello?*
12. *An in saluo conductu?*

Hæc & similia versantur in usu quotidiano; & nonnulli in his perplexi sunt. Ostendam ergo breuiter, quid de singulis sit statuendum.

C A P V T I.

De triplici Promissione gratuita, onerosa, & iurata.

1. **D**Uplex est promissio: altera Deo facta; altera homini: prior vocatur *Potum*, de quo disputat D. Thomas in 2. 2. quæst. 88. posterior seruat nomen *Promissionis*. Hæc, de qua sola agimus, sortitur varia nomina apud Iureconsultos. Vocatur enim *Pollicitatio*, *Paclum*, *Stipulatio*. *Pollicitatio* dicitur, quando solum offertur à promittente. *Paclum*, quando acceptatur à promissario. Vnde est illud Vlpiani lib. 3. ff. de pollicitationibus. *Paclum est duorum consensus atque conuento*. *Pollicitatio vero offerentis solius promissum*. Vel ut Theologi loquuntur; *Pollicitatio est muda promissio, nondum secuta acceptatione: paclum vero est promissio acceptata*. Et quidem si promissio & acceptatio fiat certa verborum formula, præcedente interrogacione vnius, & secuta

secuta responione alterius, dicitur apud Iureconsultos *Stipulatio*. v.g. Spōndes dare tantum? Spondeo, promittis mille? Promitto. Dabis mille pro domo mea? Dabo. Et sic deinceps.

2. Iam promissio homini facta est triplex. Prima gratuita, seu liberalis quæ tantum obligat ex parte promittentis; qualis est in donationibus. Secunda onerosa, quæ obligat ex utraque parte, qualis est in contractibus, tam publicis, quam priuatis. Tertia iurata, quæ siue sit gratuita, siue onerosa, hoc amplius habet, quod iuramento confirmetur. Iuxta hanc distinctionem deinceps progrediemur in sequentibus.

C A P V T II.

Quid requiratur, ut promissio gratuita sit valida?

1. **V**T promissio gratuita seu liberalis sit valida, & obligandi vim habeat, quædam requiruntur ex parte promittentis; alia ex parte promissarij; alia ex parte rei promissæ.

2. Ex parte promittentis requiritur. 1. ut possit se obligare. 2. ut velit & intendat se obligare. 3. ut consulto ac deliberate id faciat. 4. ut sponte & voluntarie. Nam si vi aut metu extorta sit promissio, non tenemur eam implere, nisi sit iurata, ut docet D. Thomas in 2. 2.q.89.art.7.ad 4. Ratio est, quia qui metu aut vi extorquet promissionem, iniuriam facit. Vnde ratione iniuria potest promissor non soluere promissum. Vide infra cap. 3. n.6.

3. Ex parte promissarij requiritur, ut acceptet promissionem. Vnde nuda promissio antequam in pactum transeat, quod sit per acceptationem, ordinariè non obligat, nec actionē parit in foro ciuili. Est communis

sententia, teste Gomesio, s.m. 2. c. 9. num. 1. Ratio est, quia obligatio non nascitur, nisi ex mutuo duorum consensu, l. 1. ff. de pactis. Hinc sequitur promissionem ante acceptationem reuocari posse, vt clare deducitur ex l. Absenti, 10. ff. de donationibus. & l. si pater ff. de manumissis vindicta.

4. Dixi, ordinariè, quia excipiuntur quædam pollicitationes, quæ obligant ante acceptationem, nempe, quæ fiunt ciuitati ad instaurandas ruinas; vel ob honorem ab ea receptum aut recipiendum; vel ad opus aliquod faciendum, sed hoc opus iam sit inchoatum, ff. de pollicitationibus, per totum. Addunt aliqui eas etiam promissiones, quæ fiunt vniuersitati, vel Ecclesiæ, vel Hospitali, quia promissiones ad pias causas videtur æquari promissionibus factis Ciuitati, si priuilegia spectemus, vt patet l. illud, & l. Vt inter. C. de sacrofanciis Ecclesiis.

5. Ex parte rei promissæ requiritur, vt sit licita, & honesta, si secus fiat, promissio est irrita, vt patet ex l. *Pacta C. de pactis*, quæ sic habet; *Pacta, quæ contra leges constitutio-nesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indu-bitati juris est*: Hinc colliguntur duæ regulæ, quæ valde utiles sunt in hac materia.

6. Prior est, Omnes promissiones, & pacta irrita esse iure diuino ac naturali, quorum impletio est illicita & lege prohibita; vt si promiseris te commissurum furtum, homicidium, adulterium; si ad hæresin Lutheri aut Caluini defluxurum; si confessionem & alia sacramenta neglexturum. Ratio est, quia nemo potest obligari ad peccatum. Hinc Isidorus, cap. In malis, 22. q. 4. *In malis promissis rescindendis fidem*. Et infra. *Impia est promissio, quæ scelerare adimpletur*. Nec refert, etiamsi iuramentum interuenierit. Nam tritum est illud, *Juramentum non esse vinculum iniquitatis*, id est, ad malum non obligare. Vide Molianam

nam tract. 2. de Iustitia disp. 271.

7. *Posterior est;* Omnes promissiones, & pacta irrita esse iure ciuili, quorum impletio est contra bonos mores. Censentur autem esse contra bonos mores, quæ præbent occasionem peccandi, ut si promittas alicui, quod non tenetur in posterum de dolo, de vi, de iniuria, de furto, l. 27. ff. de pactis. Item, quæ adimunt libertatem disponendi de rebus suis; ut si promittas alicui, quod illū institues heredem, quod non revocabis testamentum. Vide Molinam loco citato. An autem huiusmodi promissiones & pacta, quæ sunt contra bonos mores, & ideo irtira iure ciuili, seruanda sint in foro conscientiæ si iuramentum accesserit, dicam c. 4.

C A P V T I I I.

Quid requiritur, ut promissio onerosa sit valida?

1. **V**T promissio onerosa, qualis est in contractibus, sit valida, & obligandi vim habeat, requiruntur hæc pauca. 1. Ut promittentes ex utraque parte possint se obligare. 2. ut velint & intendant se obligare. 3. ut consulto & deliberatè id faciant. 4. ut sponte & voluntariè, id est, sine vi & metu; sine errore & dolo. 5. ut in re licita & honesta. Hæc omnia perspicua sunt. Solum circa quartam conditionem possunt moueri duas questiones: altera de vi & metu: altera de errore & dolo.

2. *Prior questio;* An promissio seu contractus, ut validus sit, debeat esse tam spontaneus & voluntarius, ut excludat omnem vim & metum; Loquor de metu gravi, qui cadit in constantem virum. Potest autem huiusmodi metus, vel iuste, vel iniuste incuti. Iuste incutitur, quando malum, quod minatur, iure inferre possu-

mus : iniustè , si iure non possumus . Hoc positio sit.

3. *Prima Conclusio.* Si graui metu, sed tatum iustè , coactus es contrahere vel pacisci , validus est contractus . Est communis sententia . Hoc modo , qui contraxit sponsalia , metu excommunicationis compelli potest ad contrahendum matrimonium , & tenebit contractus c. Ex literis . 2. de sponsalibus . Qui violauit Virginem , compellitur eam dotare vel ducere . Qui promisit aliquid , ne accusaretur de crimine , de quo iure poterat , tenetur . Ratio est , quia huiusmodi metus non facit contractum simpliciter inuoluntarium . Nam qui ita contrahit , absolutè consentit . Omnibus enim consideratis , vult . Cum ergo nulla interueniat iniuria , contractus erit validus .

4. *Secunda conclusio.* Si gravi metu , & quidem iniustè , coactus est contrahere vel pacisci ; contractus neque iure naturæ , neque iure positivo , omnino irritus est , potest tamen rescindi , & in irritum reuocari , pro arbitrio tuo . qui iniustè metum passus es . Hæc conclusio habet 3. partes . *Prima est* , huiusmodi contractum non esse omnino irritum iure naturæ . Ita Dominicus Sotus in 4.d. 29. q. 1. art. 3. Paludanus d. 15. q. 2. art. 5. & alij . Ratio est , quia si iure naturæ esset irritus , id proueniret , vel ex defectu consensus , vel quia interuenit iniuria . Non ex defectu consensus , quia quando quis iusto metu cogitur pacisci , valet pactum ratione consensus , ut dictum est : at similis est consensus in metu iniustè incusso ; Nec ratione iniuriæ , quia hæc non est immediata causa contractus , sed consensus contrahentis : Ergo si est sufficiens consensus , contractus erit validus , licet ratione iniuriæ rescindi possit , ut dicam .

5. *Altera pars est* , eiusmodi contractum non esse omnino irritum iure positivo . Ita Nauarr . in c. Accepta , op pos . 5. n. 7. & alij . Probatur ex iure ciuil. instit. de exceptioni

ceptionibus, in principio. Si metu coactus, aut dolo induitus, aut errore lapsus, stipulanti Titio promisisti, quod non debueras promittere palam est, iure ciuili te obligatum esse: Et actio, qua intenditur dare te oportere, efficax est. Vbi glossa; Obligatum esse, scilicet, inspecto iuris rigore: Et, efficax est, scilicet in sua substantia. Idem probatur ex l. si mulier. §. finali. ff. quod metus causa. Si metu coactus adiui hereditatem, puto me haeredem effici, quia quamuis, si liberum esset, noluisse, tamen coactus volui, sed per Praetorem restituendus sum, ut mihi potestas tribuatur, Idem probari potest ex l. ultima C. abstinentia de his, que vi. Et ex cap. 2. & 4. de his, que vi. Solent tamen excipi aliquot casus, in quibus metu facta, sunt omnino irrita. Vide glossam in cap. 2. de his, que vi, &c Lessium lib. 2. de iust. c. 17. dub. 6.

6. Tertia pars est, tale contractum rescindi posse pro arbitrio eius, qui iniuste metum passus est. Hinc illa in iure Canonico, Quae vi vel metu sunt, debere in irrum reuocari; debere robore firmatis carere, ca. 2. & 4. de his, que vi. Et iure ciuili, l. ultima. C. de his, que vi. Venditiones, donationes, transactiones, que per potentiam extortae sunt; praeципimus infirmari. Ratio est, quia qui metum iniuste incusit, iniuriam alteri intulit: Ergo tenetur illum in priorem statum restituere; & alterius habet exigendi hanc restitutionem. Huc spectat illud, quod paulo ante citauit ex l. si mulier: per Praetorem restituendus sum, ut abstinentia mihi potestas tribuatur.

7. Haec de priori questione. Posterior est, An contractus, ut validus sit, debeat excludere omnem dolum & errorem? potest autem dupliciter contingere dolus vel error. 1. circa substantiam rei. 2. circa qualitatem. Rursus, potest hic dolus dare causam contractui, ita ut sine illo, non velles contrahere; aut non dare causam, sed solum incidere in contractum, ut si velles quidem contrahere, sed non tanto pretio. Denique hic error aut dolus

dolus potest prouenire, vel à parte, quæ contrahit, vel à tertio. Ita ut pars non sit ullo modo illius princeps. His positis sit.

8. *Assertio prima.* Si in contractu contingat error circa substantiam rei, contractus iure naturæ est irritus: ut si venditor, gemmam putet esse vitrum; si sponsus Mariam putet esse Magdalenam, & sic deinceps. Ratio est, quia deest substantialis consensus. Non enim consentis in rem illam, quæ errore vel dolo venit in contractum, sed in aliam.

9. *Assertio secunda.* Si tantum sit error circa qualitatem, & non dederit causam contractui, validus est contractus. Ita Dominicus Sotus l.6.de iust.q.3.art.2.& alij. Ratio est, quia quando adeat verus consensus in substâtiā rei, sufficit ad valorem contractus; præsertim quando dolus, qui est circa qualitatem, non dederit causam contractui. Tunc enim non habuisti animum huic contractui repugnantem. Etsi enim sciuisses rei qualitatem, tamen voluisses contrahere, licet non eo pretio.

10. *Assertio tertia.* Si dolus det causam contractui, & proueniat ab eo, qui tecū paciscitur vel cōtrahit; tunc quidem iure naturæ non est omnino irritus contractus, potest tamen arbitrio tuo, quia deceptus est, irritari, si alias solubilis sit. Quod non sit omnino irritus, apertè colligitur ex verbis supra citatis, Institut.de exceptionibus. *Si metu coactus, aut dolo inductus, aut errore lapsus, stipulanti Tuio promissi, palam est, iure ciuili te obligatum esse.* Et probatur primò, ex contractu matrimonii; quia validus est, etiam si dolus circa qualitatem interuenerit; & quia natura sua insolubilis est, validus perseverat. 2. quia dolus, quando non versatur circa substantiam rei, non potest tollere naturam contractus. 3. si deceptus velit contractum constare, deceptor non potest resilire, ne ex dolo commodum reportet, ut colligitur ex cap.i. *De eo,*

qui

qui duxit in matrimonium: Ego signum est, contractum non fuisse omnino in validum.

11. *Quod autem possit irritari pro arbitrio decepti probatur, quia qui dolo inducit alterum ad contrahendum, iniuriam ei facit: Et ergo tenetur illum restituere in integrum, & reddere omnia infecta, si deceptus velit.* Solet hic disputari, an talis contractus si omnino irritus iure positivo? Nam iure natura non esse irritum, ex dictis patet. Iurisperiti sic distinguunt; omnes contractus bona fidei, quibus dolus partis causam dederit, irritos esse: eos autem, qui vocantur stricti iuris (ut sunt omnes qui sunt per formulam stipulationis, & quidam alii) esse validos, & tribuere actionem in foro externo, sed posse exceptione doli mali elidi. Vide *Couarruiam ad regulam Possessor. 2.p. §.6.n.6.*

12. Alij tamen reiiciunt hanc distinctionem, tanquam non satis in iure fundatam; & docent eandem esse rationem contractuum bona fidei & stricti iuris: Omnes enim aliquo modo validos esse, & posse exceptione doli elidi. Ita Ioannes Ignaeus in *I.contractus ff. de regulis iuris. n.150. Faber & Bella peritica apud Couarruiam loco citato.* Ratio est, quia quando metus dat causam contractui, non est omnino irritus. sed in irritum reuocandus, ut supra dictum est: atque metus & dolus in iure censentur paria. *I.dolo.C.de inutilibus stipulationibus, & cap. Cum contingat de iureiurando.* Sed nolim hoc loco de hac re disputare.

13. *Affertio quarta.* Si error vel dolus det causam contractui, & non proueniat ab eo, qui tecum paciscitur vel contrahit, sed ab aliquo tertio, vel à propria opinione, tunc contractus absolutè validus est. Ita glossa in cap. Cum dilecti. *de empt. & vendit. Bartolus in I. Et eleganter, ff. de dolo, in principio, Couarruias in regulam Possessor 2.p. §. 6.n. 6. & alij.* Ratio est, quia nec est error circa

circa substantiam rei, nec vlla interuenit iniuria partis, nec est vllum ius, quod talem contractum reddat irritum. Vnde sequitur, eum, qui tali contractu aliquid consecutus est, non teneri ad restitutionem, nisi contractus in irritum reuocetur: quia nullā iniuriam intulit.

14. An autem talis contractus, cognito errore possit rescindi & in irritum reuocari pro arbitrio, eius qui deceptus est, merito dubitari potest. Et quidem, si sit contractus gratuitus, ut promissio, vel donatio liberalis; puto reuocari posse, quia qui liberaliter aliquid promittit vel donat, non alio modo censetur donare vel promittere, nisi secundum intentionem, quam habet in donando vel promittendo: Ergo si ex errore donaverit vel promiserit, cognito errore, potest reuocare, quia non fuit intentio donandi vel promittendi. Si autem contractus fit onerosus; aliqui putant nō posse reuocari pro arbitrio decepti. 1. quia talis contractus non pendet ex sola intentione & consensu vnius, sed etiam ex consensu alterius, qui non est causa dolii vel erroris. 2. quia vel deceptus es tua opinione, & sic tibi ipsi imputare debes, quod rem melius non examinaueris: vel dolo tertij; & sic in illum actionem habes, vt habetur. Et eleganter. ff. de dolo, & l. Proxeneta, ff. de proxeneticis.

15. Puto tamen opus esse distinctione. Quando enim error invincibilis, qui dedit causam contractui, detegitur; vel res adhuc est integra, vel non est. Si adhuc integra est, non teneris in conscientia implere contractum, nisi forte per sententiam Iudicis cogaris. Hoc patet in sponsalibus. Nam qui deceptus est, non tenetur implere contractum, simulatque cognoverit aliquid subesse, quod si ab initio sciuisset, noluisset contrahere. Si autem res non est integra, ut si contractus sit vtrinque, vel altera ex parte completus; iterum est distinguenda.

stinguendum. Vel enim alter erat conscius vitij seu defectus, vel non erat: si non erat conscius, iura non concedunt rescisionem, sed solum actionem quanti minoris, id est, ut tanto minus soluas, quanti minoris: detecto vitio, rem esse empturus, ut habetur l. 13. ff. de *actionibus empti, in principio*. Quod non solum in contractu exemptionis & venditionis, sed etiam in permutatione locum habet, ut patet, l. 19. *in fine ff. de adilitio editio*. Si autem is, qui tecum contrahit, conscius est virij, contractus pro tuo arbitrio, detecto vitio potest irritari vel confirmari in tuum fauorem, ut colligitur ex citata l. 13. Ratio est quia tunc censetur particeps doli. Tenebatur enim saltem iure positivo, aperire tibi omnia occulta rei vitia, ut statuitur l. 1. ff. de *adilitio editio*. Itaque si non fecit, contra iustitiam peccauit. Vide Medinam C. de rest. q. 34.

C A P V T I V.

Quid requiratur, ut promissio iurata sit valida?

1. **V**T promissio iurata, vel contractus iuratus vim obligandi habeat, duo spectanda sunt. Vnum ex parte promissionis; alterum ex parte iuramenti, Quod ad promissionem attinet, si illa per se valida sit, iuxta ea, quae hactenus dixi; accedente iuramento, sit validior & firmior. Si autem per se valida non sit, propter aliquem defectum; recurrendum est ad iuramentum, & videndum, an illud sit validum, ita ut ratione illius praestanda sit promissio, quae alias ex se non esset praestanda. Pro qua re notandæ sunt hæ 2. regulæ.

2. *Prior.* Quando id, quod iuramento alicui promittitur, sine ullo promittentis peccato seruari potest, iuramentum est validum & seruandum. Intellige,

ge, si ille, in cuius fauorem factum est, illud seruari velit; & alias legitimè non relaxetur. Ratio huius regulæ est, quia honor & reuerentia dininæ maiestatis, quæ iuramento in testem adduximus, postulat, ut efficiamus verum esse, quod promisimus, si modo id licite fieri potest, ne illam faciamus testem falsi.

3. *Posterior* Quando id, quod iuramento promittitur sine peccato promittentis seruari non potest, iuramentum est inualidum & irritum. Ratio est, quia nemo potest obligari d' peccatum. Id enim contradictionem implicat.

4. Vtraque regula apertè colligitur ex cap. Cum contingat, de iure iurando, vbi dicitur *seruari debere huiusmodi iuramenta* (quæ fiunt super contractu iure ciui- li non obligant) *sine vi & dolo, sponte prestita; cum in alterius preiudicium non redundant, nec obseruata vergant in dispendium salutis eterna*. Idem habetur cap. 2, de pactis in 6. Vnde à contrario sensu colligitur, non esse seruanda, si obseruatio vergat in dispendium salutis. Vergit autem si est peccatum mortale aut veniale. Idem colligitur ex illa regula iuris in 6. *Non est obligatorium iuramentum, contra bonos mores prestitum.* Quod intellige, de bonis moribus naturalibus, quorum contrarium est peccatum; nō de ciuibus, quos tantum expedit esse in Republica, ut benè sit ordinata politicè. Vide *Sylvestrum V. Paclum n. 8. & 11.*

5. Hinc diligenter notandum est, aliter implendum esse promissum, quando promissio ex se valida est, & accedit iuramentum; aliter vero, quando ex se inualida est, & accedit iuramentum. Nam in priori casu implendum est, tum vi promissionis, quæ per se obligat; tum vi iuramenti, quod addit nouam obligationem. In posteriori, vi solius iuramenti, non promissionis, quippe quæ ex se inualida sit. Vnde, si hoc casu relaxetur iuramen-

utamentum, ad nihil, teneris; si in priori adhuc teneris vi promissionis, quamvis non iuramenti.

6 Exemplo fiet res clarior. Liberè , & cum iuramento promisisti amico centum aureos, & ille promissionem iuratam acceptauit; teneris duplii titulo, nempe promissionis & iuramenti. Si iuramentum legitimè relaxetur, adhuc teneris ex promissione. Contra , vi seu graui metu coactus, promisisti latroni totidem aureos, & interuenit iuramentum ; teneris solo titulo iuramenti, quo legitimè relaxato , solitus es omni obligatione. Ratio differentiæ est , quia per promissionem ex se validam, confers promissario ius ad rem promissam ; non autem per inualidam. Idem seruata proportione, dicendum est de contractu seu promissione onerosa.

7 Quod dixi de iuramenti relaxatione , explicandum est. Generatim loquendo, dupliciter tolli potest obligatio à iuramento. 1. impediendo, ne illam ab initio inducat. 2. tollendo iam inductam. *Quod ad primum atinet*, obligatio iuramenti potest impediri per legem, si lex statuat, ut iuramentum contractui vel promissioni alicui adiectum, sit irritum , & nullam inducat obligationem. Sic Concilium Tridentinum sess. 25 . cap. 16. de Regularibus, irritum reddit iuramentum adiectum renunciationi bonorum , si fiat ante bimestre , quod præcedit professionem. Nimirum , ut libertati ingredientium consuleret , & omnem coactionem arceret. Sic in regno Lusitaniæ irriti redundunt per legem omnes contractus, obligationes, conuentiones, promissiones, remissiones , & distractus iuramento confirmati , si alioquin ad forum sacerdudale eorum cognitio pertinebat, nisi cum Regis facultate iuramentum appositum fuerit. Simili ferè modo in regno Castellæ, exceptis quibusdam contractibus , ut refert Molina dispu-

rat. 249. Quod ideo factum est, ne lites super huiusmodi contractibus traherentur ad forum Ecclesiasticum. Iuramentum enim facit, ut causa, quæ alias merè est cialis fiat fori mixti, ut patet ex capite finali, *de foro competit in 6.*

8 *Obiectio.* Quomodo fieri potest, ut lex vel potestas humana impedit obligationem iuramenti, cum illa naturaliter & necessariò resultet ex iuramento? Nam iure naturæ obligamur, ne Deum faciamus testem falsi. *Respondeo.* Dupliciter id fieri potest. Primo si lex humana reddat eum inhabilem ad acceptandum, in cuius fauorem factum est iuramentum promissorium. Cum enim hoc iuramentum non obliget, nisi promissio acceptetur à promissario, sane si hic sit inhabilis ad acceptandū, nulla potest nasci obligatio. Quod autem lex ciuilis possit inducere talem inhabilitatem, certum est, quia si potest aliquem reddere inhabile ad officia, ad contractus, ad alienationes, ad acquisitionem bonorum, & similia, cur non etiā ad valide acceptandam alterius promissionem? Secundo, potest fieri, si princeps per legem à se positam, condonet seu remittat obligationem, hoc ipso, quo iurans tentat illam inducere. Si enim homo priuatus, in cuius fauorem fit promissio iurata, potest statim remittere obligationem, & cedere suo iure, cur non Princeps, quatenus est superior illius priuati hominis, possit eandem, nomine sui subditi, iusta de causa remittere?

9 *Quod ad secundum attinet, obligatio iuramenti iam inducta potest tolli variis modis.* *Primo*, mutatione materiae, ut si res iurata fiat impossibilis iuranti, aut illicita. *Secundo*, condonatione, ut si is, in cuius fauorem factum est, remittat obligationem. *Tertio*, commutatio-ne; ut si ille, cui factum est; concedat aliud opus loco illius, quod iuramento promissum est, præstari. *Quarto*, irrita

irritatione; vt quando materia iuramenti promissorij subest alterius potestati. Quinto, dispensatione; vt quando superior dispensat tecum, vt non tenearis alteri prestatere, quod cum iuramento illi promisisti. Hoc tamen non potest facere superior, nisi legitima causa subsit; quia non potest ius alterius tollere sine iusta causa. Causæ iusta sunt hæ. 1. si metu vel fraude extortum. 2. si alia iniustitia intercessit; vt cum usurarius exigit iuramentum de soluendis usuris. 3. in iustum pœnam. 4. si bonum commune postulet; vt si cum iuramento promittas non accusare. Vide D.Thom.in 2.2.q.89.art.7.&c 9. Petrum Arragonium ibid. *Sylvestrum V. Iuramentum 5. & alios.*

10 *Dices.* Quomodo superior potest dispensare in iuramento? Nam licet princeps per suam legem possit aliquo modo impedire, ne oriatur obligatio ex iuramento, vt dictum est paulo ante; tamen non videtur posse tollere obligationem, postquam inducta est. Hoc enim nihil aliud esset, quam dispensare cum aliquo, vt postquam iuramento aliquid confirmavit, possit esse periurus, & facere Deum testem falsi. *Respondeo.* Aliud est, immediatè tollere obligationem iuramenti semel inductam; aliud est, aliquid ponere & tollere, quo posito vel sublatu, sponte cessat obligatio. Illud prius non potest facere Superior; posterius, non solum Superior, sed etiam alij possunt. Pro quo notandum est, in iuramento promissorio tacite includi aliquas econditiones, quibus appositis vel subtractis, sponte cessat obligatio iuramenti, sine ullo periculo periurij. Sunt autem hæ, & similis; Promitto & iuro me tibi hoc præstiturū, nempe si velis, nisi remittas; nisi Superior, cui materia subest, cōtradictar; nisi ipse sua autoritate cōdonet. Itaq; si aliqua harū conditionū ponatur, vel tollatur, vt si remittas mihi, quod

promisi, vel si superior contradicat aut condonet; obligatio iuramenti cessat.

C A P V T V.

Vnde oriatur obligatio validæ promissionis?

1 **I**uxta triplicem promissionem, nempe gratuitam, onerosam, & iuratam, de quibus actum est, ponam tres conclusiones. **P**rima est. **O**bligatio, qua quis tenetur in promissione gratuita ac liberali, oritur ex dupliciti virtute, nimis Veritatis & Fidei. **V**nde si non praestat, dupliciter peccat. 1. quia mendax est, contra virtutem Veritatis. 2. quia perfidus & infidelis est, contra virtutem Fidei seu fidelitatis.

2 **A**ltera conclusio. **O**bligatio, qua quis tenetur praestare, quod promisit in contractu oneroso, oritur ex triplice virtute, nempe Veritatis, Fidelitatis & Iustitiae. **V**nde si non praestat, tripliciter peccat. 1. quia mendax est, 2. quia perfidus seu infidelis. 3. quia iniustus.

3 **T**ertia conclusio. **O**bligatio, qua quis tenetur praestare, quod promisit cum iuramento, non solum oritur à virtutibus predictis, sed etiam à virtute Religionis. **V**nde si promissio fuit gratuita, accidente iuramento, tenetur ex triplice virtute, Veritatis, Fidelitatis, Religionis: si onerosa, ex quadruplici. Veritatis, Fidelitatis, Iustitiae & Religionis: Et si non seruet, est mendax, perfidus, iniustus, periurus.

4 **H**æc generatim. Nunc singulæ virtutes, & earum obligationes speciatim explicandæ sunt. Ac primò, virtus Veritatis ad duo nos obligat. 1. ut sincerè, non fictè, promittamus, id est, ut quod verbis promittimus, etiam animo promittamus. 2. ut opere praestemus, quod promissum est. Scholastici explicant his terminis, *vi verba nostra*

ea nostra conformemus menti; & facta conformemus verbis.
 Vtrumque enim requiritur, ut quis sit verax in dicendo vel promittendo, ut docet Caietanus in 2.2.q. 113. art. 1. sub finem, & colligitur ex D. Thoma 2.2.q. 80. art. vnicō ad 3.

6 *Virtus fidei seu fidelitatis ad vnum nos obligat, nempe ut quod promisimus, opere præstemus.* Et quamvis hæc obligatio videatur esse eadem cum posteriori obligatione Veritatis; reuera tamen differt. Primò, quod Obligatio Veritatis latius pateat, quam Fidelitatis. Hæc enim solum habet locum in affirmatione promissoria; illa etiam in non promissoria. (D. Thom. loc. cit.) Secundò, quod obligatio Fidelitatis sit maior, quàm Veritatis. Qui enim promittit se aliquid facturum, magis obligatur, quàm qui sine promissione affirmat. Nam qui solum affirmat, uno duntaxat titulo obligatur ad præstandum, ne videlicet sit mendax in verbis. Qui autem promittit, duplice titulo obstringitur tum, ne sit mendax in verbis; tum etiam, ne violet ius alterius, quod habet ad rem promissam. Nam promissor, non solum constituit se debitorem, ut caueat mendacium; sed etiam tribuit alterius ad exigendum promissum.

6 *Virtus iustitiae, quæ habet locum in contractibus seu promissionibus onerosis; obligat nos, ut tribuamus vnicuique quod suum est ratione contractus.* Hinc generatim definitur ab Ulpiano l. iustitia, ff. de iustitia & iure; *Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi.* Similia habent D. Aug. lib. 19. de ciuitate Dei, c. 21. D. Ambr. l. 1. de officiis, c. 24. D. Thom. 2.2.q. 58. & alij passim.

7 *Virtus religionis obligat nos, ut Deo reuerentiam & debitum cultum exhibeamus,* ut docet D. Thom. 2.2. 26. 81. art. 2. Hoc autem fieri potest variis modis; Uno,

per iuramentum , de quo nunc agimus. Iuramentum enim est externus cultus , quo profitemur Deum esse infallibilis veritatis , eumque adducimus , vt testetur nos loqui verum. Si quis ergo abutatur , hoc cultu , & cum deberet Deum adducere in testimoniū veri ; adducat eum in testimoniū falsi ; facit contra obligationem virtutis Religionis , & perjurium committit. Haec tenus breuiter de obligatione earum virtutum , quæ locum habent in promissionibus & pactis. Nunc quanta sit hæc obligatio , videndum est.

C A P V T . I.

Quanta sit obligatio validæ promissionis?

1 Duxi hanc obligationem oriri ex variis virtutibus , nempe Veritatis , Fidelitatis , Iustitiae , & Religionis. Ut ergo constet , quanta sit hæc obligatio , explicandum est , quanta sit obligatio dictatum virtutum. Et quia sunt 4. virtutes ponam totidem conclusiones.

2 *Prima conclusio* , Virtus Veritatis , qua teneris sincèrè promittere , & promissum præstare , ne sis mendax , semper obligat sub peccato : Et quidem per se nō obligat , nisi sub veniali ; per accidens tamen ratione damni , vel iniustitiae , potest obligare sub mortali. Ratio est , quia mendacium semper est peccatum : & quidem , si nemini noceat , non est nisi veniale ; si tamen noceat graviter , potest esse mortale. Ita D. Thom. in 2.2. q. 110. art. 2. & 4. ubi distinguit triplex mendacium , nempe iocosum , officiosum , & perniciosum : & duo priora dicunt esse venalia ; tertium , mortale. Vocatur autem iocosum , quod tantum ioci seu recreationis causa proferitur ; officiosum , quod prodest alicui ; perniciosum quod iniuste

iniustè nocet. Potest verò duobus modis esse pernicio-
sum. Primò, quia est iniuriosum Deo ; cuiusmodi est
omne mendacium in rebus fidei , in sacramento con-
fessionis; in iuramento. Secundò , quia est iniuriosum
proximo, ut contingit in detractione, falso testimonio,
& iniquis contractibus.

3. Ut hæc conclusio melius intelligatur, singulæ illius
partes explicandæ & examinandæ sunt. Ac primò quæ-
ri potest , an omne mendacium sit peccatum? 2. an ex
natura sua sit peccatum, an tantum ex prohibitione? 3.
an ita sit peccatum, ut in nullo casu sit licitum ? 4. an
vnum alio sit grauius peccatum?

4. *Quod ad primum attinet, Catholici docent, Omne*
mendacium esse peccatum. Ratio est clara, quia quid-
quid Deus prohibet & damnat, peccatum est: at prohi-
bet & damnat omne mendacium. *Levit. 19. 11. Non men-*
tiemini, nec decipiet unusque proximum suum. Psalm. 5. 7. Per-
des omnes qui loquuntur mendacium. Proverbi. 6. 16. Sex sunt,
que odiit Dominus, & septimum detestatur anima eius; oculos
sublimes, linguam mendacem, &c. Proverbi. 13. 5. Verbum men-
dax iustus detestabitur. Sapientia. 1. 11. Os quod mentitur, occidit
animam. Ecclesiastes. 7. 14. Noli velle mentiri omne mendacium.
Ephes. 4. 25. Proprie quod deponentes mendacium loquimini ve-
ritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus in unicem
membra. Colossi. 3. 9. Nolite mentiri in unicem.

5. Ex his & similibus testimoniosis constat, omne men-
dacium prohibitum esse , ac proinde sine peccato fieri
non posse. Nunc sequitur altera quæstio, an ex natura sua
sit peccatum , sicut adulterium , blasphemia , odium
Dei ? an tantum ex prohibitione , sicut comedere fru-
ctus in paradyso? Consentiantur Theologi ; ex natura sua
peccatum esse. Nam mendacium natura sua contineat
triplicem deformitatem seu malitiam, recte rationi re-
pugnantem ; nempe abusum sermonis, deceptionem

proximi, & violationem amicitiae humanæ. Qui enim mentitur, primum quidem abutitur sermone. Nam usus linguae ac sermonis ideo à natura datus est homini, ut per eum internos suos conceptus, qui reconditi sunt, aliis manifestet. At contra fit per mendacium. Hinc sequitur deceptio proximi. Nam cum aliud mente cogitas, aliud verbo exprimis; proximus, qui sincerè te loqui existimat, falsa opinione imbuitur. Putat enim te id sentire, quod loqueris. At tu fecus facis. Vnde, quantum in te est, violas naturale ius amicitiae. Facis enim alteri, quod tibi nolles fieri, quod est contra charitatem. Hac vero ratione usus est Augustin. in Enchiridio cap. 22. vbi sic habet; *Omne mendacium ideo dicendum est esse peccatum, quia homo debet loqui, quod animo gerit.* Omnis autem qui mentitur, contra id, quod animo sentit, loquitur. Et utique verba propterea sunt instituta, non per quae se inuicem homines fallant, sed per quae in alterius quisque notitiam cogitationes suas proferat. Verbis igitur uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est, &c.

6. Idem probat Augustinus lib. contra mendacium ad Consentium cap. 18. ex illo 1. Ioan. 2. 21. *Quoniam omne mendacium ex veritate non est.* Ex quo loco sic argumentatur; Qui docet aliquod mendacium esse licitum, vel verum docet, vel falsum. Si falsum, non est ei credendum: si verum iam aliquod mendacium ex veritate est, quod est contra Apostolum. Verba Augustini sunt hæc *Hoc scio quod etiam qui docet oportere mentiri, verum docere se vult videri.* Nam si falsum est quod docet, quis falsa velit studere doctrinæ, vbi & fallit docens, & fallitur discens? Si autem ut aliquem possit inuenire discipulum, docere se afferat verum, cum doceat esse mentiendum, quomodo erit ullum ex veritate mendacium, Ioanne Apostolo reclamante, *Omne mendacium non est ex veritate?* Non est ergo verum, aliquando esse mentiendum. Et quod non est verum,

rum, nemini est omnino suadendum. Et paulò post cap. 19.
Quisquis mihi persuadendo & defendendo ullo mendacio con-
tradicit, quid dicit, si verum non dicit? Si autem propterea est
audientius, quoniam verum dicit, quomodo me vult facere ve-
rum dicendo mendacem? Quomodo mendacium patronam sibi
adhibet veritatem? An aduersario suo vincit, ut à scipsa vinca-
tur? Quis hanc absurditatē ferat? Nullo ergo modo dixerimus,
eos qui asserunt aliquando esse mentiendum, id afferendo, esse
veraces, ne quod est absurdissimum & stultissimum credere, ve-
ritas nos doceat esse mendaces. Quale est enim, ut esse adulteran-
dum nemo discat à castitate, Deum offendendum, nemo discat
à pietate, cuiquam nocendum, nemo discat à benignitate; & esse
mentiendum, discamus à veritate. Porro, si hoc non docet veritas,
non est verum; si non est verum, non est discendum; si non est
discendum, nunquam igitur est mentiendum. Hæc Augustin.

7 Eodem spectat illud Ioannis 8.44. de diabolo; Cum
loquiur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est,
& pater eius. Vnde sic concludo; Id cuius primus au-
thor & inuentor est diabolus, non potest esse, nisi ma-
lum, cum è contrario, Deus sit primus author omnis
boni: sed diabolus est primus author & inuentor men-
daci: Ergo mendacium non potest esse, nisi malum.
Minor patet ex verbis citatis, Cum loquitur mendacium, ex
propriis loquitur, id est, utitur propria inuentione & ma-
litia. Nemo enim docuit ipsum mentiri, sed ipse alios
suo exemplo docuit, cum dixit in paradiſo, Nequaquam
moriemini. Igitur mendax est, & pater mendaci: Elegan-
ter Augustinus tract. 42. in Ioannem; Quomodo Deus
pater genuit filium Veritatem: sic diabolus genuit quasi filium
mendacium.

8 Tertia quæſtio est. An mendacium ita sit peccatum,
 vt in nullo casu, licitum sit mentiri, ne tunc quidem,
 quando mentiendo nemini obelles, & tamen alicui
 prodeſſes, vel ad conſeruandam vitam, pudicitiam, fa-

mam, sanitatem; vel ad grande aliquod malum evitan-
dum? Antiqua hæc quæstio est. Et quidem Plato, Priscil-
lianistæ, Origenes, & Cassianus, putarunt id licitum es-
se. At contra sentiunt omnes Theologi & Orthodoxi
Pati. Sanè D. Augustinus cum hanc ipsam quæstio-
nem proposuisset in Enchiridio c. 13. tandem c. 22. re-
pondet his verbis: *Nec ideo ullum mendacium putandum
est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodeesse
mentiendo. Possumus enim & furando aliquando alicui pro-
deesse, si pauper, cui palam datur, sentit commodum, & dives,
cui clam tollitur, non sentit incommodum; nec ideo tale furtum
quisquam dixerit non esse peccatum. Possumus & adulterando prodeesse,
si aliqua, nisi ad hoc ei consentiatur, appareat aman-
do moritura, & si vixerit, pœnitendo purganda, nec ideo pecca-
tum negabitur, tale adulterium. Si autem merito nobis placet
castitas, quid quæsto offendit Veritas, ut propriæ alienam utili-
tatem illa non violetur adulterando, & violetur ista mentiendo?*
*Non ideo mendacium poterit aliquando laudari, quia non-
numquam pro salute quorundam mentimur.*

9 Eandem quæstionem prolixius disputat idem Au-
gustinus in libro de mendacio ad Consentium, & allat-
is in utramque partem variis scripturæ testimoniis,
cap. ultimo sic concludit; *Elucet igitur discussis omnibus,
nihil aliud illa testimonia scripturarum monere, nisi nunquam
esse omnino mentendum. Et postea subdit; Quisquis autem
esse aliquid genus mendacijs quod peccatum non sit, putauerit,
decipiet seipsum turpiter, cum honestum se deceptorem arbitra-
tur aliorum.*

10 Huius rei efficacissimā rationem assignant Theo-
logi in hunc modum; *Quæ intrinsecè & ex natura sua
mala & illicita sunt, nunquam bene & licetè fieri pos-
sunt, etiamsi ob bonum finem fiant: sed mendacium
intrinsecè, & ex natura sua, malum est, ut supra pro-
baui: Ergo mendacium nunquam bene & licetè fieri
potest*

potest, ob quemcūque finē fiat. Maior patet, quia quod intrinsecè, & ex natura sua malum est, hoc per nullam circumstantiam extrinsecam potest fieri bonum. Nam circumstantiae extrinsecæ & accidentales non mutant naturam & extrinsecam rei essentiam. Rectè Augustinus lib. contra mendacium cap. 7. Interest quidem plurimum, qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat: Sed ea, quæ constat esse peccata, nullo bona causa obtenuit, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione, facienda sunt.

Hoc sensu dixit Apostolus Roman. 3. 8. Non esse facienda mala, ut eveniant bona: quia quod ex se malum est, non sit licitum, propter intentionem boni finis. Et Augustinus libro contra mendacium cap. 1. ostendit ex eodem fundamento, non licere mentiri, ut hæreticos conuertamus. Sic enim habet. *Quomodo igitur mendacio rectè potero prosequi? An & latrocinio latrocinia, & sacrilegio sacrilegia, & adulterio sunt adulteria prosequenda?* Si autem veritas Dei in meo mendacio abundauit, nunquid & nos dicturi sumus, Faciamus mala, ut eveniant bona? Quod vides, quemadmodum detestetur Apostolus. *Quid est enim aliud, mentiamur, ut hæreticos mendaces ad veritatem adducamus, nisi, faciamus mala, ut eveniant bona?* Et infra cap. 7. Nam si propterea iusta sunt mendacia, quia hoc animo fiunt, ut occulti hæretici detegantur, poterunt isto modo, si eodem animo fiunt, c. sibi esse adulteria. Et infra in eodem cap. *Quis est, qui dicat, ut habeamus, quod demus pauteribus, faciamus furta diuīibus, aut testimonia falsa vendamus?* Et iterum ibidem; *Quis ista dicat nisi qui res humanas, omnesque conatur mores legesque subuertere?* Quod enim sceleratissimum facinus, quod turpissimum flagitium, quod impiissimum sacrilegium non dicatur posse fieri rectè aīque iuste, si semel concessे imus in omnibus malis operibus hominum, ideo, non quid fiat esse querendum, et quæcumque proprie bonas causas facta inneniantur,

nec ipsa mala esse iudicentur? Hæc & plura Augustini.

12 Quarta questio est, An omnia mendacia sint æquæ grauia peccata? Negant Catholici cum Augustino in Enchiridio cap. 18. vbi sic habet, *Miki autem videtur peccatum esse quidem omne mendacium, sed malum interesse, quo animo, & quibus de rebus quisque mentiatur. Non enim sic peccat ille qui consulendi, quomodo ille, qui nocendi volumate mentitur.* Nec verò tantum nocet, qui viatorem mentendo in diuersum iter mutat, quantum is, qui viam vita, mendacio fallente depravat. Et ibidem cap. 22. cum dixisset, omne mendacium esse peccatum, etiam illud, quod fit pro salute aliorum, de eo sic subdit; *Peccatum ergo est sed veniale, quod benevolentia excusat, & ideo fallacia dicitur.* Et ratio est clara quam insinuat Augustinus, quia grauius peccat, qui mentiendo nocet, quam qui non nocet, sed prodest.

13 Hactenus de obligatione Veritatis, & de opposito mendacio, deinceps de obligatione aliarum virtutum, nempe Fidelitatis, Iustitiae, & Religionis, dicendum est. Sed multo breuius & compendiosius. Nam si semel constet, Veritatem semper obligare sub peccato, ita ut nunquam liceat mentiri, facile etiam constabit, Fidelitatem, Iustitiam & Religionem semper obligare, ita ut nunquam liceat esse perfidum, iniustum, aut sacrilegum. Hæ enim Virtutes magis obligant, quam Veritas, & opposita earum vitia grauiora sunt, quam merum & simplex mendacium. Sit ergo.

14 Secunda Conclusio. Virtus Fidelitatis, qua teneris promissum præstare, ne sis infidelis & perfidus per se obligat sub mortali, nisi paruitas materiæ excusat. Ita Nauarrus cap. 18. num. 6. Sotus lib. 7. de Iust. q. 2. art. 1. ad 1. Richardus in 4. d. 38. circa 3. principale q. 3. Antonius 2. p. tit. 20. cap. 1. §. 4. & Syluester V. pactum. num. 4. Hic suppono, quod supra insinuavi, plus esse promittere, quam affirma

firmare. Nam qui promittit alteri, se aliquid illi daturū, non tantum affirmat se daturum, sed etiam obligat se illi, & consequenter tribuit illi ius ad exigendum id, quod promittitur. Hoc autem ius violatur, quādo promissor non seruat fidem. Hinc probatur Conclusio primō, quia violare ius alterius in re graui, est peccatum mortale, ut per se patet: sed virtus Fidelitatis obligat nos, ne violemus ius alterius, quod habet ad rem promissam: Ergo hæc obligatio, in re graui, est sub peccato mortali.

15 Secundò probatur, quia hæc obligatio Fidelitatis in promittente est tanta, ut tribuat actionem in foro externo, & promissor cogatur implere, quod promisit præfertim si formula stipulationis interuenerit, ut omnes concedunt: Ergo est obligatio stricta: Ergo in re graui sub peccato mortali. *Obiicies*, Promissio ex se non habet tantam vim, ut tribuat actionem in foro externo, sed ex formula stipulationis superaddita. *Respondeo*. Hæc formula non reddit promissionem firmiorem in foro conscientiæ, sed solum in foro externo, quia præsumitur maiori cum deliberatione facta, quando stipulatio interuenit. Deinde, tametsi iure Digestorum requiratur stipulatio, ut promissio simplex tribuat actionē in foro externo; tamen iure Codicis non videtur requiri, ut plerique colligunt ex lib. 1, si quis argentum, C. de donationibus. Nec in regno Castellæ requiritur, ut notat Molina tractat. 2. de iure & iust. disp. 254. Postremo, quicquid sit de iure ciñili, tamen iure canonico conceditur actio ex promissione accepta, etiamsi formula stipulationis non interuenerit, ut patet ex c. 1. de pactis, & est communis sententia Doctorū, teste Gomezio tom. 2. c. 9. n. 2. & Coñarruua in cap. Quamvis pactum p. 2. §. 4. nū. 14. & 15. Nec refert, quod ius canonicum requirat expressionem causæ; quia dum causam non exprimis, cur promittas, videris

per errorem promittere: quæ tamen præsumptio cessat in foro conscientiæ. Vide *Sylvestrum V. pactum num. 3.* & *Nauar. loc. cit.*

16 Tertiò probatur testimonio Christi, qui exprefcè docet præceptum fidelitatis esse vnum ex grauioribus præceptis diuinæ legis. Sic enim ait, *Math. 23.23.* *Væ vobis Scribe & Pharisei hypocrite; quia decimatis mentham & anethum, & cuminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam, & fidem.* Hic per fidem intelligit fidelitatem in pactis. Hanc ait esse ex grauioribus, quæ in lege præcepta sunt. Et ita res habet. Nam in veteri lege, ea præcepta habebantur maioris momenti, quorum transgressio debebat sacrificio expiari: tale autem fuit præceptum fidelitatis in seruandis pactis, ut colligitur ex illo *Leuit. 6.2.* *Anima quæ peccauerit, & contemptio Domino negauerit proximo suo depositum, quod fidei eius creditum fuerat, reddet omnia, & pro peccato suo offeret arietem immaculatum de grege.* Vnde Christus. *Væ vobis Scribe & Pharisei.* Causam addit; quia reliquistis fidē. Certè quando Christus minatur alicui *Væ,* euidens signum est magni alicuius criminis perpetrati.

17 Quartò probatur ab effectu. Nam ex seruata pâctorum fide, sequitur fauor Dei & hominum; gloria & amplitudo nominis; securitas populi; tranquillitas reipublicæ, belli & pacis incorrupta fœdera. Ex perfidia, omnia contraria. Hoc prolixè explicat Petrus Ribadenera lib. 2. de principe Christiano, cap. 15. Et præclaris exemplis illustrat Lipsius lib. 2. monitorum politorum cap. 13. Legantur Historiæ. Quoties per contemptum inuenies illud. *Punica fides: Græca fides; Cretenses semper mendaces.* Quoties cum summa laude; *Dictum fætum; Verbum Regis, sigillum Regis, Germana fides & constanza;* ex *Ionis tabulis;* & quæ similia sunt.

18 Tertia conclusio. Virtus Iustitiae, qua tenemur promissum

missum præstare in pactis & cōtractibus onerosis, semper obligat sub mortali, nisi paruitas materiæ excusat. Ita passim Theologi cum D.Thom.in 2.2.q.59.art.4. Et ratio est, quia iustitia ad hoc obligat, ut des alteri, quod illi iure debetur, iuxta illud Vlpiani; *Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi*: At nō dare alteri, quod illi iure debetur, est peccatum mortale in re graui, quia est aperta iniustitia, quām passim detestatur scriptura. Psal.5.6. *Non permanebunt iniusti ante oculos tuos*. Et Psal.36.28. *In iniusti punientur, & semen impiorū peribit*. Et Deuter.25.16. *Abominatur Dominus eum, qui facit hæc, & auersatur omnem iniustitiam*. Et apud omnes gentes solet grauiter animaduerti in eos, qui iustitiam violarunt, ut in fures, homicidas, raptore, falsos testes, corruptos iudices, & id genus hominum perditorum.

10 Hæc obligatio iustitiae, tametsi affinis sit obligatiōni fidelitatis (vtraque enim astringit, ut non violes ius alterius.) Tamen re ipsa ab ea differt, & multo maior est. Nā maius ius est, quod oritur ex contractu oneroso, quām quod ex simplici promissione. Primo, quia promissio potest facilis renocari, quam contractus. 2. promissio solum tribuit ius remotum ad rem promissam, 3. si promissor non soluat, non tenetur ad cōpensationem lucri cessantis; at contrahens, si violet contractum, tenetur. 4. promissio non impedit, quo minus res promissa dicatur postea gratis dari; contractus autem impedit donationem gratuitam. Denique maior censetur iniuria, si quis centum aureos ex contractu oneroso debitos non soluat, quām si ex liberali tantum promissione deberentur.

20 *Quarta Conclusio*. Virtus Religionis, qua obligaris promissum aut pactum iuratum præstare, ne sis periurus; per se obligat sub mortali. Nam periurium est peccatum mortale, & quidem grauissimum, ut omnes factentur

tentur cum D.Thoma in 2.2 q.89.art.3. Ratio est, quia qui falsum iurat, facit Deum, quantum in se est, approbare falsum; quæ est atrox iniuria. Hinc grauissimæ pœnae constitutæ sunt in periueros. Apud Scytas & Ægyptios plectebantur capite. Apud Indos, manuum pedumque extremorum accisione. Iure ciuili sunt infames, si periurium sit in nocumentum alterius: Glossa in l. si quis maior, C.de transactionibus. Iure canonico sunt etiā infames, cap.infames, & cap. Quicunque, 6.q.1. quod intellege, si res est notoria. Vide Couarru. in cap. 21.

21 Ex dictis constat, quanta sit obligatio promissio-nis. Nam si gratuita sit, obligat duplici titulo: si onero-sa, triplici: si iurata, quadruplici. Et omnis hæc obliga-tio, excepta una, ut plurimum est sub mortali. Nunc ad præcipuam quæstionem accedamus.

C A P V T VII.

*An in promissione valida & obligandi vim habente,
seruanda sit hæreticis fides?*

1 **H**actenus ostendi, quænam sit promissio valida & quanta sit eius obligatio? Nūc queritur, an si aliàs valida sit, & reuera vim obligandi habeat; desinat obligare ex eo præcisò, quod hæretico facta sit; & cōsequen-ter, an tenearis implere, quod hæretico promisisti?

2 Suppono, quosdam esse casus, in quibus promissio aliàs validâ, desinit obligare, ex sententia Theologo-rum & Canonistarū. Primò, si res promissa fiat illicita, vel inutilis, vel impossibilis. 2. Si status rerum vel perso-narum ita mutetur, vt promissor secundum iudicium prudentum non videatur illum euentum voluisse cō-prehendere; quod ex conditione rei promissæ, promis-sionis, & promissarij dispositione, cæterisque cir-cumstan-

cumstantiis iudicandum est. 3. Quando duo vicissim si-
bi aliquid promiserunt, & alter non vult impedire pro-
missum. Tunc enim alter non tenetur, sed potest ut
compensatione. Hic habet locum ille versiculus; *Fran-*
genti fidem, fides frangatur eidem. 4. quando aliquid pro-
missum est ob causam, quae non subest, ut si promiseris,
quod putas te accepisse ab ipso aliquod beneficium,
cum non acceperis. Tunc enim non teneris implere,
Vide *D.Thom.in 2.2.q.110.art.3. ad 5. Caietanum ibid. q.*
113.art.1.sub fin. Nauar.in Manualc.18. n.7. & alios. In
his & similibus casibus definit promissio, alias validè
obligaret, siue Catholicis facta sit, siue hæreticis.

3 Nunc difficultas est, an extra hos casus, ex eo præ-
cisè desinat obligare, quia hæreticis facta est; vel, an
præter casus enumeratos, adiiciendus sit aliis, nempe
hæresis? Catholici duo docent. Primo, Hæreticis non
facilè promittendam esse fidem. 2. Si tamen promissa
sit, seruandam esse. Hæc breuiter explicabo per duas
conclusiones.

4 *Prima conclusio.* Cum Hæreticis non facilè ineti-
di sunt contraetus, conuentiones, fœdera, pacta, siue
publica, siue priuata, propter tres potissimum causas.
1. propter periculum subuersionis. 2. propter scanda-
lum. 3. propter ipsorum improbitatem.

5 De periculo subuersionis generatim intelligi po-
test illud Ecclesiastici 13.1. *Qui tetigerit picem, inquinabitur*
ab ea, & qui communicauerit superbo, induet superbiam.
Quod maximè verum est de superbia hæreticorum.
Speciatim vero est illud 2.Timoth.2.17. *Sermon eorum, ut*
cancer serpit. Loquitur de hæreticis, quos ait subuertere
quorundam fidem. Et ratio est, quia hæresis est instar
morbi cuiusdam contagiosi: sicut ergo nemo prudens
facilè agit cum homine habente morbum contagio-
sum, ne veniat in periculum salutis corporalis; ita nemo

prudens facile debet agere cum hæretico , ne det se in
discrimen salutis animæ, propter hanc causam Deus in
veteri testamento prohibuit Iudæis fœdera, societas,
& amicitias cum Gentilibus, ne scil. ex eorum conuer-
satione deficerent à vera fide Dei, & colerent idola; vt
*Exodi 34.12. Caue, ne unquam cum habitatoribus terra illius
iungas amicitias, quæ sunt tibi in ruinam: sed aras eorum
destrue, confringe statuas, Lucosque succide. Noli adorare Deum
alienum. Dominus zelotes nomen eius. Deus est æmulator. Ne
ineas pactum cum hominibus illarum regionum: nec uxorem de
filiabus eoru accipies filii tuis, ne fornicari faciant illos in Deos
suos.* Et Deuter. 7. 3. Non inibis cum eis fœdus, neque sociabis
cum eis coniugia. Filiam tuam non dabis filio eius; nec filiam il-
lius accipies filio tuo, quia seducet filium tuum, ne sequatur me,
& vt magis seruiat Diis alienis. Et alibi similia habentur.
Porro, quantum sit hoc periculum , & quam nocens
contagio, restantur non solum antiqui Iudæi, qui olim
plurimi à gentilibus peruersi sunt; sed etiam Christiani
qui fidem & salutem perdiderunt. Et quotidiana docet
experientia, quām multi passim in omnibus penè locis
præsertim in Germania, Gallia, Belgio, vicinisque pro-
uinciis, reliqua Catholica Ecclesia, ad Lutherum aut
Calvinum sese receperint.

6 De scandalo res æquè clara est. Constat multos
rudiores ac simpliciores scandalum pati, & in errorem
induci, cum vident, suos Principes , aut viros nobiles,
aut potentes, aut doctrina excultos, cum hæreticis con-
uersari, pacisci, matrimonia inire, Baptismum celebra-
re, & similia agere. Putant enim eos, hac sua conuersa-
tione , doctrinam & mores hæreticorum approbare;
ac proinde se quoque errare non posse, si ipsorum exē-
plum imitentur. Vnde paulatim fit , vt apertè incipiāt
hæresin pro vera doctrina amplecti & propugnare; nec
alio argumento tueri se possint , quām quod præten-
dant

dant, tales viros errare non posse, seque bona conscientia illorum vestigiis posse insistere. Hac re nihil notius in Germania, & vicinis regnis. Atque utinam habemus multos Eleazaros similes, qui mori maluit quam scandalum dare, Praeclarâ illa vox ipsius; *Non enim etati nostrâ dignum est fingere, ut multi adolescentes, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum: & ipsi propter meam simulationem & propter modicum corruptibilis vite tempus decipiuntur, & per hoc maculam atque execrationem meâ senectuti conquiram.* 2. Machab. 6. Et Apostolus 1. Corin. 8. 13. de se ait; *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in eternum ne fratre meum scandalizem.*

7 De improbitate hæreticorum testatur Apostolus 2. Timoth. 3. 2. *Erunt homines seipso amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores, magis, quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* En quanta & quam multa hæreticorum flagitia hic recensentur. An putas eos, qui huiuscmodi improbitatibus pleni sunt, fidem promissam seruatueros? Non opinor. Vnde adiecit Paulus; *Et hos decuita.*

8. *Secunda conclusio.* Tametsi cum hæreticis non facile paciscendum sit, ut ex dictis patet, nihilominus tamen, si cum illis pactum aut fœdus iniuiisti (si quidem nihil aliud obstat quam hæresis) debes integrè, & sincerè fidem illis seruare, non minus, quam Catholicis. Ratio sumitur ex dictis. Nam virtutes illæ, ex quibus oritur obligatio seruandæ fidei in promissis, æquè non obligat, siue apud Catholicos, siue apud hæreticos versemur. Nusquam enim licet mentiri; nusquam ius alterius violare; nusquam iniustitiam com-



mittere; nusquam periurum esse. Et sanè; si semel concedas, hæc ideo licet fieri, quia hæretico mentiris, hæretici ius violas, hæretico iniuriam facis, hæretico periurus es; quid ni consequenter dicas; licere tibi hæreticum occidere, furto res eius auferre, odio eum prosequi? quæ omnia absurdâ sunt, & diuinæ legi repugnantia.

9 Hæc ratio confirmari potest ex iis, quæ supra dixi, in hunc modum; Quæ intrinsecè & ex natura sua sunt mala & illicita, nunquam bene & licetè fieri possunt, quocunque prætextu fiant: at qui mendacium, violatio iuris alterius, iniustitia, & periurium, intrinsecè & ex natura sua sunt mala & illicita: Ergo nunquam bene & licetè fieri possunt, quocunque prætextu fiant. Ergo siue apud Catholicos, siue apud hæreticos sis mendax, perfidus, iniustus, & periurus, æquè reus es, & æquali scelere te obstringis.

10 Secundò confirmatur ex scripturis in hunc modum; Quando fideles paciscuntur cum gentilibus & idololatris, debent illis seruare fidem, in rebus licitis & honestis: Ergo etiam quando paciscuntur cum hæreticis. Hi enim non sunt deterioris conditionis in hac re, quam illi. Imò magis coniuncti sunt fidelibus, quia cum illis agnoscunt unum verum Deum, quem Gentiles idololatræ non agnoscunt. Antecedens probatur exemplo Iosue & aliorum principum populi Israelitici, qui cum pactum & amicitiam iniiscent cum Gabaonitis (qui erant infideles & idololatræ) tametsi ab illis decepti essent, tamen ita religiosè & sincerè fidem illis promissam seruarunt, ut non solùm vitam, de qua pacti erant, eis darent, sed etiam contra vicinos hostes bello tuerentur.

11 Quod autem rectè & laudabiliter id fecerint, imò facere debuerint, tribus argumentis probari potest.

Primò,

Primo, auctoritate ipsius Iosue, & aliorum Principum. Cum enim plerique e populo putarent Gabaonitas iure occidi posse, nec fidem illis seruandam esse, eo quod dolo pactum extorsissent; opposuerunt se Principes & dixerunt; Iurauimus eis in nomine Domini Dei Israël, & idcirco non possumus eos contingere. Iosue 9.10.

12 Deinde, miraculo res comprobata est. Nam Gabaonitæ, cum propter fœdus cum Israëlitis initū à vicinis Regibus bello infestarentur, iure fœderis perebat subsidium à Iosue. Nec mora. Iosue memor pacti & societatis, cum armatis viris profectus est, ut arceret hostem & Gabaonitas defenderet, sit prælum. Deus, ut ostenderet gratiam sibi esse pactorum fidem, nō modò victoriā concessit Israëlitis, sed etiam nouo miraculo cohibuit solem, ne occumberet, ut tanto plus temporis esset ad hostem interimendum. Verba Scripturæ sunt, Iosue 10. 13. *Sicut Sol in medio cœli, & non festinans occupare spatio umbras diei, obedienti Dominis voci hominis, & pugnante pro Israël.*

13 Tertiò, sicut Deus concessit Iosue hanc victoriā propter fidem seruatam; ita propter eandem violatain grauissimè puniuit Saülem Regem & uniuersum populum. Res ita habet. Gabaonitæ pacti erant cum Iosue de vita, ut dictum est. Post centum annos & amplius, Saül Rex, non obstante hoc pacto, multos eorum interfecit. Nec impunè. Nam, ut scriptura loquitur lib. 2. Reg. cap. 21. 1. *Facta est famæ in diebus David tribus annis iugiter. En vindictam, causa sequitur. Et consuluit David oraculū Domini. Dixitque Dominus propter Saul, & domū eius sanguinū, quia occidit Gabaonitas. Vocatis ergo Gabaonitis, rex dixit ad eos. Quid faciam vobis? & quod erit vestri piaculum, ut benedicatis hereditati Domini. Dixeruntq; ei Gabaonitæ. Non est nobis super argento & auro quaestio, sed contra Saul, & contra domum eius. Denatur nobis septē*

viri de filiis eius, ut crucifigamus eos Domino in Gabaa. Et ait rex. Ego dabo, Et dedit eos in manus Gabaonitarum, qui crucifixerunt eos in monte coram Domino. Et reprobatus est Deus terra post haec. Vides quam grauiter punitus fuerit Saül in suis posteris, eo quod fidem datam violasset?

14 Nec desunt similia exempla. Sedecias rex fœdus percussérat cum Nabuchodonosore rége Babylonis. Visam fuit ab eo resilire, & contra datam fidem agere; tum quod Nabuchodonosor esset gentilis & idololatra, tum quod multis annis populum Iudæorum afflixit. Quid factum: propter hanc perfidiam, non modo regni & oculorum amissione, sed etiam misericanda suorum clade; & urbis vastatione punitus est.

15 Simeon & Leui, filii Jacob, cum Sichemitis pacti erant de contrahendis ultro citioque matrimonii, hac conditione, ut Sichemita omnes circumcidentur. Factum est. Omnes circumcisí sunt. Quid verò illi: Contra pacta conuenta, circumcisos occiderunt: quo prætextu: quod stuprum à Sichemitis patratum vilescei vellent. Sed quia perfidia intercessit, meritò à parente audierunt; *Simeon & Leui fratres: vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea: quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum.*

16 Hæc ex sacris historiis petita. Ex prophanis hoc accipe. Vladislaus Poloniæ & Hungariæ rex, magnis contra Turcarum Imperatorem Amuratem potitus victoriis, cum è bello in patriam rediret, inducias cum hoste pactus est, & iuramento confirmauit. Non multò post, cum iterum ad bellum redintegrandum sollicitaretur à nonnullis Principibus Christianis, cœpit perplexus esse, quid potissimum faceret. Hinc incitabat illum gloria recentis victoriae, & multorum cohortatio;

tatio; illinc auocabant induciæ cum hoste pactæ. Vicit tandem altera pars. Igitur contra datam fidem bello Amutatem inuadit. Vt rime pugnatur acriter. In progreßu, cùm premi se, & constringi videret Amurates, multis suorum amissis, magnō clamore, in hanc vocem erupit; *Christe, si Deuses, ut Christiani tui de te perhibent, vindica perfidiam tuorum, qui contra pacia iurata bello me inuidunt.* Mira res. Alea prælij mox mutata. Vladislaus in medios Turcas impetum faciens, equo excutitur, & capite truncatus, perfidiæ pœnas dedit. Refert Georgius Scheldius in suis ad Tarnouianam Disputationem notis, & alij complures.

17. Ex his concludo; gentilibus idololatris, & Turcis Fides seruanda est, cur non etiam hæreticis? Nec obstat quod hæretici fidem Deo non seruent. Hoc enim non pertinet ad contractus humanos, de quibus, hic agimus; sed diuino iudicio relinquendum est. De quo alio loco disputatur.

C A P V T VIII.

An seruanda sit fides hæreticis in casu excommunicationis?

1. **O** Stendi, solam hæresim, si nihil aliud obstat, non impedire, quo minus seruanda sit fides Hæreticis. Nunc vtetius in particulari disquirendum est. 1. an seruanda sit illis fides in casu Excommunicationis? 2. An in contractu matrimonij? 3. An in negotio libertatis fidei vel religionis? 4. An in bello? 5. An in saluo conductu? De singulis agam per singula capita.

2. Hic ergo queritur, an in casu excommunicationis seruanda sit illis fides? Catholici, quia docent hæreticos excommunicatos vitandos esse, nec cum illis habendum commercium; putantur etiam docere, non

esse illis fidem seruandam. At non ita est. Longè diuersa sunt hæc, ut deinceps patebit. Res autem sic habet.

3. Hæretici dupli^c titulo vitandi sunt. 1. Ratione hæresis. 2. ratione excommunicationis. Ratione hæresis vitadi sunt iure diuino ac naturali in his tribus casibus. Primò, in illicita communicatione in rebus diuinis. Secundò, in periculo subuersionis. Tertiò, si timeatur scandalum. Hinc sequitur primò, non licere cum iis sumere Synaxin more Caluinistico; sicut nō licet cum Ethnicis idola colere. Hæc enim communicatio in rebus diuinis est illicita, quia est contra veram fidem. Secundo sequitur, homines indoctos, simplices & natura fragiles ac inconstantes, non debere multum agere cum hæreticis, quia facillimè peruertuntur, & in errorem inducuntur. Tertiò, neq; doctos & constantes debere cum illis versari, quando probabile est, alios inde scandalum passuros. E contrario sequitur, extra hos tres casus, licitam esse iure diuino & naturali eorum conuersationem, modò aliis sit honesta.

4. Ratione excommunicationis vitandi sunt iure humano seu Ecclesiastico in his tribus casibus 1. in sacramentorum communione. 2. in publicis suffragiis & precibus. 3. in communi conuictu & familiaritate. Ita D. Tho. & alij Theologi in 4.d.18. & patet passim ex iure canonico, per multos titulos. Vnde sequitur 1. vi excommunicationis, non licere ab eis Baptismum petere (nisi forte in necessitate) aut matrimonia cum illis contrahere. 2. nec publicè pro illis orare. 3. nec ciuiles contractus celebrare, prandium sumere, sermonem miscere; etiam si nullum sit periculum aut scandalum.

5. Hoc ius Ecclesiasticum de vitandis excommunicatis, Propter duos honestos fines institutum est. Primò in commodum & utilitatem delinquentium; vt quando vident se vitari, confundantur & resipiscant, iuxta illud

illud Aopoli. 2. Thessal. 3. 14. *Ne commisceamini cum illo, ut confundatur. Vide Innocentium IV. c. cum medicinalis, de senten. excomm. in 6.* Secundò, in bonum & cautelam aliorum, ne inficiantur, iuxta illud 1. Cor. 5. 6. *Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Hinc patet, non solos Excommunicatos, sed etiam alios hoc iure obligatos esse: illos quidem, ut in pœnam delicti maneant separati à communione fidelium; hos vero, qui sani sunt, ne eorum confortio, contagionem trahant.

6 Hoc ipsum ius de vitandis excommunicatis, non tam rigidum est post Concil. Constatinense, quam antea fuerat. Nam licet omnes excommunicati, vi excommunicationis, teneantur abstinere à communione fidelium; tamen à contrario, fideles non tenentur ab illorum consortio se abiungere, nisi vel sint nominatim excommunicati, vel notorij Clericorum percussores. Ita in Concilio Constantiensi, in favorem fidelium, decreuit Martinus V. in quadam constitutione, seu Extrauagante, quæ incipit, *Ad evitanda scandala, ut refert D. Antonius 3. p. tit. 25. cap. 2. & 3. & consentiunt Dominicus Sotus in 4. d. 22. q. 1. art. 4. Caiet. in summa, V. Excommunication, Henriquez lib. 3. c. 5. Suarez tom. 5. d. 9. sect. 2. num. 5. & alij plures.*

7 Hinc sequitur primò, passim in toto Imperio Germaniae & plerisque vicinis regnis, licitum esse Catholiceis (quantum attinet ad ius Ecclesiasticum commune) conuersari cum hæreticis, quia nullus hoc tempore est, quod sciam, nominatim excommunicatus propter hæresin. An autem aliqui sint notorij Clericorum percussores, vnicuique in sua ciuitate aut habitatione constare potest. Dixi, quantum ad ius Ecclesiasticum; quia iure naturali & diuino, tenemur omnes hæreticos, non quidem ratione excommunicationis, sed ratione hæresis, vitare

in tribus casibus supra explicatis; népe in illicita communicatione in rebus diuinis, in periculo subuersionis & scandali. Adieci, quantum ad ius Ecclesiasticum communitate, quia quibusdam in locis, præsertim in Italia & Hispania, propter priuata iura & prohibitiones, non licet cum hæreticis conuersari.

8. Secundò sequitur, non licere vicissim excommunicatis, siue Catholici, siue hæretici sint, sponte se ingenerere in communionem aliorum; quia limitatio, seu moderatio illa iuris Ecclesiastici, non est facta in favorem excommunicatorum, sed reliquorum fidelium; ut patet ex citata constitutione Martini Papæ. Si tamen à fidelibus inuitentur aut sollicitentur ad sermonem, conuictum, vel contractum; possunt obtemperare in re licita; alioqui nullum esset Priuilegium fidelium. Vide Franciscum Suarez disp. 15. sect. 8. num. 7. & alios passim.

9. His positis, examinandum est, an teneamur seruare fidem hæreticis excommunicatis? vel quodd idem est, an sola excommunicatio sufficiens causa sit, propter quam non sit illis seruanda fides? Res facilis est. Nam primo constat ex dictis, si non sint nominatim excommunicati, vel notorij percussores clericorum, non esse vitandos ratione excommunicationis; ac proinde posse nos cum illis validè pacisci & contractus celebrare, non minus, quam cum aliis, ideoque fidem seruandam esse.

10. De aliis, qui nominatim excommunicati sunt, distinguendū est. Si enim cum illis contraxisti, antequam excommunicarentur, si quidem contractus fuit ante a validus, non efficitur inualidus per solam excommunicationem superuenientem; ac proinde manes obligatus ad seruandam fidem, quam in tali contractu promisisti. Ratio est, quia cum excommunicatio sit iuris humani,

non habet maiorem vim, quam illi concessa est à potestate humana: at nulla est constitutio vel lex humana, quæ tribuat illi vim priuandi aliquem suo iure, quod habet ex legitimo contractu; Haberet autem illam vim, si contractum legitimum rescinderet, & invalidum efficeret. Hinc infero, si hæreticus excommunicatus retinet ius suum, quod accepit in contractu tecum inito; proculdubio, tē in conscientia manere obligatum ad præstandum id, quod illi iure debetur.

11 Si autem contraxisti cum illis, eo tempore, cum iam essent nominatim excommunicati: peccasti quidem contrahendo, quia fecisti contra apertam prohibitionem Ecclesiæ communicando cum excommunicatis; contractus tamen validus est, si aliunde non sit defectus; ac proinde teneris seruare fidem. Ita colligitur ex cap. Felicis. §. verum, de pænis in 6. Et probatur inductione. Nam matrimonium cum excommunicato contractum validum est, cap. significasti, de eo qui duxit. Item, valida est professio in Religione excommunicato facta, cap. Cum illorum, de sementia excommunicationis; vt ibi notat Abbas. Similiter, valida est donatio ab excommunicato facta cap. Inter dilectos, de donationibus. Idem ergo de aliis contractibus, nisi aliunde quid obstat, censendum est.

12 Sed occurruunt hic duæ obiectiones. Una est, quod non liceat agere cum eo, qui nominatim excommunicatus est; ac proinde non teneamus seruare illi fidem, præsertim si non possumus, nisi cum illo agendo. Altera est, quod hæretici per excommunicationem videantur priuari dominio ac iure rerum temporalium, vt colligitur ex cap. Cum secundum leges de hæreticis, in 6. Bona hæreticorum dicuntur ipso iure confiscata. Si ita est, ergo quidquid illis promittimus, aut quocunque modo cum illis contrahimus, non habent ullum ius petendi

aut

aut exigendi? Ergo non tenemur illis quicquam præstare.

13 *Quod ad priorem obiectionem attinet, plerique Doctores in eo consentiunt, quod si legitimè contra-xeris cum aliquo nominatim excommunicato, tenearis fidem seruare, nec possis tibi retinere, quod illi ex contractu debetur. Nulla enim lege id permissum est. At discrepant in eo, an debeas ipsi, dum manet excommunicatus, fidem & debitum persoluere, an potius exceptare, dum soluatur ab excommunicatione; de hac re disputat Franciscus Suarez disp. 15. sect. 8.* Hæc tamen difensio parum facit ad nostrum institutum; tum, quia satis nobis est ostendere, seruandam esse fidem hæreticis, etiam nominatim excommunicatis, quocunque modo aut tempore id fieri debeat, tum, quia in Germania & vicinis prouinciis vix unquam solent esse nominatim excommunicati, ac proinde decisio huius questionis parum est nobis utilis.

14 *Altera obiectio est maioris momenti. In ea petitur, an excommunicatio priuet hæreticos omni dominio ac iure temporali? Dixi paulò ante, non priuare: Et ita res habet. Quod obiicitur ex iure canonico, Hæretorum bona ipso iure confiscata esse; verum quidem est, sed non vi excommunicationis. Ut hoc melius intelligatur, notandum est, varias pœnas, partim iure canonico, partim ciuili, in hæreticos constitutas esse. Prima est, Excommunicatio, cap. cum Christus, & cap. sicut ait, & cap. Ad abolendum, & cap. Excommunicamus, de Hæreticis. Secunda est, priuatio dominij seu Iurisdictionis in subditos, cap. Nos sanctorum, 15. qu. 6. & cap. Iuratos, ibidem. Vbi Gregorius VII. & Urbanus II. absoluunt etiam subditos iuratos, ne teneantur dominis suis excommunicatis obsequium præstare; & prohibent etiam ne præstent. Tertia est, priuatio dominij in bona temporalia, in quæ*

quæ fiscus acquirit ius, cap. Cum secundum leges, de Hæreticis in 6. vbi sic dicitur: *Bona hæretorum ipso iure decernimus confiscata.*

15 Et hæc quidem sunt pœnæ Ecclesiasticæ. Nec pauciores Imperioriæ, ut patet C. de Hæreticis, per multas leges. Ac primo quidem puniti sunt mulcta pecuniaria ab Arcadio & Honorio Imperatoribus, l. Cuncti Hæretici. Deinde publicatione bonorum temporalium ab iisdem & Theodosio, l. Manichæos. Postea, exilio à Theodosio & Valentiniano, l. Arriani. Tandem, pœna capitis, l. Quienque, vbi Valentinianus & Martianus ita rescribunt; *Vltimo etiam suppicio coercentur, qui illicita docere tentaverint* De qua re vide D. Augustinum epist. 48. ad Vincentium, & epist. 50. ad Bonifacium & lib. 2. contra literas Petiliani c. 83. vbi ex instituto probat, Magistratum habere auctoritatem animaduertendi gladio in hæreticos, iuxta illud Roman. 13. 4. *Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui male agit.*

16 Hinc iam facile apparet, hæreticos ex eo præcisè, quod excommunicati sunt, non priuari dominio & iurisdictione, siue in subditos, siue in bona temporalia; sed hanc priuationem esse distinctam pœnam ab excōmunicatione, & distincta lege irrogatam. Manet tamen difficultas, an vi huius pœnæ, possis fidem hæretico promissam non seruare: Hoc enim vrgeri potest ex obiectione posita. Nam si hæreticus caret omni iure & dominio rerum temporalium (quocunque ex capite id fiat) nō habebit ius à te quicquam exigendi, ac proinde, licet ratione promissi aut pacti aliquid exigat, non teneberis dare. Respondeo. Duo hic statuenda sunt, quæ rem totam expedient. Vnum est, Leges canonicas & ciuiles, quibus hæc pœna in hæreticos constitutæ sunt, esse merè pœnales. Alterum est, huiusmodi leges non obli-

obligare ad executionem pœnæ ante sententiam Iudicis. D.Thomas 2.2.q.62.art.3. ad 3.

17 Hinc sequuntur hæc Corollaria. *Primum*, licet hæretici per leges pœnales priuentur dominio bonorum temporalium; non tamen tenentur ante sententiam Iudicis spoliare se illis, aut fisco tradere. Ita Syluester V.Hæresi 1.n.12.& seqq. Dominicus Sotus lib.1.de iust. q.6.art.6. Nauarrus in manuali,c.23.nu.66. Valentia in 2.2.q.11.p.3. Azorius lib.8.instit.cap.12.q.3.& alij. *Alterum*, nec post sententiam Iudicis tenentur sua bona tradere aut offerre fisco, quia executio pœnæ non spectat ad ipsos, sed ad ministros Iudicis vel fisci. Tenentur tamen non resistere per vim & fraudem. Ita Azor. ibidem q. 4. *Tertium*, quamdiu hæreticus non priuaturo bonis quoad executionem, eo modo, quo dictum est, habet ius vtendi & fruendi illis; etiam ad donandum & constituendum hæredem, modo absit fraus & dolus. Ita Syluester, & alij, & colligitur ex cap. Cum secundum leges. Ratio sumitur ex voluntate legislatoris, & recepta consuetudine.

18 Ex his facile colligis, si hæretico ex fide promissionis aut pacti aliquid debeas, an teneris præstare, nécne. Ante sententiam Iudicis & executionem pœnæ, teneris illi præstare: post sententiam, Iudici vel fisco, si fueris requisitus. Id tamen raro accidit, præfertim in Germania & vicinis prouinciis. Non enim est in usu, ut bona hæreticorum rapiantur à fisco, nisi aliquid interueniat.

C A P V T I X.

*An in contractu matrimonij seruanda sit fides
hæreticis?*

Matrimonium includit duo, nempe contractum ciuilēm, & rationem Sacramenti. Vnde est hic peculiaris difficultas propter Sacramentum. Catholici duo docent. Primo, tametsi non facile contrahenda sint matrimonia cum hæreticis; si tamen contrahantur, valida esse. Secundo, in iis seruandam esse fidem coniugalem. Vtrumque explicandum est.

2. Prima conclusio. Si Catholici contrahant matrimonia cum hæreticis, & nihil aliud obstat, quam hæresis, validus est contractus. Ita D. Thomas in 4.d.39.q.1.art. 1.ad 5.Nauarrus c.22.n.49. Valentia disp. 10.q.5.p.3.& alij passim. Ratio est, quia hæresis non numeratur inter impedimenta, quæ dirimunt matrimonium: Ergo non obstat, quod minus matrimonium sit validum, si aliunde non sit defectus. Antecedens patet, quia licet inter eiusmodi impedimenta numeretur *cultus disparitas*; hoc tamen intelligitur, de disparitate cultus, quæ est inter fidelem & infidelem non Baptizatum; non autem de illa, quæ est inter Catholicum & hæreticam Baptizatam, vt est communis Doctorum sententia, & in praxi ita seruatur. Ratio discriminis est, quia per Baptismum, qui est quasi ianua reliquorum Sacramentorum, tribuitur ius percipiendi reliqua Sacra menta: Ergo, quia Baptismum suscepérunt, habent hoc ius; alij non habent. Matrimonium autem Christianorum est Sacramentum nouæ legis.

3. Obiici potest canon. 72. sextæ Synodi, qui sic habet; *Non licere virum Orthodoxum cum muliere hæretica, nec Orthodoxam cum viro hæretico copulari; sed si quid eiusmodi ab ullo ex omnibus factum apparuerit, irritas nuptias existimari, & nefarium coniugium dissolui.* Hic planè decernitur, irritum esse matrimonium cum hæreticis contractum. *Respondeo.* Canones illius Concilij non habent auctoritatem, vt ostendit Bellarmin. lib.2.de Roman. Pontifice

fice cap. 28. & libro primo, de conciliis cap. 7. & multi alij. Vnde Beda lib. de 6. æstatibus, in Iustiniano, canones illos vocat Synodum erraticam, & ait à Sergio Pontifice fuisse improbatos.

4 *Altera conclusio.* In tali contractu, cum validus & legitimus sit, sine dubio, alter alteri fidem seruare debet in iis, quæ ad honestum usum matrimonij pertinent. Si enim hoc sit in omni alio contractu legitimo ac valido; multo magis in matrimoniali, qui omnino indissolubilis est. Hinc illud Marthæi 19. 5. Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhæredit uxori sue; & erunt duo in carne una. Et paulò post; *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Et Lucæ 16. 18. *Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram dicit, mœchatur; & qui dimissam à viro dicit, mœchatur.* Et 1. Cor. 7. 10. *Iis autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus: uxorem à viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Et vir uxorem non dimittat.

5 Hæc generatim de fide coniugali. Speciatim vero tradunt Theologi, tria potissimum ad illam spectare. Primum est, ut neuter, viuente altero, cum alia persona copuletur. Nam vinculum matrimonij indissolubile est, nec aliter, quam per mortem alterius dissoluitur. Huc pertinent testimonia citata, & illud Rom. 7. 2. *Quæ sub viro est mulier, viuente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir, soluta est à lege viri.* Igitur viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: Alterum est, ut alter alteri debitum reddat. 1. Cor. 7. 3. *Vxori vir debitum reddat: similiter autem & uxori viro.* Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacatis orationi. Tertium est, ut alter cum altero cohabiter, & simul familiam administrant, ita tamen, ut mulier subdita sit viro, quia vir monet

monet Apostolus 1. Corinth. 11. 3. *Caput mulieris est vir.*
Et 1. Tim. 2. 12. *Docere autem mulierem non permitto neque
dominari in virum*

6. In his tribus consistit fides coniugalis. Et quidem quod ad primum attinet, ita fides seruanda est, ut numquam liceat viro Catholico, viuente vxore etiam haeretica, aliam ducere. Hoc optimè probant loca scripturaræ allegata. Quod vero attinet ad thorum & cohabitationem, potest aliquando propter legitimas causas fieri diuortium, manente tamen vinculo coniugali, ut definitum est in Concilio Tridentino, Sess. 24. can. 8. Theologi assignant tres causas. Prima est, si uterque coniunx ex mutuo consensu voleat perpetuam continentiam, & ad religionem transeat. Matth. 19. 29. *Omnis qui reliquerit dominum, aut uxorem, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam eternam possidebit.* Secunda, potest esse crimen alterius coniugis, ut adulterium, de quo Matth. 5. 33. *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari.* Vel nimia saevitia, ex qua periculum vitae esset; vel instigatio ad peccandum. Matt. 18. 8. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscede eum; & proice ab te,* Vel aliquid simile. Tertia causa potest esse lepra, vel quicunque alias morbus horribilis & contagiosus. Vide Bellarminum de matrimonio c. 14. Valentiam de eadem materia d. 4. p. 2. & alios passim.

7. Hinc infero, si Catholicus accipiat vxorem haereticam, & illa patiatur virum Catholico ritu vivere, filios educare, familiam administrare; nec ullo flagitio, aut morbo impedit vitam coniugalem, debere virum in omnibus fidem illi seruare, non minus, quam si Catholica esset. Cōtra verò, si vel adultera sit, vel ad haeresin pelliciat, vel liberos in haeresi instituat; posse à se eā dimittere, manente nihilominus vinculo coniugali.

Sed, qui si vir promiserit à principio se fore contentum, vt liberi ab vxore hæretica instruantur? Turpis promissio est, & per se irrita: seruari non debet.

C A P V T X.

*An in negotio libertatis religionis fernanda sit
hæreticis fides?*

1. **L**ibertas Religionis potest 2. modis venire in pactum. Primò, vt in aliquo regno, prouincia aut ciuitate, concedatur omnibus libertas sentiendi & sequendi, quod quisque vult; ita vt cuilibet liberum sit, vel Catholicum esse, vel Lutheranum, vel Caluinistam, vel Anabaptistam. Secundò, vt solis hæreticis permittatur libertas exercendi suam religionem inter Catholicos. Nunc quæstio est, an si Princeps vel Magistratus Catholicus de alterutra libertate paciscatur cum hæreticis, debeat seruare fidem necne.

2. De hac re ita statuendum est. 1. Libertatem Religionis omnino esse illicitam, & diuino præcepto repugnantem. 2. Reipublicæ esse perniciosa. 3. non debere præcipi, approbari aut introduci ab ullo principe aut magistratu; sed potius omnibus modis, si commode fieri potest, impediri & profigari. 4. si autem commode impediri nō possit, nisi cum maiori damno aut malo Reipublicæ, aliquo tempore tolerari posse. 5. & si hoc modo toleretur, & in pactum dederetur fidem seruandam esse. Hæc Catholicorum sententia est, quæ paucis conclusionibus erit explicanda.

3. *Prima Conclusio.* Libertas Fidei ac Religionis planè illicita est, & Christianæ doctrinæ contraria. Hoc patet ex decursu totius noui testamenti. Sanè, in Euangelio multa sunt, ex quibus constat; Christum vnam fidem mandasse, variam ac multiplicem prohibuisse. *Primò,* voluit

voluit vnam tantum esse Ecclesiam, vnum ouile, vnum pastorem, vnum Baptismum. Hæc autem siue veritate fidei consistere non possunt. Secundo voluit discipulos suos attēdere à falsis prophetis: at in multiplici religione necesse est, alios esse veros, alios falsos Prophetas, Ergo, si hi excludendi sunt, fides vna retinenda est, varia explodenda. Tertio, voluit Ecclesiam suam esse perpetuam, cui omnes inferorū potestates resistere non possint: at perpetua esse non potest, si vna omnium fides non sit, quod ipse testatur *Lucæ 11.17. Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur.*

4. Apostoli disertis verbis id confirmant. *Roman. 16.17. Rogo autem vos fratres, ut obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula preter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis. Gal. 1.8. Licet nos aut Angelus de caelo euangelizet vobis, preterquam quod euangelizauimus vobis anathema sit. 1. Corinth. 1.10. Obsecro vos fratres, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. 1. Corint 14. 33. Non enim est dissentionis Deus, sed pacis. Eph. 4. Vnus Dominus, vna Fides vnum Baptisma. Heb. 13.9. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Vides quam seriò, quam sollicitè & grauiter hortetur Apostolus, vt vnitatem fidei retineamus. Quod non faceret, si libertas indulgeri possit.*

5. *Secunda conclusio.* Hæc ipsa libertas, de qua agimus, Reipublicæ noxia & periculosa est, non modo, quoad salutem animarum (de qua re dubitari non potest) sed etiam quoad pacem & tranquillitatem politicam quæ sine veritate fidei cōseruari nequit. Hoc testatur Christus, cum ait; *Omne regnum in se diuisum desolabitur.* Hoc testantur omnes authores sacri & prophani, Christiani & gentiles. Inter cæteros præclare tractat hoc argumentum Iustus Lipsius in libr. contra Dialogistam de vna religione.

6. Exempla suppetunt propè infinita. Quas turbas
toto Oriente excitarunt Artiani? quas in Græcia Ma-
cedonianis quas in Africa Donatistæ & Circumcellio-
nes? De his Augustinus epist. 68, ad Ianuarium Dona-
tistam sic habet; *Péiora mala nobis vestri non faciunt: non*
tantum non fustibus quassant ferroque concidunt; verum etiam
in oculos exinguendos, calcem mixto aceto, incredibili excogi-
tatione sceleris mittunt. Domus insuper nostras compilantes, ar-
ma, sibi ingenia & terribilia fabricarunt, quibus armati per di-
uersa discurrunt, comminantes atque anhelantes cedes, rapinas,
incendia, cacitat s. Quibus rebus compulsi sumus tibi conqueri.
Et paulo post *Vos dicitis pati persecutionem, & nos ab arma-*
tatis vestis fustibus & ferro concidimur. Vos dicitis pati persecu-
tionem, & nostra domus ab armatis vestris calce & aceto ex-
tinguntur. Plurā ibidem in eandem sententiam. Similia
sunt quę in imperio Romano fecerunt Iconomachi &
Albigensēs; Hussitæ in Bohemia; Caluinistæ in An-
glia, Belgio, Francia, Polonia. Tædet ac pudet referre,
tam nota prodigiosa sunt.

7. Et quid mirum nulla inquam familia fuist, in qua
dissentiens religio, pacem non turbarit. Exemplo sit
discordia inter Isaac & Ismaëlem in familia Abrahæ:
inter Iacob & sacerdotem Laban in Mesopotamia: inter
Mosen & vxorem Sephoram, dum proficiscuntur in
Ægyptu: Quomodo ergo in toto regno, prouincia;
ciuitate; pax & concordia sperari potest, vbi religio-
nis ac fidei summa est discordia? Vedit hoc olim Iulia-
nus Apostata, qui cum Christianorum Ecclesiam tur-
bare ac pessundare vellet, libertatem & varietatem
doctrinarum introduxit. Refert Ammianus & ex illo
Lipsius luce supra citato.

8. Accedit duplex ratio. Prior, quia vbi est animo-
rum dissensio, ibi pax esse non potest: atqui summa est
animorum dissensio, vbi sectæ, schismata & diuinitia
doctrina

doctrinarum sunt: Ergo paci & concordiae locus non est. Altera, quia impossibile est, inter superbos seruari unitatem & amicitiam, at ubi haeresis, ibi superbia: frustra ergo de unitate conseruanda cogitatur. Hinc infero. Cum haeretici superbi sint, sane si à nobis dissident in sacramentorum administratione, si templa & monasteria nostra euertunt, si altaria & imagines destruunt, si Episcopis & Clero illudunt, si ritus & ceremonias contemnunt, si sacrificia, ieiunia, & dies festos execrantur; quomodo in rebus politicis concordiam & pacem nobis secundum possunt? Id præter consuetudinem & ingenium illorum est. Qui olim coniunctiores, quam Iudei & Israëlitæ? At postquam altare contra altare, templum contra templum erectum est; mox inexpibili dissipatio dissecuti & dissociati sunt.

9. *Tertia conclusio.* Libertas Religionis non debet præcipi, approbari, aut introduci ab ullo principe vel Magistratu Catholico; sed omnibus modis quantum commode fieri potest, impediri & profligari. Primo, quia contraria est diuino præcepto. Secundo, quia turbat pacem & tranquillitatem Republicæ. Vtrumque patet ex dictis. Hinc in Ecclesia toties coacta Concilia, ut unitas fidei seruaretur, libertas & varietas impeditur. Hinc optimorum Imperatorum severissimæ illæ leges l. Nullus, C. de summa Triuitate & fide Catholica; Nullus hereticis ministeriorum locus, nulla ad exercendam animi obstinationis clementia pateat occasio. Sciant omnes, etiam si quid speciali quolibet rescripto per fraudem ab huiusmodi hominum genere impetratum sit, non valere. Arceantur cunctorum hereticorum ab illiciis congregationibus turbæ: unius & summi Dei nomen ubique celebretur. Nicæna fidei dudu à maioribus traditæ, & diuinæ religionis testimonio aique assertione firmata obseruans semper mensura teneat. Et infra; Si quid erupcio factiosa tentauerit, ab ipsis etiam urbiat mœniibus ex-

terminato furore propelli iubemus, ut cunctis Orthodoxis Episcopis, qui Nicenam fidem tenent, Catholicæ Ecclesiæ toto Orbe reddantur. Et l. Cuncti, C. de Hæreticis & Manichæis. Cuncti heretici procul dubio nouerint omnia sibi loca adimenda esse, &c. Vide plures leges ibidem.

Nec dissimilia Imperatorum facta. Constantinus Magnus, damnatū Arrium vna cum Eusebio & Theognide in exilium misit : & omnibus exilium minatus est, qui Nicæno Concilio non acquiescerent. Iouinianus à militibus Imperator postulatus, tum demū oblatum Imperium se suscepturum affirmabat, vbi omnes, qui ipsi atque Imperio Romano militarent, vnius Christiani fidei professores se esse velle testarentur, ratu nimirum quod res est, cum diuersa religione Imperij vires satis firmas esse non posse. Omitto Theodosios, Martianum, Iustinianum, Aurelianum, Gratianum, Iustinum, Carolum Magnum, alios similes ; quorum historiæ notæ sunt. Consultat Baronium & alios, qui volet.

11. Venio ad Episcopos. Hic primus occurrit D. Ambrosius, acerrimus unitatis fidei defensor & antistes. Mandabat illi Imperator Valentinianus, à Iustina matre fœmina Ariana persuasus, ut templū permitteret Arrianis, afferēs, tunc pacem & tranquillitatem fore in Imperio, si illis etiam, qui diuersæ sunt religionis, certus locus, in quo habeant exercitia concedatur.

Quid porrò Ambrosius? Audi, quid ipse de se scribat in Epistola 33. ad Marcellinam sororem. Postridie, inquit, quā accepi tuas literas, quibus significaueras, quod te exagitarent somnia tua, moles inquietudinum grauium cœpit moueri. Nec iam Portiana, hoc est extramurana Basilica petebatur, sed Basilica noua, hoc est, intramurana, quæ maior est. Connenerunt me primò Principes virtutum, viri comites consistoriani, ut & Basilicam traderem, & procuratorem, ne quid populus

populus turbarum moueret. Respondi, quod erat ordinis, templum Dei tradi à sacerdote non posse. Et infra; Conuenior ipse à comitibus & Tribunis, ut Basilica fieret matura traditio, decentibus Imperatorem iure suo uti, eo quod in potestate eius essent omnia. Respondi si à me peteret, quod meum esset, id est, fundum meum, argentum meum, me non refragaturum, verum ea quae diuina, Imperatoria potestati non esse subiecta.

Et iterum. Mandatur denique. Trade Basilicam. Respondeo. Nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere, Imperator expedit. Domum priuati nullo potes iure temerare: domum Dei existimas auferendam? Allegatur, Imperatori licere omnia: ipsius esse universa. Respondeo. Noli te grauare Imperator, si putes te in ea quae diuina sunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere: sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est, Quae Dei Deo, quae Cesaris, Cesar. Ad Imperatore palatia pertinent: ad sacerdotem Ecclesie. Publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum. Iterum dicitur mandisse: Debo & ego unam Basilicam habere? Respondi. Non tibi licet illam habere. Quid tibi cum adultera? Adultera est enim quae non est legitimo Christi coniugio copulata.

Et in fine Epistolæ. Denique etiam speciali expressione Galligonus prepositus cubiculi mandare mihi ausus est: Me viuo, tu contemnis Valentianum, Caput tibi tollo. Respondi. Deus permittat tibi, ut impleas quod minaris. Ego enim patiar, quod Episcopi: tu facies, quod Spadones. Haec tenus ex Ambrosio,

12. Idem animus fuit Ioanni Chrysostomo aduersus Gainam Ducem, hominem Arrianum. Rem gestam scribit Theodoretus libro 5. capit. 33. his verbis. Gainas quidam Scytha genere, animo barbaro, insolentia planè tyrannica, per id temporis Dux fuit. Quem quidem non solum alij omnes, sed etiam Imperator ipse magnopere extimuit. Iste, labe affpersus Arriana, postulabat ab Imperatore unū ex sacris tēplis sibi dari. Imperator autem respondit se de ea re capturum consilium, & unum ei curaturum promitti. Itaque diuino illo Ioan-

ne accersito, ei postulatum Gaina exponit: commemorat eius potentiā: molis i tyrannidem indicat. Orat ut templo donato, fureniem eius animū placet, Cui nobilis ille vir. Ne, inquit istud illi pollice ire, neque sanctum dari canibus mandes. Nam nūquā me equidem patiar ut qui Deum verum sancto & auguste laudibus & hymnis celebrant, expellantur ē sacro templo, idem que tribuatur his, qui contra eum loquuntur blasphemias. Atque ne barbarum illum omnino metuas, Imperator: sed me, & illum in unum locum conuoca, tuque silentio utriusque nostrum sermoni ausculta. Ego certe me hominis linguam refrenatūrum spero, persuasurāmque ne postulet quod ei concedi non debeat. Quibus auditis Imperator vehementer letatur, & postridie eiusdem diei utrumque accersit. Gainas quidem promissum exposuit: magnus autem Ioannes respondet ex aduerso: Non licere Imperatori, qui pietatem colere instituit, aliquid contra res sacras temere moliri. Cui quidem dicenti, Templum sibi dare: respondet Ioannes: Templum sacrū apertum esse, neminemque eum prohibere, quo minus in eo si libeat, Deo prece fundat. Tū Gainas: At ego inquit, alterius sectæ sum, & cum hominibus eius sectæ unum sanctum templum habere postulo. Atqui iste quidem non immerito postulo, quippe qui multa bellica certamina pro Romanis confecerim. At premia inquit Ioannes, tibi properea tributa labores tuos longè superani. Nam Dux es, & honore consulari donatus. Quin etiam debes tecum considerare, qui fueris olim, & quis iam sis: que etiam præterita tua inopia, & in qua tanta abundantia vita degas, quibus quoque vestibus prius indutus es, quam Istrum traieceris, & quibus iam opertus. Completere igitur animo, quam pauci sint labores, & quam ampla præmia: atque noli erga eos, qui tibi honorem hunc detulerunt, ingratis esse. Hac oratione habita, Ioannes celebris totius orbis terrarum Doctor os obturauit Gaina, atque adeo obmutescere coegerit. Temporis autem interullo interiecto, Gaina tyrannidē, qua molitus fuerat, manifeste patifecit: atque collectioni in Thracia exercitu, pradas agere. & multa loca vastare cœpit. Quibus rebus

rebus cognitis, omnes tum magistratus, tum subiecti metu exhorrescere. Atque nemo erat, qui vel cum eo in acie configere animum induxerit, vel legationem apud eum obire se tuto posse existimari. Nam barbaram eius & crudelis animum, quicquid suspectum habuit. Tum ab aliis timidis cunctis ad hunc fortissimum virum deuentum est; qui nihil moratus, neque prioris refrigerationis, neque naturae ex illa discordia memoria, animo prompto hanc legationem in Thracia obiit. Quare indicata Ginea, recordatus ille, qua libertate quondam pietatem defendisset, occurrit Iohanni, longo sane itinere, & manum ipsius applicuit oculis suis. Qui etiam liberos suos sanctis illius genibus admouit. Ita solet virtus percellere, & pudore suffundere etiam immitissimos. Hæc ex Theodoreto Cyreni Episcopo, de Constantia Chrysostomi in propugnanda unitate fidei ac religionis.

Quid dicam de Leone Papa, qui Epistola 76. obiurgat Anatholium Episcopum Constantinopolitanum, quod Catholicis permixtos sinat vivere eos, qui aliam, quam viam Catholicam profitentur religionem: Quid de D. Augustino, qui epistola 129. Olympium Comitem exhortatur, ut Imperatoris leges in Donatistas haereticos constitutas enulget, non aliam ob causam quam quod putaret cum una fide Catholica, diuersas sectas sociari nec posse, nec debere? Longum esset recensere alios, qui dissidia doctrinarum ab Ecclesia Christi severissime proscripterunt.

14. *Quarta Conclusio.* Tametsi princeps aut Magistratus Catholicus omnibus modis impedire debeat Libertatem religionis, ut dictum est; si tam id facere non possit sine grauiori incommodo boni publici, potest eam tolerare, tanquam minus malum, ad evitandum maius, quod alioqui sequeretur. Hæc conclusio fundatur in illo communi axiomate: *Ex duobus malis minus eligendum est, scilicet, si utrumque evitare*

non possumus. Et ratio est, quia in tali casu, illud minus malum non eligitur præcisè, vt malum quod-dam est; sed vt medium utile ad evitandum maius malum; ac proinde eligitur sub ratione boni utilis. Ita sentiunt grauissimi authores. D. Thomas in 2. 2. quæst. 10. art. 11. vbi ex hoc principio probat, ritus gentium & hæreticorum tolerari posse, ad ināius evitandum. Caietanus ibidem, Gregorius de Valentia tomo 3. disput. 1. quæst. 10. p. 7. Molina tract. 2. de iure & iustitia, disp. 335. & alij plures. Consentit D. Augustinus lib. 2. de ordine cap. 4. cum ait. *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaueris omnia libidinibus.* Multa in eandem sententiam scribit D. Gregorius apud Gratianum distinct. 13. cap. Nerui.

15. Idem confirmatur ex parabola zizaniorum, quo adfert Christus Matth. 13. Cum enim quererent serui à patre familias, *Viseamus, & colligamus ea.* Respondit; *Non ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem.* Vult Christus significare, hæreticos aliquando tolerandos esse in medio Catholicorum, præsertim cum periculum est, ne si eradicentur hæretici, simul etiam euellantur Catholicci. De qua re pulchre disputat Maldonatus in illum locum.

16. *Quinta Conclusio.* Si princeps vel magistratus Catholicus, paciscatur cum hæreticis de toleranda libertate religionis, quam sine maiori detrimento impedi-re non potest; sine dubio fides seruanda est, probatur ex dictis. Nam fides seruari debet in omni pacto licito & honesto: atqui licitum & honestum est, tolerare libertatem religionis, ad maius malum evitandum; & de ea toleranda licite & honeste pacisci potest Princeps Catholicus: Ergo si paciscitur, fidem seruare debet.

CAP V T XI.

An in bello hæreticis seruanda sit fides?

1. **E**x dupli capite fieri potest, ut Catholicus Prin-
ceps gerat bellum cum hæreticis. Primò, pro-
pter religionem. Secundò, propter aliam causam ciui-
lem. Si de religione agitur; iam dictum est, quousque
liceat pacisci de libertate religionis. Si causa ciuilis est,
varia spectari possunt in Hæreticis, contra quos bel-
lum geritur. 1. quòd hæretici sint. 2. quod excom-
municati. 3. quod hostes. 4. quod iniustum causam
foueant. Et quidem si præcisè spectetur hæresis vel ex-
communicatio, ex dictis palam est, quid fieri debeat.
hæc enim non obstant, quo minus fides seruanda sit.
De reliquis duobus manet quæstio, res ita habet.

2. *Prima Conclusio.* Si in hæreticis contra quos bel-
lum geritur, nihil aliud spectes, quam quòd hostes sint,
omnino fides illis seruanda est in omnibus promissis &
paëtis, quæ alias licita & honesta sunt. Ita docet D.
Thom. in 2.2.q.40. art. 3. & sumitur ex D. Augustino,
ca. Noli, 23.q.1.vbi ait; *Fides, quando permittitur, etiam
hosti seruanda est, contra quem bellum geritur.* Et ex Ambro-
sio lib. 1. Officiorum cap. 29. *Quanta autem Iustitia sit, ex
hoc intelligi potest, quod nec locis, nec personis, nec temporibus ex-
cipitur, quæ etiam hostibus reservatur: ut si constitutus sit cum
hoste aut locus aut dies prælio aduersus iusticiam putetur, aut lo-
co præuenire aut tempore. Et paulo post. Liqueat igitur, etiam
in bello, fidem & iusticiam seruari oportere; nec ullum decorum
esse posse, si violetur fides.*

3. Et ratio est, quia ad seruandam fidem obligamus
ex virtute Veritatis, Fidelitatis, Iustitiae & Religionis.
Hæc autem obligatio non tollitur per hoc præcisè,
quòd illi quibus promissio facta est, sint hostes & ad-
uersarij.

uersarij. Imò Christus expressè mandat , vt non solum amicos ; sed etiam inimicos diligamus. Matth. 5. 44. *Ego autē dico vobis, diligite inimicos vestros, vt sitis filii Patris vestri qui in cœlis est , qui facit solem suum oriri super bonos & malos.* Sanè , si charitas obligat nos, etiam respectu hostium & inimicorum ; cur non similiter Veritas, Fides, Iustitia, Religio? Et , si culpabile est, odisse hostem ; cur non etiam fidem illi violare ?

4. Est tamen communis exceptio ab hac regula. Non enim tenemur tunc hosti fidem seruare, quando eam ipse nobis non seruat , iuxta regulam iuris in 6. *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo seruari, cui fidem à se praestitam seruare recusat.* Eodem spectat illud vulgare; *Fragenti fidem, fides frangatur eidem.* Vnde, si induciæ ad tempus essent constitutæ & hostis ea non seruaret , neque nos seruare eas teneremur , etiam si iuramento essent confirmatae. Nam pactum semper habet tacitam illam conditionem, *Modò tu illi stes, Modò tu viciissim omnia serues.*

5. Secunda Conclusio. Si in Hæreticis , contra quos bellum geritur , hoc solum spectes , quod iniustum causam foueant; idem de illis iudicandum est, quod de Catholicis iniustum causam fouentibus. Nam in hac respectu vtrorūmque conditio est, vnde hæc duæ regulæ generales seruari debent. *Prior;* Tametsi hostis , quisquis ille sit , foueat iniustum causam ; si tamen cum illo liberè pactus est in re aliâs licita & honesta , ita ut nulla vis , metus , aut dolus ex parte illius interuenierit ; teneris illi seruare fidem. *Altera;* si autem vi, metu aut dolore ad paciscendum te induxerit, poteris pactum rescindere , iuxta ea , quæ dicta sunt superius cap. 3. n. 4. & seqq.

6. Obiici potest exemplum Iosue , qui quamuis dolo inductus esset ad paciscendum à Gabaonitis , putauit tamen

ramen fidem seruandam esse neque pactum rescindendum. *Respondeo.* Iosue voluit praestare fidem, non praecepsè vi pacti, sed vi iuramenti, quo pactum confirmaverat, ut habetur Iosue 9.19. *Iurauimus eis in nomine Domini Dei Israel,* & idcirco non possumus eos contingere.

C A P V T . X I I .

An in saluo conductu seruanda sit hereticis fides?

Per saluum conductum intelligitur publica fides & securitas eundi ad certum locum, & redeundis ut patet ex Bartolo, l. utimur, ff. de spulchro violato, & l. Relegati, ff. de pœnis, & l. Proximum, ff. ad l. Julianam Majestatis.

2. Potest autem duobus modis concedi. Primo, iure communi, ut quando datur alicui securitas contra vim iniustum, salua semper iustitia. Secundo, iure speciali, sunt derogatione iuris communis, ut quando datur securitas contra omnem vim, siue iustum, siue iniustum, praesertim in illa causa, de qua agitur.

3. De priori saluo conductu, qui datur iure communi agit Mynsingerus in observationibus iudicij Imperialis Cameræ, observatione 82. ubi sic habet; *Quando datur alicui securitas, vel saluus conductus, tunc intelligitur solum de violentia, que de facto contra ius infertur. Et ideo meo tempore, cuidam, qui habebat saluum conductum, capto propter delictum vel maleficium, & supplicanti in Camera pro mando de relaxando, & citatione ad vinendum, &c. petit processus à Dominis Assessoribus sunt denegari.* Eodem modo loquitur de saluo conductu Euerardus Speckan iuris Professor Helmstadij, centuria 1. quæstionum Iuris, quæst. 1. §. 18. ubi citat plures authores in eandem sententiam. Et formula, quæ vtuntur Saxones ex Caroliha constitutione,

est

est eiusmodi: *Damus tibi fidem publicam causam dicendi in iudicio, contra vim, non tamen contra iuris executionem.* Ita refert Petrus Bremus in lib. de securitatis promissionibus & fide publica, & Ioannes Molanus l. 2. de fide hæreticis seruanda cap. 3. Eandem formulam secuti sunt Patres Concilij Constantiensis session. 6. *Ad quod à violentia, iustitia semper salua, omnem saluum conductum nostrum, quantum in nobis est, & fides exigit orthodoxa, praesentium tenore offerimus.*

4. De posteriori saluo conductu, qui datur cum derogatione iuris communis, agunt Patres Concilij Tridentini post sess. 15. vbi dicunt, se omnibus Germanis, Catholicis & Hæreticis, largiri publicam fidem & plenissimam securitatem veniendi Tridentum, ibidem manendi, stan-
di, morandi, proponendi, disputandi, &c. illo etiam addito, ut Religionis praetextu aut delictorum circa eam commissorum, aut committendorum minimè puniantur, &c. Et in hac parte dicunt se derogare Concilio Constantensi, quod tam plenam securitatem non concesserat, sed cum illa communis clausula: *Iustitia semper salua.*

5. His positis, questio est, An quando Catholicus Princeps, siue secularis sit, siue Ecclesiasticus, concedit hæreticis saluum conductum liberè veniendi & redeundi (siue id faciat iure communi, siue speciali) debeat illi seruare fidem, necne; Affirmant uno consensu omnes Catholici. Et ratio sumi potest ex dictis. Nam si neque hæresis, neque excommunicatio, vel publica ini-
micitia obstat potest, quo minus fides seruari debeat in pactis licitis & honestis: non video, cur in saluo conductu seruanda non sit. Sanè Carolus V. Imperator, cum D. Martino Luthero V. Vormatiā eunti saluum conductum promisisset; nihil contra datam fidem agi possit est. Quinimò rogatus à quodam Principe, cur homini hæretico fidem non violaret; respondisse fertur,

fidem

Fidem rerum promissarum, etiam si toto Orbe exularet, tamen apud Imperatorem consistere oportere. Praeclara vox, & digna Catholico Imperatore. Vide Molanum l. i. c. 2.

6. Hic valde miror aduersarios, qui etsi hæc audiunt à nobis, passim tamen clamant nos contrarium docere. Obiiciunt exemplum Ioannis Hussij, & Hieronymi Pragensis, quos aiunt accepto saluo conductu, nihilo minus contra datam fidem combustos esse in Concilio Constantiensi. Addunt, Patres illius Concilij disertis verbis definitisse, non esse hæreticis seruandam fidem. Denique hanc causam obtendunt, cur ipsi ad Conciliū Tridentinum, etsi oblatō saluo conductu, venire recusarint. *Quid agamus cum his hominibus? Similes sunt ut dixi Pharisæis, qui tametsi ex Christo audiissent, Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo; tamen ausi sunt illi obiicere palam coram Pilato; Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributare Cæsari. Planè sic agūt nobiscum Aduersarij. Privatum, publicè, verbo, claamo, docemus & protestamur, fidem seruandam esse hæreticis; & tamen in contrariam sententiam, vel iniuitos trahere nos volunt.*

7. Sed videamus, quid adferant. Aiunt Ioanni Hussio fidem violatam esse. Nego. A quo violata est? An à Patribus Concilij Constantiensis? At Patres fidem illi non dederunt. An ab Imperatore Sigismundo? Is dedit quidem, sed non violauit. Imò, nec Patres. Hoc variis argumentis probarunt alij. Ego hoc duplici contentus sim. *Alterum est, Qui dat saluum conductum iure communi nihil aliud dat, quam securitatem contra violentiam iniustam, salua semper iustitia, & iuris executione, ut supra ex Iureconsultorum sententia probatum est: Atqui Imperator dedit Ioanni Hussio saluum conductum iure communi: Ergo nihil aliud dedit, quam securitatem contra violentiam iniustam: Hanc autem*

autem præstitit, quia nihil iniuste passus est Ioannes Hussius: Ergo fidem illi seruauit. Imò combustus est, inquiunt. Fateor combustum esse, sed non iniuste. Primo, quia Imperator, cum daret saluum conductum, sub pœna capitis prohibuit illi fugam: At Hussius, contra hanc prohibitionem fuga clausus est; Iuste igitur puniri potuit. Secundò, quia retractatus à fuga, noluit hæresi abjurare. At leges Imperatoriz pœnam capitis decernunt in hæreticos pertinaces, *i. Quicunque, C. de Hæreticis.* Nulla ergo iniustitia intercessit.

8. Quid hic dicent Aduersarij pro suo Hussio? sane si illum tueri velint, alterutrum negent necesse est, aut clam fugisse illum, aut in hæresi fuisse pertinacem. At neutrum negare possunt. De fuga testantur omnes probi anthores. Nauclerus generat. 48. Cochleus libr. 2. Historiæ Hussitarum & alij. Elegantissime Campianus in rationibus, quas obtulit Academicis Angliæ, rat. 4, vbi sic habet; Sed nec in Hussium tamen animaduersum fuisse, nisi homo perfidiosus & pestilens, retrahatus ex fuga, qua ei Sigismundus Imperator periculo capnis interdixerat, violatis eiam cōditionibus quas scripto pepigerat cum Cesare vim omnem illius diplomatis eneuasset. Et quamvis V Vitakerus Calvinista, qui aduersus Campianum scripsit, dicat illum mentiri de fuga Hussij (non etiam aliud occurrebat quod diceret) alij tamen Calvinistæ ingenuè fatentur, quod res est, præsertim Laurentius Humfredus, Theologus Oxoniensis, qui ingenti volumine eundem Campianum aggressus est. Is, inquam, fatetur, Hussium Constantiā clam profugisse. Sed factum excusat dupliciter. Primo videbat, inquit Hussius se obseruari à Patribus, & suspectum haberi; ideoque fugam arripiuit. Secundò, fugerunt eodem tempore tres Pontifices, Ioannes Benedictus, & Eugenius. Non ergo culpandus Hussius. Verum, neutra excusatio sufficit.

Non

Non prior, quia Patres meritò obseruabant illum, quem sciebant palam professum esse hæresin in Bohemia; ne fortè & Constantiæ virus suum proseminaleret. An ideo contra datam fidem fugiendum erat? Nec posterior, quia culpa vnius non potest patrocinari culpæ alterius. Fugerint sanè Pontifices (de quo iam non dispuo) an propterea licuit Hussio contra conuentu pacta, impunè fugere? Nisi fortè, quia Iudas proditor fuit, aliis impunè liceat proditores esse. Non sic, mi homo.

9 Sat de fuga. Iam, quod hæreticus fuerit Hussius, Aduersarij negare non possunt. Tenuit ille, & pertinaciter defendit doctrinam VViclefi, cuius inter cætera, sunt hæc capita 1. *Deus debet obedire diabolo.* 2. *Si Episcopus, vel Sacerdos existat in mortali peccato, non ordinat, non conficit, nec baptizat, nec consecrat,* 3. *Nullus est dominus ciuilis, nullus est Prelatus, nullus Episcopus, dum est in peccato mortali.* 4. *Omnia de necessitate absoluti eueniunt.* 5. *Iuramenta illicita sunt, quæ sunt ad roboram humanos contractus, & ciuilia commercia.* 6. *Contra sacram scripturam est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones.* 7. *Augustinus, Benedictus, Bernardus, damnati sunt, nisi penituerint de hoc, quod habuerint possessiones & intrarunt Religiones.* 8. *Omnes Religiones indifferenter introductæ sunt à diabolo.* Ita refert Concilium Constantiense sessione 8. Cochleus lib. 1. historiæ Hussitarum, Sanderus lib. 7. Monarchiæ, & alij. Hæc autem dogmata planè hæretica sunt, quod etiam Lutherani & Caluinistæ fateri debent. Ergo Hussius fuit hæreticus & quidem pertinax, qui hæc eiurare non voluit.

10 Hactenus de priori argumento, ex quo constat, non Imperatorem Hussio, sed Hussium Imperatori fidem violasse. Alterum est. Si Hussio fides violata esset, proculdubio, vel ipse aliquando, vel Hieronymus

Pragensis, vel certè Bohemi de hac re fuissent questi. At nemo questus est vñquam. Quis enim credat, fidem illi esse violatam? Sanè, Hussius, cùm ad mortem duceretur, multa liberrimè dixit in Ecclesiam Romanam, & ad Christum supremum Iudicem appellauit; vt acta eius, quæ à diuersis scripta sunt, testantur: at de fide violata, ne verbum quidem fecisse legitur. Similiter Hieronym. Pragensis, qui aliquot diebus post Hussium exustus est, publicè quidem testabatur, Hussium fuisse virum bonum, iustum, sanctum, & tali morte indignum sed, contra datam fidem aliquid passum esse, nunquam meminit. Hac de re legi potest epistola Poggij, quam scripsit de morte Hieronymi, cuius ipse spectator fuit. Qui sanè, vt libenter inuehitur in clerum, non dissimulasset, si hanc notam potuisset Catholicis appingere. Denique Bohemi nobiles, qui impensè fauebant Hus-
sio, & eius dogmata tuebatur: cum postea ad Conciliū Basiliense oblato saluo conductu, vocati essent; missa insigni legatione comparuerunt. Quis credat hoc facturos fuisse; si de fide Hussio violata, Catholicos suspectos habuissent?

11 Possum idem confirmare ex Lutherō, qui particularem articulum scripsit de Ioanne Hussio, à Leone X. inter cæteros damnatum; in quo, tametsi mirificè laudet Hussium à sanctitate & doctrina, nihil tamē attingit de saluo conductu violato. Ex his omnibus concludo; Si vel Imperator Catholicus, vel Patres Concilij Constantiensis contra fidem publicam egissent, aliquis saltē ex Aduersariis hoc probrum illis obiecisset: Atqui nec Hussius, nec Hieronymus Pragensis, nec Bohemi nobiles, nec Lutherus, qui omnes fuerunt hostes Catholicorum, quicquam illis obiecit: Ergo cuidens signum est, nihil tale accidisse.

12 De Hussio satis. Venio ad Hieronymū Pragensem
de

de quo hæc certa sunt. 1. non accepisse saluum conductum ab Imperatore Sigismundo. Ita Cochleus lib. 2. historiæ Hussitarum. Molinus lib. 3. c. 2. & alij. 2. citatum tamen esse à Concilio Constantiensi, oblato saluo conductu, cum hac expressa clausula: *salua semper iustitia*, vt habetur in eodem Concilio sess. 6. & passim apud alios authores. 3. citatum comparuisse, disputasse, conuictum esse, hæresim abiurasse. Patet ex eodem Concilio sess. 19. vbi ponitur formula abiurationis. 4. in hæresin relapsum esse, fugisse, reductum esse, exustum esse, ibidem session. 21. & apud Cochleum, Molinum, Campanium & alios. Hinc concludo, non esse illi fidem violatam. Primo, quia datus est illi saluus conductus cum hac clausula; *Salua semper iustitia*. Secundo, quia per fugam expirauit saluus conductus. Tertiò, quia in hæresin quam abiurauerat, relapsus est.

13 Superest postremum caput obiectionis, quo Aduersarij contendunt, Patres Concilij Constantiensis definiuisse, *Non esse fidem Hereticis seruandam*. Sed aperatum mendacium est. Verba Concilij sess. 19. sunt hæc; *Præsens sancta Synodus ex quoouis saluo conductu per Imperatorem, Reges & alios seculi Principes, hereticis vel de hæresi diffamatis, concessò, nullum fidei Catholice vel iurisdictioni Ecclesiasticae praividicium generari, vel impenitentium præstari posse seu debere declarat, quo minus dicto saluo conductu nō obstante, liceat Iudici competenti & Ecclesia ico, de huicmodi personarum erroribus inquirere, & alias contra eos debiti procedere, eosdemque punire, quantum iustitia suidebit, si suos errores renocare pertinaciter recusauerint, etiamsi de saluo conductu confisi, ad locum venerint iudicy, alias non veniuri: nec sic promittentem, cum fecerit, quod in ipso est, ex hoc in aliquo remansisse obligatum*. Hæc sunt verba Concilij Constantiensis, quibus Aduersarij clamant definitum esse, *Non esse fidem hereticis seruandam*. Sed quis non videat, eos

vel errare, vel calumniari? Duo his verbis decernunt Patres Cōcilij. Alterum est, quod sacerdotalis potestas nullo modo possit impedire Ecclesiasticam potestatem à suo legitimo exercitio; ac proinde, si quis sacerdotalis princeps dedit alicui hæretico saluum conductum, hoc non debeat obstatere, quo minus liceat Ecclesiastico Iudici suum officium exercere, id est, examinare reum & secundum allegata & probata producere. Quid culpæ in hoc decreto? Nihil utique. Nam & iuri & rationi maximè consentaneum est; quod sic ostendo. Quādo sunt duo Principes, qui habent distincta iudicia & tribunalia, quorum alterum altero maius ac superiorius est; tunc inferior Princeps non potest impedire superiorē ab executione suæ iurisdictionis; ac proinde securitas, quam promittit alicui, non extendit se ad tribunal superioris Principis, quia superior legibus ac pactis inferioris nō ligatur, cap. Cum inferior, Extra, de maiorit. & obedientia. Atqui Princeps sacerdotalis & princeps Ecclesiasticus habent distincta tribunalia, & Ecclesiasticum tribunal est superiorius, cap. Solitæ, titulo citato: Ergo princeps sacerdotalis, quando dat alicui subdito saluum conductum, non potest illum extendere ad tribunal superiorius, sine ipsius consensu, nec per datam à se securitatem, impedire iurisdictionem superioris principis. Quid certius? Hoc ipsum disertè docent Iureconsulti. Euerhardus, quem supra citavi §. 3. de eadem re sic habet; Index superior, talem fidientiam à Iudice inferiore factam, ratam habere non cogitur: tum quod reipublicæ intersit delicta puniri; tum etiam, quod superior legibus aut pactis inferioris non ligetur, &c.

14 Alterum est; quod sacerdotalis princeps, qui promittit alicui securitatem, cùm fecerit, quod in ipso est, non maneat in aliquo obligatus. Et quis hic dubitet? Sanè is, qui promittit securitatem, non censetur mai-

rem promittere , quam præstare possit. Si ergo facit, quod in se est , non peccat contra fidem promissionis. Atque hæc duo sunt decreta Concilij Constantiensis, quibus non negat , fidem hæreticis seruandam esse , ut malitiosè obiiciunt aduersarij; sed instruit principes sacerdotes, quid in saluis conductibus sernare debeant, & quo usque extendat se illorum potestas & iurisdictio in præstanda & promittenda securitate.

APPENDIX.

PRUDENS nuper libellus Caluinisticus incerti authoris , cui titulus est ; *Frederatorum inferioris Germania defensio tertia contra calumniam pacis perturbatae & penitus reiecta*. In eo conatur author(quisquis est) probare hæc duo puncta. *Vnum*; non foederatos, sed Hispanos esse in causa , quod haec tenus in Belgio pax non sit constituta. *Suumma probationis est*, quia omnes tractationes, quæ haec tenus de pace habitæ sunt variis temporibus, admissæ fuerunt à foederatis, sed perfidè per Hispanos abruptæ. *Alterum*, nec deinceps pacem sperari posse propter varia impedimenta , quæ occurrunt ex parte Hispanorum, tametsi foederati sunt ad pacem propensissimi. *Esse autem hæc impedimenta*. 1. quod Hispani persistat in idololatria & tyrannide. 2. quod rex Hispaniæ , & Archiduces, Albertus ac Isabella, iurarint se non velle in suis regnis ac prouinciis tolerare hæreticos. 3. quod habeat foederatos pro hæreticis, & simul statuat, non esse hæreticis seruandam fidem. 4. quod foederatis rebellionis crimè obiiciat. 5. quod finis & scopus pacis Hispanicæ non sit alius, quam hæreticorum extirpatio.

Hæc est summa illius libelli. Mihi propositum non est omnia sigillatim refutare (erunt alij, qui prolixè id

faciant) sed ea tantum, quæ ad hanc nostram materiam,
de fide hereticis seruanda, quoquo modo spectare vide-
buntur. Et ne prolixus, aut molestus sim, reuocabo ad
certas propositiones, quæ sic habent.

1. Catholici docent, Non esse fidem hereticis ser-
uandam.

2. Catholici re ipsa non seruant fidem hereticis, sed
contra pacta, conuenta iurata passim agunt.

3. Catholici omnia sua pacta & promissiones hereti-
cis factas, quoties visum est, rescindunt per Papæ dis-
pensationem.

4. Catholici omnia sua pacta & promissiones hære-
ticis factas, eludunt per æquiuocationes jesuiticas.

5. Catholici sunt deteriores Turcis, & multò minus
cum Catholicis, quam cum Turcis pax iniri potest. 1. quia non seruant fidem. 2. quia sunt hostes Dei. 3. quia
tiolunt concedere libertatem religionis. 4. quia volunt
tueri fidem Apostolicam. 5. quia iurant Pontifici obe-
dientiam.

6. Rex Hispaniæ est notorius hereticus, & omnibus
Evangelicorum viribus deberet expelli ex regno illo
Catholico.

7. Sigismundus Imperator dixit se non teneri pro-
missis Ioanni Hussio & Hieronymo Pragensi factis, eo
quod contrarium Pontifici antea promisisset.

Multò plures & absurdiores propositiones in eodem
libello continentur, quas ideo prætermitto, quia ad no-
strum institutum non faciunt. Ergo has paucas breui-
ter examinabo.

Examinatur 1. Præpositio Calvinista.

DEincept tecum agam, mi homo, quisquis es. Ais
Catholicos docere, & in tribus Conciliis, Late-
ranensi, Constantiensi & Tridentino decretum esse,
Hæreticis non esse seruandam fidem. Ut modestissime,
dicam

dicam mentiris. Nihil tale, vel Catholici docent, vel Concilia decreuerunt. Hoc prolixè ostendi in disputacione, *De fide Hæreticis seruanda*. Ut tamen clariùs apparet, quale sit tuum mendacium, videamus obiter, quid habeant supradicta Concilia. Sanè in Lateranensi, quod sub Julio II. & Leone X. celebratum est, nihil aliud inuenio, quam quod sessione sexta concedat omnibus saluum conductum veniendi Romam ad Concilium, exceptis schismaticis, & aliis à iure communi prohibitis. At tu hinc colligis, definitum esse, quod hæreticis non sit seruanda fides? Nihil minus. Aliud est, schismaticis aut hæreticis negare saluum conductum, aliud decernere, dato saluo conductu, non esse seruandam illis fidem. De Constantiens, sat multa dixi, c. 12. Ex Tridentino contrarium potius colligere debuisti. Nam sess. 15. non solum Catholicis, sed etiam hæreticis largitur *publicam fidem, & plenissimam securitatem* veniendi Tridentum, ibidem manendi, standi, morandi, proponendi, disputandi; illo etiam addito, ut religionis pretextu aut delictorum circa eam commissorum aut committendorum minimè puniantur. Quis sanæ mentis dicat, his verbis decerni, Hæreticis fidem non esse seruandam?

Examinatur 2. propositio.

A Is Catholicos re ipsa non seruare fidem hæreticis. Hoc probas primò, quia Archiduces in Austria superiore, contra pacta conuenta & iurata missam restituerunt, & reiectis Evangelicis, id est, Lutheranis & Caluinistis, Iesuitas admiserunt. Secundò, quia in Belgio omnes pacis tractationes, à foederatis quidem admissæ sunt, sed ab Hispanis perfidè semper abruptæ.

Respondeo primò, me non defendere facta omnia omnium Catholicorum, sed doctrinam.

Deinde, vnde scis Archiduces Austriæ contra pacta

iurata id fecisse? Fecerint sanc contra vota Caluinista-
rum, qui oderunt missas & Iesuitas, sed contra data m
fidem fecisse, non facilè mihi persuadebis. Cum enim
Catholici sint, & Romanæ sedi addictissimi, quod tu
fateris & doles; quomodo suę professionis fuissent tam
immemores, vt sponte de retinendis Caluinistis, & de
eliminandis catholicis paciscerentur? Erras, mi homo, si
credis.

Ad Hispanos quod attinet, ex tuo ore te condemnabo. Scribis in eodem libello, fœderatos ante 24. annos
communi omnium Belgij ordinum decreto, Hispano-
rum imperium in æternum abiurasse, ac proinde ab eo
tempore, cum Hispanis de pace tractare aut pacisci,
nec voluisse, nec potuisse. Hic quæro ex te, quomodo
omnes tractationes pacis à fœderatis admissæ sint, si
fœderati ante 24. annos iurarint, se cum Hispanis de
pace tractare non velle. Sanè aut fœderatos periuros,
aut te mendacem esse, necesse est. Iterum quæro, quo-
modo eadem pacis tractationes ab Hispanis perfidè
abruptæ sint, si cum iis de pace tractatum non est? Abi
cum tuis mendaciis.

Examinatur 3. propositio,

A Is Catholicos omnia sua pacta & promissiones
hæreticis factas, per Papæ dispensationem rescin-
dere. Verba tua sunt hæc; *Quarta ratio in dispensatione*
Pontificis est: quo enim remedio, qui se aduersus scelestum illum
illum tueri potest, quo omnes omnium Regum, Principum &
populorum contractus, quasi Ecclesiæ Romanae utilitati adver-
santes ad nihilum reducuntur? Noli tātopere timere istum
ictum. Pontifex non rescindit contractus principum
& regum pro suo arbitratu, vt tu puras. Explicabo tibi
id clarius.

Contractus Catholicorū cum hæreticis possunt esse
dupli

duplices : Alij de fide, religione , & rebus Ecclesiasticis ; alij de ciuilibus & saecularibus. Si ergo Catholici reges aut principes faciant aliquem contractum cum haereticis in negocio fidei, religionis aut rerum Ecclesiasticarum ; vel id faciunt inscio Pontifice , vel conscientia. Si inscio, ubi primum intellexerit , potest vel confirmare contractum, si bonus est ; vel irritare , si malus. Hoc enim cuique principi licitum est apud suos subditos, in iis rebus, quae a principe dependent. Si conscientia & consentiente , non potest postea rescindere pro suo arbitratu ; nisi noua aliqua circumstantia interueniat, quod in omni contractu fieri potest , iuxta ea, quae dicta sunt sup. cap. 7. §. 2.

Si autem reges aut principes Catholici paciscantur cum haereticis in rebus ciuilibus & saecularibus; si quidem pacta alias honesta sint , & iure ciuali valida ; non potest Pontifex ea rescindere pro suo arbitratu , & in nihilum renocare. Quamuis enim habeat supremam potestatem & iurisdictionem Ecclesiasticam in toto Orbe Christiano ; non tamen ciuilem & temporalem, nisi in certis prouinciis & ciuitatibus, quae illi , ut saeculari principi, subiectae sunt.

Dicer aliquis ; Pontifex arrogat sibi omnem potestatem ; quam habuit Christus , cuius se Vicarium profitetur : at Christus non tantum habuit potestatem Ecclesiasticam, sed etiam politicam in toto Orbe, iuxta illud Matth. 28. 18. *Data est mihi omnis potestas in celo & in terra :* Ergo Pontifex arrogat sibi utramque potestatem in Orbe Christiano. Resp. Christus secundum humanitatem non habuit dominium aut iurisdictionem temporalem in hoc mundo , vt ipsem fassus est Ioannis 18. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Nec Pontifex arrogat sibi plus , quam quod illi a Christo concessum est.

Cur ergo dispensat aliquando in rebus ciuilibus? Cur Nicolaus Papa in epistola ad Michaëlem scripsit; *Christus B. Petro vita eterna clavigero, terreni simul & cœlestis imperij iura commisit?* Cur Bonifac. 8. in Extrauagante, *Vnam sanctam*, de maioritate & obedientia, dicit Pontificem habere duos gladios, iuxta illud Lucæ 22. 39. *Ecce duo gladii hic?* Denique cur in canonibus definitum est, omnes lites & contentiones, tam spirituales, quam temporales ad iudicium Pontificis pertinere? *cap. Quicunque litem, & cap. Quaecunque contentiones, 11.q.1.*

Respondebo separatim ad singula. Hoc præmitto, Pontificem, quatenus Christi vicarius est, directè non habere ullam iurisdictionem temporalem iure diuino; habere tamen indirectè. Prior pars constat, quia nec Christus secundum humanitatem directè eam habuit. Posterior sic explicatur; Pontifex directè habet supremam potestatem & iurisdictionem spiritualem in omnes Christianos, etiam in reges & principes, iuxta illud Christi, *Pasce oves meas: finis autem huius iurisdictionis est, spirituale bonum totius Ecclesiæ militantis, & omnium Christianorum:* Ergo Pontifex habet ius gubernandi Ecclesiam & omnes Christianos, prout postulat spirituale bonum totius communictatis; ergo ex hac parte potest etiam, saltem indirectè, statuere de rebus temporalibus, quando commune bonum id exigit. Hoc autem nihil aliud est, quam indirectè habere potestatem sœcularem.

Ex hoc fundamento facilè patet, quando & quomodo Pontifex possit dispensare in ciuilibus Principum ac Regum Christianorum contractibus. Id enim facere non potest, nisi urgente necessitate boni spiritualis. Huc spectat illud 2. Cor. 13. 10. *Secundum potestatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destru-*

*structionem. Ex quo loco sic argumentor; omnis potestas Ecclesiastica data est Pontifici & aliis Prælatis Ecclesiæ in ædificationem, & non in destructionem: Atqui si Pontifex, sine urgente necessitate boni spiritualis, dispensaret in pactis & contractibus principum sacerulariū, hoc fieret ad destructionem, & non ad ædificationem, quia daretur occasio violandi fidem promissorum & paectorū sine legitima causa. Ergo non habet à Deo potestatem id faciendi. Hoc sensu recte dixit Dominicus Sotus lib. 8. de iustitia & iure, q. 1. c. 9. *Pontificem non posse relaxare iuramentum, cum præiudicio eius, cuius interest.**

Porro, verba illa, quæ ex Nicolao Papa allata sunt, citantur quidem à Gratiano d. 22. cap. omnes, sed non habentur in epistolis Nicolai Papæ. Si tamen sunt verba Nicolai debent hoc modo intelligi, quod Christus Petro commiserit iura Imperij cœlestis & terreni, id est, potestatem soluendi in cœlis & in terris, iuxta illud Matth. 16. 19. *Dabo tibi claves regni cœlorum. Et quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Nec possunt verba Nicolai aliter accipi; alioqui secum ipse pugnaret. Nam in epistola ad Michaëlem diserte ait Christum distinxisse officia Pontificis & Imperatoris, ne aut Imperator iura Pontificis, aut Pontifex iura Imperatoris præsumeret usurpare.

Quod adfertur de duobus gladiis, ex illo Lucæ 22. 38. *Ecce duo gladii hic; nihil ad rem facit.* Non enim agitur ibi de gladio spirituali & temporali, sed de gladiis propriè dictis. Dixerat Christus; *Qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.* Respondebant discipuli, *Ecce duo gladii hic.* Christus autem loquebatur de gladio propriè dicto. Volebat enim significare, non multo post, tantum fore metum & trepidationem Apostolorum, quanta solet esse eorum, qui tunicam vendant, ut emant gladium ad se defendendum. Atque hic sensus littera

teralis est , quem Bonifacius mysticè interpretatur de potestate spirituali , quam habet Papa directè , & de temporali , quam habet indirectè .

Canones autem , qui citati sunt , nihil conuincunt , Prior est Theodosij Imperatoris , qui ex pietate , non ex debito , detulit hoc Pontifici & aliis Episcopis , ut possent indicare ciuiles causas , quæ ad ipsos deferrentur . Nunc autem abrogatus est ille canon , vt glossa ibidem asserit . Posterior est incertæ authoritatis , & ideo notatur per vocem *palea* . Posset tamen exponi hoc modo , vt contentiones ciuiles , quæ non possunt terminari per Iudices sacerdotes , devoluantur ad iudicium Ecclesiæ , per viam correctionis fraternalę , vt docet Innocentius 3 . c . Nouit de iudiciis : Quando enim , vel iudex sacerdotalis non vult administrare iustitiam , vel altera pars nō vult obedire , recurrendum est ad iudicem Ecclesiasticum , qui moneat illos sui officij , & si contumaces sint , excommunicationem adhibeat .

Hæc paulò fusiūs explicavi , vt facerem te securum ab istu dispensationis Pontificiæ , quam videris vehementer pertimescere . Bono sis animo . Dispensatio ipsius non vergit in destructionem , sed in ædificationem .

Examinatur 4. Propositio.

A Is Catholicos omnia sua pacta & promissiones hæreticis factas cludere per æquiuocationes Jesuiticas . Hoc declaras tali exemplo . Si pax inita sit inter Catholicos & hæreticos ; ea nihil obstante , Catholici persequuntur hæreticos , & omnimodo conantur eos extirpare . Nec se facere contra pacta aiunt , eo quod pax , quæ inter ipsos constituta est , non Ecclesiastica , sed politica sit ; neque facta cum hæreticis , quatenus hæretici , sed quatenus homines aut ciues sunt . Licere itaque salua pace , persequi & extirpare illos , non vt homines , sed vt hæresin profitentes .

Hic

Hic primùm ex te quæro , cur hanc fallendi attem appelles æquiuocationem Iesuiticam : Suspicio te esse similem vestrorum prædicantium. Illi, renitente etiam conscientia , passim clamant in suis cathedris , Iesuitas omnium fraudum , ac malorum , quæ in mundo sunt , anthores & architectos existere. Nec dubito , si ita pergent , breui persuasum iri populo , Iesuitas peccatum originale in hunc mundum introduxisse ; Et in auriculari confessione consilium dedisse Absolutioni , vt parentem suum Dauidem bello perseque- retur. Sane , non ita pridem similia sparsa sunt à tuis Calvinistis. Quale est illud , Iesuitas Monachenses in Bauaria , non modo stuprum virgini obtulisse , sed atrox etiam homicidium perpetrasse. Credo te & Prædicantes tuos de his rebus , ut plurimū somniare. Sed mittamus hæc.

Iesuitæ non docent , licere alios fallere aut decipere per æquiuocationes. Hoc docent , quod alij Catholici hactenus docuerunt , in omni congressu humano , in omnibus contractibus , & promissionibus , sincerè , candidè , seclusa omni fictione & æquiuocatione agendum esse. Malè fieri , si aliud mente reconditum habeas , aliud verbo signifies. Licere quidem ; cum res postulat , silentio aut dissimulatione prudenter vti ; sed si loqui velis , sine mendacio , sine falso , sine fraude præstari id oportere.

Vnus casus est , de quo sicut & alij doctores dispu- tare solent , an scilicet reus , quando in iudicio rogatur de crimine perpetrato possit negare , vel æquiuocè re- spondere ? vtuntur autem hac distinctione. Si Iudex iuri- dicè , seu seruato ordine iuris interroget , reum tene- ri ad fatendam veritatem , non autem teneri , si iuridi- cè non procedatur. Ita Henricus quod l.q.34. Syluester & Angelus V. confessio delicti q.1. Nauar. cap.25.n.53.

D.Tho.

D.Thom. in 2.qu.69.ait.1. & alij passim. Et colligitur ex cap. *Qualiter & quando, & cap. cum oporteat, & cap. Inquisitiones, de accusationibus.* Ratio prioris partiis est, quia quisque tenetur obedire superiori legitimè præcipienti: atqui superior legitimè præcepit, quando secundum ordinem iuris interrogat reum: Ergo tunc reus tenetur obedire, dicendo veritatem. Ratio posterioris est, quia Iudex non habet ius interrogandi, nisi secundum ordinem iuris. Ergo si non seruat ordinem iuris, non potest reo ullam obligationem imponere ad crimen aperiendum; cum ius hanc potestatem ei non concedat. Censentur autem non seruare ordinem iuris, quando interrogat de occulto crimine, de quo neque est fama contra reum, neque indicia competentia, neque probatio semiplena.

Quid ergo faciet reus in tali casu, quo non tenetur fateri crimen à se perpetratum? Respondet D. Tho. loc. cit. posse eum, vel per appellationem, vel aliter lecite subterfugere, mendacium tamen dicere non licere. Sed quod si aperte neget se crimen perpetrasse, erit mendax: Nonnulli putant, sine ullo mendacio, negare eum posse, quamdiu crimen occultum est. Ratio est, quia Iudex non præsumit interrogare, nisi de criminis, quod aliquo modo in publicam notitiam deductum est: Ergo si reus neget tale crimen à se perpetratum, non mentitur, si adhuc crimen occultum est.

Similis quæstio moueri solet de Indice, qui publicè secundum allegata & probata condemnat reum, quem priuata scientia nouit esse innocentem; An is dicendus sit mentiri, quando disertè pronunciat criminosum esse, qui reuera talis non est? Plerique negant. Ratio eadem est, quia nihil aliud ille pronunciat; quam quod secundum allegata & probata pronunciare debet: Ergo cum alter secundum publicam allegationem & probatio

tionem criminosis sit (tametsi coram Deo non sit) potest Iudex sine ullo mendacio pronunciare , tales esse.

Atque haec est sententia doctorum de reo in iudicio interrogato : quae si vera est , quid calumniaris ? si falsa ostende errorem : Improbè autem facis , quod quae de reo dicta sunt , ad alios etiam extendi velis .

Examinatur 5. Propositio.

A Is Catholicos deteriores esse Turcis , & multo minus cum Catholicis , quam cum Turcis pacem iniri posse . Nimirum ostendis , Calvinistas magis ad Turcicum , quam Catholicorum doctrinam & societatem aspirare . Benè ergo de vobis meritus est author ille , qui *Calvinoturcismum* in lucem dedit .

Sed age ; quid habes contra Catholicos : cur eos infra Turcas abiicis ? An quia fidem non seruant ? fallsum est . An quia hostes Dei ? Non Catholici , sed Turcae sunt Dei hostes . An quia nolunt concedere libertatem religionis ? sed neque vos conceditis in Anglia , Hollandia , Frisia . An quia timentur sedem Apostolicam ? Sed hoc ipsum fecit Constantinus Magnus , Carolus Magnus , Carolus Quintus . Idem facit noster Imperator Rodolphus . An quia iurant Pontifici obedientiam : obedire , filiorum est ; reluctari , rebellium .

Examinatur 6. Propositio.

A Is Regem Hispaniae notorium esse hæreticum , & omnibus Euangelicorum viribus expellendum è regno Catholico . Modestius , mi homo . Non solum in Regem , sed etiam in Imperatorem iniurius es . Vterque eandem fidem tenet . Aut ergo neuter , aut vterque hæreticus tibi sit necesse est . Colligete . Et cur notorium vocas hæreticum ? An non multis iam saeculis *Catholicus Rex*

Rex appellatus est? Et appellabitur, ut spero, deinceps. Sed quod illud regnum Catholicum, ex quo expellere illum vis? Hispanicum, sine dubio. At si hoc Catholicum est, ut reuera est; quomodo rex hereticus, qui idem sentit cum regno Catholico? Et cur vi expellere eum vis? Putabam te pacis, non bellici amantem esse; & hortari velle Evangelicos tuos ad mansuetudinem, non ad arma in reges corripienda. Sed hoc rebellium proprium est. Nolunt obedire suis regibus; ideoque mortem illis moliuntur.

Examinatur 7. Proposition.

A Is Sigismundum Imp. dixisse, se non teneri promissis Ioanni Hussio & Hieronymo Pragensi factis, eo quod contrarium Pontifici antea promisisset. Vbiique mendax es. Sigismundus Hieronymo Pragensi nihil promisit. Hussio quidem promisit saluum conductum, sub ea conditione, ut ne fageret. Fugit autem Hussius contra pacta conuenta. Merito igitur punitus est. Vide, quæ supra dixi c. 12. §. 7. & 8.



QVAESTIONES MISCELLANÆAE.

De fide Hæreticis seruanda, contra quendam Calvinistam Batauum, qui se fœderatorum inferioris Germaniæ Defensorum appellat.

OPVS CVLVM II.

LECTOR I.

Scripsi nuper Disputationem, de fide hæreticis seruanda; & in ea demonstravi, non minus

minus hæreticis, quām Catholicis, in rebus aliās licitis & honestis, fidem integrā ac illibatam seruare oportere. Annexa erat appendix eiusdem planè argumenti. Adversarij, qui longè aliter nos sentire arbitrabantur, plerique mirati sunt, Et se hactenus falso persuasos esse, ingenuè confessi. Ac iam putabam fore, ut nemo amplius in hac re molestus nobis esset. Sed, ut inquietum est hominum genus, Calvinista quidam Bataeus, nouam litem nobis intentat; Nec solum probris & conuictiis tumultuantur in Catholicos omnes; sed etiam odiosè perfidiam illis obiicit, quasi fidem hæreticis datam ac promissam, impunè violari posse, verbo ac opere palam testentur. Eius audaciam & mentiendi libidinem in hoc libello, paucis detexi & confutavi. Et sanè opus erat. Nam apud imperitos & simpliciores facile fucum fecisset, præsertim cum ex Conciliorum & Pontificum decretis, quidquid in nos eructat, probare se videri velit. Porro, quæ huic homini causa sit, bis coctam crambem reponendi, facilis coniectura est. Ex bello Belgico, quod inter Catholicum regem Hispaniae, & fœderatos Ordines, tot annis geritur, non exiguum quæstū facit. Et quia nūc de pace agitur, omnibus modis eā turbare vult, ne quæstū, cessate bello mox amittat. Ergo passim inculcat, pacē cum Catholicis nullo modo iniri posse, eo quod ipsi fœderatos habeat pro hæreticis, & dicant, fidem hæreticis datam, minimè seruandam esse. Futuru ergo, ut ipsi eā non seruent. Potius igitur in bello persistendū, ut venter Bataui huius suscitari possit. Nēpe hoc homini illi consilium; hic scopus. Tu, benenole Lector, hunc meum laborem aequo animo accipias, velim.

QVAESTIONES MISCELLANÆ.
 DE FIDE HÆRETICIS
 seruanda contra Batauum
 Caluinistam.

ITIGAS mécum, homo Bataue, de fide Hæreticis seruanda. Et quidem id potissimum inter nos agitut, quid de hac re sentiant Catholici. Tu sententiam eorum contineri vis hoc syllogismo; *Hæreticis non est seruanda fides: sed Euangelici, id est, Lutherani & Caluinistæ, sunt heretici: Ergo Euangelicis id est, Lutheranis & Caluinistis, non est seruanda fides.* Maiorem probas partim ex decretis Conciliorum & Pontificum; partim ex verbis, factis, & usu Catholicorum. Minorem sumis sine probatione, tanquam ab omnibus concessam & receptam. Age igitur, quando ita vis, resoluamus hunc syllogismum, & singulas eius propositiones expendamus; idque hoc ordine.

- 1 *An Caluinistæ sint Euangelici?*
- 2 *An Caluinistæ sint Hæretici?*
- 3 *An Pontificiū sint Catholici?*
- 4 *An Catholici in Concilio Tridentino decernant, Hæreticis non esse seruandam fidem?*
- 5 *An hoc ipsum decernant in Concil. Constantiensi?*
- 6 *An etiam in Lateranensi?*
- 7 *An decreta Pontificum hoc statuant?*
- 8 *An Catholici passim ita scribant & sentiant?*
- 9 *An Catholici re ipsa non seruent Hæreticis fidem?*

In his quæstionibus tota controversia inter nos consistit. Has ergo si excussero, nihil restabit, de quo ultra litigemus. Tum interim aduerte, Bataue, ne quid, quod ad rem pertinet, intactum relinquatur. Nam conuitia & verborum iniurias, quibus sæpe me lacerassis, lubens omittam.

Q V A E S T I O I.

An Caluinistæ sint Euangelici?

1 **N**Omine Euangelicorum, in tuis libellis passim intelligis Lutheranos & Caluinistas. Hic primum quæro ex te, si tam Lutherani, quam Caluinistæ Euangelici sunt; an ab eodem Christi Euangelio dicantur Euangelici, an à diuersis? Ab eodem dici non possunt, quia Lutherani ex suo Euangelio docent Christum realiter præsentem esse in Eucharistia; quod Caluinistæ negant. At in uno eodemque Euangelio, id non affirmatur & negatur. Non ergo ab uno Euanglio Caluinistæ & Lutherani dicti sunt Euangelici. Si autem à duobus, necesse est duo contraria esse Euangelia, quorum altero asseratur præsentia Christi in Eucharistia; altero negetur. Si contraria sunt, vtrumque à Deo esse non potest. Vel ergo Lutherani, vel certè Caluinistæ à Deo non sunt. Hunc scrupulum, ut mihi eximas, velim.

2 Sed relictis Lutheranis, de solis Caluinistis tecum agam. Tu enim non Lutheranus Euangelicus, sed Caluinianus haberi vis. Ais ergo, Caluinistas esse Euangelicos. Hic iterum quæro, sicutne doctrina, an moribus Euangelici? Neutrum verisimile est. Non primum, quia quæ Caluinistæ docent, non sunt conformia Euange-

lio. Eiusmodi sunt hæc. 1. Deum esse authorem peccati. 2. Duo tantum esse Sacra menta. 3. Baptismum infantibus fidelium non esse necessarium ad salutem. 4. corpus Christi non esse præsens in Eucharistia. 5. Legem Dei esse impossibilem, etiam homini iusto. 6. Omnia iutorum opera esse meram iniquitatem. 7. Fidem esse propriam Electorum. 8. Peccatum originale non tolli per Baptismū. 9. nec reliqua peccata tolli in iustificatione, sed tantum tegi seu occultari. 10. Liberum arbitrium periisse per peccatum primi parentis. 11. Ecclesiam Christi posse errare & deficere. 12. Christum non esse mortuum, nisi pro paucis. Hæc & similia Caluinistarū dogmata; non potes mihi ostendere in Euāgelio. Quomodo ergo Caluinistæ possunt dici Euangelici? Hic, mi homo, quidquid agas, non euades. Vbi quæso scriptum est in Eu angelio, *Deum esse authorem peccati? corpus Christi non esse in Eucharistia?* Volute & reuolue Euangeliū Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis. Nusquam inuenies hæc portenta. Idem aio de cæteris.

3. Iam mores Caluinistarum, tam remotos ab Euā gelio esse, quam cœlum à terra distat, certissimum est. Ut multa alia omittam, nullo modo conforme est Euā gelio, conuitiis & mendaciis insectati alios. At nihil Caluinistis æquè familiare est. Audi conuitia. Caluinus in Antidoto Concilij Tridentini, Catholicos passim vocat stupidos, qui quilias, asinos, porcos, pecudes, crassos bones, Antichristi legatos, Christi hostes, otiosos ventres, mendicabula, putrida cudauer, silicernia, blaterones, Patres cornutos, Tridentinum colluuiem, exiti dia monstra, degeneres ac spurios magna meretricis filios, &c. Caluinum strenuè imitantur Caluinistæ, Iosephus Burdo, David Pareus, Gabriel Puelus, & alij passim. Ne longè abeam; tu ipse in priori tuo libello, quam maledicus es? Philippum regem Hispaniæ appellas rapiorem, & notorium hereticum: Archi duces

duces Austriae perfidos : Duce Sabaudiæ , crudelē & perfidum : Sigismundum regem Poloniæ , non dissimilem : Albertum & Claram Eugeniam , quos tanquam Principes tuos colere debebas , veræ pacis impedimenta . In posteriori planè scurrilis es . Perpetuò eructas lupanaria , meretrices , leones , & multa talia , quæ lubēs prætereo . Suntne hæc , Batave , conformia Euangelio ? Non opinor . Euangelium ait . *Qui dixerit fratri suo fauor , reus erit gehennæ ignis . Et vos vultis esse Euangelici , qui multo atrociora conuitia in alios despuitis ? Non sic Batave , non sic .*

Venio ad vestra mendacia . Vix quicquam scribitis in Catholicos , quod mendaciis inspersum non sit . Ex iis quædam enormia sunt . Calvinus lib . 4 . institut . cap . 7 . § . 27 . dicit Pontifices cum Cardinalibus docere , nullum esse Deum , nullum Christum , nullam resurrectionem . Verba eius sunt hæc ; *Quasi vero dubium sit qualem religionis speciem professi sint iam pridem Pontifices cum toto Cardinalium collegio , & hodie profiteantur . Primum enim arcane illius Theologie quæ inter eos regnat , caput est , nullum esse Deum . Alterum . quæcumque de Christo scripta sunt ac docentur , mendacia esse & imosturas . Tertium , doctrinam de vita futura & ultima resurrectione , meras esse fabulas . Jam pridem hac ordinaria cepit Pontificum religio . Quid hoc mendacio potest esse mendacius ?*

Sed , an solus Calvinus mendax ? Etiam asseclæ ipsius hanc artem didicerunt . Gabriel Pouelus , in libro de Antichristo , dicit Catholicos docere , *Quod Papa possit dispensare contra vetus & nouum testamentum : quod possit creare , seu aliquid ex nihilo producere ; quod sacramenta à Christo instituta mutare ; quod maius peccatum sit , comedere carnes de prohibito , quam adulterium committere . Hæc & plura alia , quæ idem author habet , an non mendacia , seu potius , mendaciorum portenta sunt ? Quid dicam*

do Plessæo, Pareo, & similibus? Scripsit Plessæus librum de missa, in quo tot mendacia passim occurunt, ut Episcopus Ebroicensis publico scripto professus sit, se quingenta loca falsò in eo allegata, coram Christianissimo Galliarum rege, demonstrare posse, ac paratum esse. Iam Dauid Pareus, quot mendaciorum conuictus est à nostro Mulhusmo; Imo tam infamis in hoc genere est, ut ab ipsis Calvinistis, præsertim à Iosepho Scaligero, mendax palam proclamatus sit. Et tu, Bataue, ut cæteros omittam, quam probè in hac palestra exercitatus sis, ex tuis verbis paulo post patebit.

6 Ex dictis sic concludo; Quorum neque doctrina, neque facta Euangelio conformia sunt, illi verè Euangelici dici aut haberi non possunt: sed neque doctrina, neque facta Calvinistarum sunt Euangelio conformia, ut probatum est: Ergo Calvinistæ non possunt verè dici aut haberi Euangelici. Possunt tamen per antiphrasin vocari Euangelici, quasi minimè Euangelici; sicut dicitur bellum, quasi minimè bellum.

Q V A E S T I O II.

An ergo Calvinistæ sint hæretici?

I **T**V quidem id negabis. At ego his argumentis conuincam. *Primum est;* Quicunque aliter docet, quām Apostolus Paulus docuit, hæreticus est: At Calvinistæ aliter docent, quām Apostolus Paulus docuit: Ergo Calvinistæ hæretici sunt. Maior patet ex illo Gal. 19. *Si quis vobis euangelizauerit, præter id, quod euangelizauimus vobis anathema sit.* Hoc autem faciunt Calvinistæ. Euangelizant enim Deum esse authorem peccati, quod Paulus Apostolus non euangelizauit. Ergo Calvinistæ, secundum Paulum, sunt anathema.

2 *Alterum*

2 Alterum est, Quicunque deserit Catholicam Christi Ecclesiam, hæreticus est: Caluinistæ deserunt Catholicam Christi Ecclesiam. Ergo Caluinistæ hæretici sunt. Maior certa est, etiam Caluino teste, qui lib. 4. i[n]st.c. 1. §. 10. *vocat, trans fugas, desertores religionis, abnegatores Christi, & sacri coniugij violatores*, qui Catholicam Christi Ecclesiam deserunt. Minorem probo, quia Catholica Christi Ecclesia constat multis membris in unitate fidei & charitatis inter se consentientibus, ut patet ex Apostolo 1. Cor. 12. v. 12. & 27. At nemo Caluinistarum in unitate fidei & charitatis consentit cum multis membris; Ergo nemo Caluinistarum est in Catholica Christi Ecclesia. An tu, Batane, negare id audes? Imo nec potes. Qui enim sunt illi, cum quibus tu in unitate fidei consentis? Non sunt Pontificij, nec Lutherani, nec Anabaptistæ, nec Turcæ, nec Iudæi, nec Gentiles. Vel ergo sunt Caluinus, Beza, Iunius, VVittakerus, & alij Caluinistæ; vel omnino nullus. At tu ipse fassus es nuper (si meministi) te non curare Caluinum, aut similes? Ergo cum nemine consentis in unitate fidei: Ergo non es in Catholica Christi Ecclesia, & consequenter hæreticus es. Ego vero, inquires, consentio cum Apostolis & Evangelistis. Sed audi, bone vir, seponamus tamen per Ecclesiæ Christi in cœlis triumphantem, de Ecclesia in terris militante agamus. Et dic sodes, estne hodie in terris aliqua catholica Christi Ecclesia? Omnipotens, Ergo sunt etiam hodie in terris membra illius Ecclesiæ, in unitate fidei consentientia. Nihil certius, Dic ergo, quæ sunt membra, cum quibus tu consentis: Rem difficilem a te peto. Et sat scio, te non reperturus, etiam in numero Caluinistarum, quorum arbitrio stare velis in rebus fidei ac religionis. Idem de aliis Caluinistis dico. Singuli sibi sapiunt; nemo socium, cum quo idem sentiat, agnoscit. Omnes ergo extra Ecclesiam, omnes hæretici sunt.

3 *Tertium argumentum*: Caluinistæ publico scripto profitentur, se in omnibus sentire cum Lutheranis, excepto puncto de cœna Domini: At Lutherani aperte clamant, Caluinistas esse hæreticos: Ergo in hoc punto Caluinistæ illis consentiunt: Ergo suo iudicio hæretici sunt. *Quid censes, Bataue, an non Caluinistæ Heidelbergenses nuper libellum ediderunt, in quo sancte affirmant, se per omnia sentire cum Lutheranis in rebus fidei ac religionis, vñico punto de cœna Domini excepto? Negari non potest. Libellus in manibus est, & ab omnibus legitur. Rursum, an non Lutherani palam fatentur, doctrinam Caluinistarum esse impiā, blasphemam, hæreticam? Nec hoc potest negari. Extat liber Theologorum VVittembergensium, Tubingæ hoc anno editus, in quo id perspicuè demonstratur. Sic ergo concludo; Caluinistæ in omnibus punctis fidei ac religionis (excepto vñico de cœna Domini) planè dicunt se sentire cum Lutheranis: atqui Lutherani sentiunt dogmata Caluinistarum esse hæretica. Ergo idem sentiunt Caluinistæ: Ergo reuera hæretici sunt.*

4 *Addo quartum; Caluinus natus & baptizatus est in Ecclesia Pontificia, ut constat: Ergo Ecclesia Pontificia, tanquam mater, ipsum genuit. Vel ergo, cum ipsum gigneret, fuit casta, vel corrupta. Si casta, hæreticus est Caluinus, qui ipsam deseruit. Si corrupta, spurius est, qui ex meretrice natus. Vides, Bataue, quid velim. Si minus, accipe hos duos Elenchos. Prior est. Qui integrum & inuiolatam Christi Ecclesiam deserit, hæreticus & Apostata est. Caluinus (si Ecclesia Pótificia fuit integra) integrum & inuiolatam Christi Ecclesiam deseruit: Ergo Caluinus est hæreticus & apostata. Posterior est. Qui agnoscit se natum ex matre corrupta seu meretrice, spurius est: Caluinus (si Ecclesia Pontificia fuit corrupta) agnoscit se natum ex matre corrupta seu mere-*

meretrice: Ergo Caluinus spurius est. Simili argumēto
vſus est August. lib. 3. contra Iulianum c. 17. Si, inquit,
per sanctos Antistites constuprauerunt Ecclesiam Manichæi,
dic mihi Iuliane, quæ te peperit, virum casta, an verò mere-
trix enixa est? Vbi hæc 4. argumenta nonnihil excusse-
ris, pluta tibi adferam. Nolo stomachum tuum, qui
alias nauseabundus est, nimium onerare. Hæc digere;
ac deinde redi.

QVÆSTIO III.

An Pontificij sint Catholici?

IT V quidem Bataue, ut Pontificem Antichristum,
sic omnes Pontificios vis esse hæreticos & Anti-
christios. Sed vno hoc Elencho te refellam. Illi pru-
denter censendi sunt Catholici, qui ab antiquis tempo-
ribus ad nos vſque, publicè semper dicti & habiti sunt
Catholici, nullo Catholico reclamante. At Pontificij
semper publicè dicti & habiti sunt Catholici, nullo
Catholico reclamante: Ergo Pontificij prudenter cen-
sendi sunt Catholici. Maior per se nota est. Minorem
probo, quia ex tota antiquitate non potes vllum Ca-
tholicum Scriptorem producere, qui negauit Pontificios
esse Catholicos. Imò, tradit Augustinus, ne aduer-
farios quidem id negasse vñquam, aut negare posse. Sic
enim scribit in lib. de vera & falsa religione c. 7. *Tenen-
da est nobis Christiana religio, & eius Ecclesie communicatio,*
qua Catholica est, & Catholica nominatur, non solum à suis, sed
etiam ab omnibus inimicis. *Velint enim nolintue ipsi quoque*
hæretici & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum
exiranis loquuntur, Catholicam nihil aliud, quam Catholicam
*vocant: Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discri-
nant, quo ab uniuerso Orbe nuncupatur.*

2 An tu ergo putas, te cuique similes Nouatores, ti-

tulum nominis Catholici, quem tot sacerdorum præscriptio-
ne obtinemus, posse nobis clamando eripere? Erras,
mi homo. *Melior est conditio possidentis*, inquit Iurecon-
sultus. Nos sumus in possessione nominis Catholici.
Melior ergo nostra, quam vestra conditio est. Nec vestri
homines id diffentur. Nam plerique, quia sciunt
Pontificios legitima præscriptione vocari Catholicos,
non volunt Catholici, sed Evangelici aut Epistolici
appellari, Audi quid nuper acciderit Pareo vestro. Is
Uvormatiæ rogatus à Pontifcio Doctore, cuius sectæ
esset? Nullius, inquit, Cuius ergo religionis? Paulinæ, ait
Ergo Catholicæ, inferebat alter. Nego, inquit Pareus.
Tum alter; *Quicunque Paulinus est, Catholicus est,*
non enim nisi Catholicam doctrinam tradidit nobis
Paulus: *At tu Paulinus es, ut fateris?* Ergo Catholicus
es. Iterum negat Pareus. Et alter, quid inquam negas?
Syllogismus bonus est. Aut maior, aut minor propo-
sitio neganda est. Quid tergiuersaris? Pareus conster-
natus abiit. Noluit fateri se Catholicum esse, ne videre-
tur fateri, se Pontificium esse. Ita nimis insculptum
est omnium animis ac pectoribus, non alios, quam
Pontificios, dici & haberi Catholicos.

3 Fortè dices, Pontificios solo nomine, non autem
doctrina Catholicos esse. Sed quæro ex te, an omnino
inter Christianos reperiri possit doctrina Catholicæ?
Planè, inquies. Alioqui nemo saluari posset. At apud
quos illa reperitur? An apud Anabaptistas? Negat Cal-
uinus, qui illos, tanquam hæreticos condemnat. An
apud Lutheranos? At illi docent, Caluinistas esse hæ-
reticos. An apud Caluinistas? At illi proprio consensu,
ut paulo ante ostendi, hæretici sunt. Vel ergo nusquam
est, vel apud Pontificios est. Sed proprius ad rem. Apud
illos non potest esse doctrina Catholicæ, qui in rebus
fidei ac religionis non conspirant cum doctrina, quæ
primis

primis quingentis annis in Ecclesia Christi tradita est (Tunc enim, teste Caluino lib. 1. instit. c. 11. §. 13. & lib. 4. cap. 2. §. 3. vigebat sincera & Catholica doctrina) Atqui nec Caluinistarum, nec Lutheranorum, nec Anabaptistarum doctrina cōspirat cum illa, quę primis quingentis annis in Ecclesia Christi tradita est: Ergo nec Caluinistarum, nec Lutheranorum, nec Anabaptistarum doctrina est Catholica. Minorem probo, quia Caluinistæ docent, *Deum esse authorem peccati: Lutherani, nullum esse liberum arbitrium in homine: Anabaptistæ, infantes non esse Baptizandos.* Hæc autem doctrina non fuit tradita in Ecclesia Christi primis quingentis annis. Non ergo est Catholica. Vel igitur nusquam, vel apud Pontificios quærenda est Catholica doctrina.

Q V A E S T I O . I V.

An Catholicci in Concilio Tridentino doceant, Hæreticiū non esse seruandam fidem?

I D tu affirmas in utroque tuo libello. Et quidem in posteriori, quem contra me scribis, in multis verbis & ambagibus conaris id persuadere; quod valde miror. Nam in toto Concilio ne apicem quidem inuenias, qui tecum sentiat. Imò multa sunt, quæ te mendacem arguunt. Hoc, ut omnes clare videant, ponam ipsa verba Concilij, quæ in tribus diuersis sessionibus, vbi agitur de saluo conductu seu publica fide & securitate, disertè habentur. Igitur sess. 13. in fine, sic habet. *Sacrosancta generalis Tridentina synodus, omnibus & singulis, siue clericis, siue secularibus personis uniuersæ Germaniæ, cuiuscunque gradus, status, conditionis, & qualitatis sint, qui ad oecumenicum hoc & generale Concilium accedere voluerint; ut de iis rebus, quæ in ipsa synodo tractari debent, omni libertate confer*

conferre, proponere & tractare, ac ad ipsum oecumenicum Concilium liberè & iuò venire, & in eo manere & commorari, ac articulos, quos illis videbuntur, tam scripto, quam verbo offerre, proponere. & cum Patribus, sive iis, qui ab ipsa sancta synodo delecti fuerint, conferre, & absque ullis coniunctis & conumelis disputare, nec non quando illis placuerit, recedere possint, & valeant; publicam fidem & plenam securitatem, quam saluum conductum appellant, cum omnibus & singulis clausulis, & decretiis necessariis & opportunis, etiam si specialiter, & non per verba generalia exprimi deberent, que pro expressis haberi voluit, quantum ad ipsam sanctam synodum spectat, concedit. Placuit præterea sancta synodo, ut si pro maiori libertate ac securitate eorum, certos tam pro commissis, quam pro committendis per eos delictis, Iudices eis deputari cupiant, illos sibi beneulos nominent, etiam si delicta ipsa quantumcunque enormia ac heresim sapientia fuerint.

2. Et rursus less. 15. in fine, Sacrosancta oecumenica & generalis Tridentina synodus, inherendo saluo cõductui, in penultima sessione dato, & illum iuxta tenorem infra scriptum, ampliando, Uniuersis fidem facit, quod omnibus & singulis Sacerdotibus, Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, militaribus, popularibus & aliis quibuscunque viris, cuiuscunque status & conditionis: aut qualitatis existant, Germanicae provinciae & nationis, ciuitatibus, & aliis locis eiusdem, & omnibus aliis Ecclesiasticis & secularibus, presentium Augustana confessionis personis, qui aut qua una cum ipsis ad hoc generale Tridentinum Concilium venient aut mirtentur, ac profecturi sunt, aut hucusque venerunt, quocunque nomine censeantur, aut valeant nuncupari, tenore presentium publicam fidem, & plenissimam verissimamque securitatem, quam saluum conductum appellant, liberè ad hanc ciuitatem Tridentinam veniendi, ibidemque manendi, standi, morandi, proponendi, loquendi, una cum ipsa synodo de quibuscunq; negotiis tractandi, examinandi, discutiendi, & omnia quæcunque ipsi libuerit, ac arti-

articulos quoilibet, tam scripto quam verbo liberè offerendi, propalandi, eosque scripturis sacris, & beatorum Patrum verbis, sententiis & rationibus declarandi, astruendi & persuadendi, & si opus fuerit, etiam ad obiecta Concilij generalis respondendi, & cum iis qui à Concilio delecti fuerint, disputandi Christianè, aut charitatiuè, absque omni impedimento cōferendi, opprobriis, conuictis, ac contumeliis penitus semoitis, & signanter, quod cause controversæ, secundum sacram scripturam, & Apostolorū traditiones, probata Concilia Catholica Ecclesiæ consensu & sanctorum Patrum authoritates in prædicto Cœcilio Tridentino tractentur, illo etiam addito, ut religionis prætextu aut delictorū circa eam cōmissorum aut committendorum minimè puniantur; impariūras omnino concedit: sic etiam, ut proprie illorū præsentiam neque in itinere, aut quocunque locorum eundo, manendo aut redeundo, nec in ipsa ciuitate Tridentina à diuinis officiis quouis modo cesseretur. Et ut his peractis, vel non peractis, quan- docunque ipsis libuerit, aut maiorū suorum mandato & assensu ad propria reverii optabunt, aut aliquis eorum optabit; mox absque ulla renientia & occasione aut mora saluis rebus eorum & suorum pariter honore & personis, vice versa possim iuxta beneplacitum liberè & securè redire; de sciētia tamen ab eadem synodo deputandorū, ut nunc opportune eorum securitati, absq; dolo & fraude prouideatur. Vult etiam sancta synodus, in hac publica fide, saluoque conduelu, omnes quascunque clausulas includi ac contineri, ac pro inclusis haberi, que pro plena efficaci & sufficienii securitate, in eundo, stando & redeundo, necessariae & oportunaæ fuerint. Illud etiam, ad maiorem securitatē, & pacis conciliationis bonum, exprimens, quod si quis: am, aut illorum aliqui siue in itinere Tridentum veniendo, siue ibidem morando, aut redeundo, aliquod enorme quod absit, egerint aut cōmiserint, quo posset huius fidei publicæ & assecurationis beneficium eis concessum nullari, aut cassari; vuli & cōcedit, ut in huiusmodi facinore deprehensi, ab ipsis duntaxat, & non ab aliis cōdigna animaduersione, cum emenda sufficiēti, per partem ipsius synodi

synodi merito approbanda, & laudanda, mox puniantur ; illorum assecurationis forma conditionibus & modis omnino manentibus illibatis. Pariformiter etiam vult, ut si quisquam, vel aliqui ex ipsa synodo, sive in itinere, aut manendo, aut redeundo, aliquod enorme, quod absit, egerint aut commiserint, quo posset busus fidei publicæ & assecurationis beneficium violari, aut quoquo modo tolli, in huiusmodi facinore deprehensi ab ipsa synodo duntaxat, & non ab aliis, condigna animaduersione & emenda sufficiente, per partem Dominorum Germanorum Augustane confessionis iunc hic præsenium, merito laudanda & approbanda, mox puniantur ; præsenti assecurationis forma, conditionibus & modis omnino manentibus illibatis. Vult præterea ipsa synodus quod liceat ipsis Ambassiatoribus, omnibus & singulis, toties quotiescumque oportunum fuerit seu necessarium, ad auram capiendam exire de ciuitate Tridentina, & reverti ad eandem necnon nuntium vel nuntios suos ad quecumque loca pro suis necessariis negotiis ordinandis libere mittere, seu destinare, ac ipsos missos seu destinatos, seu missum & destinatum suscipere toties, quoties eis videbiur expedire : ita quod aliquis vel aliquis per deputandos Cœciliy societur, qui eorum securitatis prouideant, vel prouideat. Qui quidem saluus cōductus, & securitas stare ac durare debeat, a tempore & per tempus, quo in ipsius synodi & suorum tuitionis curam ipsos suscipi contigerit, & usque ad Tridentum perduci, ac toto tempore mansionis eorum ibidem, & rursum, post sufficientem audientiam habitam, spatio viginti dierum præmisso, cum ipsi petierint aut Concilium, habita huiusmodi audientia, ipsis recessum indixerint, à Tridentino usque in quem quisque elegerit sibi locum iurum, Deo fauente, restituet, dolo & fraude prorsus exclusis. Quæ quidem omnia pro uniuersis & singulis Christi fidelibus, pro omnibus Principibus, tam Ecclesiasticis, quam secularibus quibuscumque, atque omnibus aliis clericis & secularibus personis, cuiuscumque status & conditionis existant, aut quocunque nomine censeantur, inviolabiliter obseruanda esse premitur, & bona fide spondet. Insuper,

super omni fraude & dolo exclusis, vera & bona fide promittit ipsam synodum nullam vel manifestè vel occuliè occasionem quæsuram, aut aliqua autoritate, potentia, iure vel statuto, príuilegio legum vel canonum aut quorumcunque Conciliorum, præsertim Constantiensis & Senensis quacunque forma verborum expressa, in aliquod huius fidei publicæ & plenissime asecuracionis, ac publicæ & liberae audientie, ipsis per ipsam synodum concessæ, præiudicium quovis modo usuram, aut quenquam uti permissuram: quibus in hac parte pro hac vice derogat. Quod si sancta synodus, aut aliquis ex ea, vel cuiuscunque conditionis, vel status aut præminentie existens, præscriptæ assecurationis & salui conductus formam & modum, in quo-cunque vel clausula violauerit (quod amen auertere dignetur omnipotens) & sufficiens emenda non fuerit mox subsecuta, & ipsorum arbitrio merito approbanda & laudanda; habeant ipsam synodum, & habere potuerunt incidisse in eas pœnas, quas iure diuino & humano aut consuetudine, huiusmodi saluorum conductuum violatores incurrere possunt absque omni excusatione, aut quavis in hac parte contradictione.

3 Hæc omnia totidem verbis repetuntur less. 18. in fine; & postea sic subditur: Eadem sacrosancta synodus, in spiritu sancto legitime congregata, omnibus & singulis aliis, qui nobiscum in iis, quæ sunt fidei, communicationem non habent ex quibuscunque regnis, nationibus, provinciis, ciuitatibus ac locis, in quibus publicè & impunè prædicatur, vel docetur, siue creditur contrarium eius, quod sancta Romana sentit Ecclesia, dat fidem publicam, siue saluum conductum sub eadem forma & eisdem verbis, quibus datur Germanis.

4 Hactenus etiam ipsa verba Concilij, in quibus fit mentio publicæ fidei, seu salui conductus. Ex iis omnibus, si potes Bataue, extunde mihi hanc vocem: *Hæreticis non est seruanda fides.* Nec tu, nec quisquam aliis id poterit. Quid ergo molestus mihi es? Cur contra conscientiam tuam clamas, in Concilio Tridentino decreatum

tum esse, *Hæreticis non esse seruandam fidem?* Imò apertè contrarium decretum est. Nam si verba & sensum Cōciliij attendas, inuenies hæc duo statui ac decerni; *Vnum est*, vt omnibus Catholicis ac hæreticis, cuiuscunque status aut conditionis sint, liceat publica fide ac securitate venire ad ciuitatem Tridentinam, ibidem manere, stare, proponere, disputare, domum redire. *Alterum est*, vt nemini liceat hanc publicam fidem ac securitatem omnibus promissam, vlo modo violare; Et si quis, siue Catholicus, siue hæreticus, eam violauerit legitimè puniatur, subeundo illas pœnas, quæ iure diuino & humano in violatores fidei constitutæ sunt. Hæc est summa decreti. Ex quo duo colligo, quæ ad rem faciunt. *Primo*, Concilium velle ac seriò mandare, vt fides publica, quæ hæreticis promissa est, omnino seruetur. *Seconde*, Concilium sentire, eum, qui promissam hæreticis fidem violauerit, non solum humano, sed etiam diuino iure puniri posse. *Quid* clarius dici aut definiri potest? Et tu in tam clara luce latebras quæris & ambages?

s Ne tamen nihil videaris agere, multa obiicis, quæ vel apertè falsa sunt, vel ad rem non faciunt. Ponam obiectiones tuis verbis. *Primùm ergo* sic ais; *Sed cum delinquentibus & peccaturis fides publica, plenissima & verissima securitas, huius Concilij decretis, vestrae fidei sociis promittatur: piisque interim undique omni perfidia genere inuoluti atrocissimè opprimantur; an non verè istiusmodi decreta & oracula ex latronum antro, qui aliqua mente præditus est, edita esse dicet?* Audi Bataue. An non potius, qui aliqua mente præditus est, dicet te calumniari? fides publica & securitas plenissima, non tantum nostræ, sed etiam vestræ fidei sociis promissa est. Consule verba Concilij paulo ante citata. Deinde, qui sunt illi pij viri, qui atrocissimè oppressi sunt contra publicam fidem à Concilio datam? Si potes eos nominare, fatebor decreta Con-

ta Concilij ex latronum antro prodiisse. Si nō potes, dicam te ex eodem antro eructare mendacia. An satis tibi est, calumniam istam in chartam coniicere, ut imponas simplicioribus? Hoc bonum virum non decet.

6. Sed pergis; Et adeò tamen, locusta effrons es, ut illo salu-
so conductu per illos coniuratos Patres (quorum maiori parti
nulla erat fides) Euangelicis, quos tu hæreticos mentiris, fidem
datam seruandam esse decretum fuisse, ostentare audeas, cum ne
ulla quidem in illo hæreticorum fiat mentio, sed è contra, instin-
ctu Pontificum, indefessoque Cardinalium & Episcoporum cona-
tu, ne Regibus & Principibus quidē, licet Catholico Romanis,
maiestas & fides integra seruarentur, imo iisdem ipsis, ut omni
alio bello inter ipsos suspenso, fœdera inter se mutua ad extirpa-
dos Euangelicos, suaderetur, cōciliarent. Interim dum coniurati
elli patres ipsos Reges & Principes mereetricum mores regia &
principali potestate in præmium opera sibi fortiter nauatae, peni-
tus exuere niuntur. Et Pontifex per Italiā, Cæsar per His-
paniam, Germaniā & Belgium; & Franciscus II. & Carolus IX.
per Galliā: eipsa ad opprimendos Euangelicos principes & po-
pulos, & Tridento quidē procul in unum confirabani; & Tri-
dentii in ipso viperarum & latronum antros Christianis Euæ-
gelicis orthodoxis fidem publicam & tutam securitatem ad vitā
sanctum suam ab igne, ferro & veneno liberandam, profusurā,
locusta canias? Multa hic dicis Bataue, 1. me effrontem
locustam esse, Condono hoc tibi. 2. Patres Cōcilio fuisse
coniuratos. Nihil absurdī, si in bono Coniurarunt. 3.
maiori illorum parti nullam fuisse fidem. Tantundem
probas, ac si dicam, tibi nullam esse fidem. 4. me men-
tiri asserendo Euangelicos esse hæreticos. At nunquam
ego asserui Euangelicos, sed Caluinistas esse hæreticos:
nego autem Caluinistas esse Euangelicos. 5. in Cōcilio,
nullam fieri mentionem hæreticorum. Ergo tu men-
dax es, qui dicis in Concilio definiri nullam hæreticis
seruandam esse fidem. 6. omni conatu laboratum esse à

Cardinalibus & Episcopis, ne fides integra seruaretur Regibus & Princibus, etiam Romano-Catholicis, Hoc dicitis, non probas. Et putidum mendacium est. 7. suorum est ijsdem Régibus & Principibus, ut inter se fœdera inirent ad extirpandos Euangelicos. Volebas dicere, hæreticos. Nam Euangelici extirpandi non sunt. 8. Patres Cōciliij conatos esse, penitus exuere Reges & Principes Romano-Catholicos Regia & Principali potestate. Aut fabulam, aut somnium narras. Quis genius tibi hoc inspirauit? 9. Pontificem, Imperatorem, & duos Reges Galliæ, Carolum & Franciscum, re ipsa conspirasse ad opprimendos Euangelicos. Semper hic erras. Caluinistæ nō sunt Euangelici. Et iniuriam facis Imperatori, & Galliæ Regibus, quod eos in malo conspirasse interpretaris. Itane Imperatorum & Regum famam publicè tu traducis? 10. Tridentum tempore Concilij fuisse antrum viperarum & latronum. Ergo ne Legati Imperatorum, Regum & Principum, viperæ & latrones tibi sunt? Parum Euangelicè loqueris, mi Batue.

7. Iterum pergis; Tu fidem publicam plenissimamque securitatem Trideti in ipsis venabulis venatores lupos & depastores misellis ouiculis Christianis & orthodoxis, ad demonstrandos Ponificum & sequacium eorum in doctrina & moribus errores, in medium prodeutibus promissam seruandam esse decantare andes; ubi Catholicorum Regum & Principum legatis pontificis, de morum tantum, aut præcipue reformatione agentibus, vix tuis esse licebat? ubi ipsis Regibus & Principibus Catholicis Romanis ab libitu Iouis Capitolini excommunicatis, Imperia & regna perfidè auferri posse decretum fuit? vitam qui cui non seruant, an nos ita fungos esse putas, Beccane, ut fidē illi eisdem seruaturos credamus? Illos, inquam, quilingua iurant, & promittunt, & mentem iniuratam tenent? qui Euangelicos communem omnium Catholicorum hostem esse iniustum

iniustum docetis , & scribitis , & consequenter talem , cum quo nec fides , nec iurandum commune esse debet ? Hic primum nihil aliud video , quam inermeū & calumniosam exclamationem , deinde nectuntur putida aliquot mendacia . Primum est , Legatos Regum & Principum Catholicorum vix fuisse tutos Tridenti . Vnde hoc habes ? Alterum , decretum fuisse , vt Reges & Principes Catholicci ad libitum Pontificis excommunicati , regnis & imperiis suis perfidè exuerentur . In qua sessione decretum id est ? Putas Pontificem tui similem esse , qui audes publicè decernere , Regem Hispaniæ suo regno exturbandum esse ? Tertium , pontificios lingua iurare & promittere , & mentem iniurataim tenere . Quid si regeram , Caluinistas lingua iurare & mentem iniurataim tenere ? Plures hoc credent , quam illud . Quartum , nos scribere & docere , Euangelicos esse tales hostes , cum quibus nec fides , nec iurandum cōmune esse debet . Absit , vt hoc dicamus de Euangelicis . Imò nec de hæreticis ita sentimus . Ostendi tibi paulo ante , Patres Concilij Tridentini non solum publicam fidem obtulisse & promisisse hæreticis , sed etiam pœnam statuisse in eos , qui fidem hæreticis promissam violarent .

8. Pergis porrò ? Expressim , vt dictum est ad Constantiensem sinagogam veniendo à Sigismundo Imperatore saluus conductus Husio datus est , & tamen ille , & Hieronymus Pragensis , orthodoxias causa , iuxta coniuratorum illorum Patrum sententiam , viui exculti fuerunt ; hoccine tu fidem datam non violare appellas ? Quid itaque de Cōciliij Tridentini saluis cōductibus tenendum aut timendum putas , in quibus nulla hæreticorum expressa menio facta est ? Et tamen tu Beccane tali securitate Euangelicos à cruentissimis suppliciis & lanienis vestris tutos , atque fidem ipsi datam seruandam fore , dulce canendo , ut auceps , docere conaris . Ofrandem & perfidiam plusquam Gra-

cam, plusquam Punicam. Videris sic argumentati; in Constantiensi Concilio fides Hussio & Hieronymo Prægensi violata est: ergo etiam in Tridentino fuisset violata Euangelicis. Nimirum ex mendacio somnium colligis. Nego fidem violatam esse Hussio. Hussius Imperatori fidem violauit, ut ostendi in disputatione de fide hereticis seruanda. Et infra suo loco iterum ostédam. Porro, cum ait, nullam hæretorum fieri mentionem in saluis conductibus Concilij Tridentini; aperte repugnas tibi ipsi. Nam alibi contendis, in eodem Concilio definitum esse, *Hæreticis non esse seruandam fidem.* Vnde sic regero; Qui nullam facit mentionem hæretorum, ille non decernit, hæreticis non esse seruandam fidem: atqui Concilium Tridentinum in suis saluis conductibus, nullam facit mentionem hæretorum, ut tu fateris: Ergo non decernit, hæreticis non esse seruandam fidem. Quid ergo tu nobis obiiciis? Cætera, quæ sequuntur, *O fraudem, O perfidiam,* verba sunt quæ strepitum faciunt, & nihil probant.

9. Deinde quasi ab exordio, incipis scrutari mentem Concilij Tridentini per multas Pagellas, cū ait; *Non abs re futurum esse viri boni crediderunt, circa ambagē Tridentini Concilij partem qua fidem & securitatem publicā Euangelicis datam spectat; paulo propius examinare.* His & sequentibus verbis, quæ propter fastidium omitto, nihil aliud facis, quam falsis suspicionibus & interpretationibus, mentem Concilij Tridentini peruertere, & in alium sensum trahere. Sed frustra. Nam mens Concilij ex verbis ipsius supra citatis clara & aperta est. Et sanè, ideo integræ ipsius verba hic transcripti, ut quiuis videat & intelligat, quam tu malitiosè & impudenter ea interpretaris. Et tamen audes polliceri, te citra ambagem Concilij decreta examinaturum; Imo nihil aliud, quam ambagem, vbi minimè opus est, sectaris. Hoc solùm à te postulo,

postulo; & vrgeo, ut ex verbis Concilij colligas hāc sententiam, *Hæreticis non est seruanda fides*. Quandiu hoc non facis, nihil ad rem facis. Semper tibi occinam; *Heus Bataue, dic de tribus capellis.*

10. Tandem tamen videris dicere aliquid ad rem; sed planè ex desperatione. Cum enim ex saluis conductibus Concilij Tridentini, non posset extundere hanc vocem; *Hæreticis non est seruanda fides*; cœpisti omnes angulos totius Concilij excutere, & tandem. s. 25. cap. 20. de reformatione, reperisti hæc verba; *Decernit & precipit (sancta synodus) sacros Canones & Concilia generalia omnia, nec non alias Apostolicas sanctiones, in favorem Ecclesiastiarum personarum, libertatis Ecclesiasticae, & contra eius violatores editas, que omnia presenti etiam decreto innovat, exacte ab omnibus obseruari debere*. Ex quibus verbis potest fieri tale argumentum pro te; Quæcunque in canonibus sacris, Conciliis generalibus & Apostolicis sanctionibus decretata sunt, ea in Concilio Tridentino renouantur, & exactè obseruari iubentur: Atqui in Canonibus sacris, Conciliis generalibus & Apostolicis sanctionibus decretum est, non esse hæreticis seruandam fidem: Ergo hoc etiam in Concilio Tridentino renouatur & exactè obseruari iubetur. Hæc, opinor, est vis argumenti tui. Sed audi Bataue, Effugium quæris & latebras. Cum enim in saluis conductibus Concilij Tridentini non reperias, quod ostensurum te promisisti; abducis nos aliò. Sed hoc etiam frustra. Nam apertè falsum est, quod assunis in arguento, definitum esse in sacris Canonibus, in Conciliis generalibus, & sanctionibus Apostolicis, quod hæreticis non sit fides seruanda, ut ex sequentibus patebit. Accedit, quod nunquam Patribus Concilij Tridentini in mente venerit, eo loco definire aut reuocare, quod tu vis. Nam supra ostendi, Patres in suis saluis condu-

cibus disertè statuisse, vt fides & securitas publica, quæ hæreticis promissa & oblata erat, integrè seruare-tur, & si quis eam violaret, subeundę pœnę esset obno-xius. Non ergo, vt tu vis, cōtrarium hic statuerunt. De-nique, Patres loco citato nō renouāt omnia simpliciter & absolutè, quæ in sacris Canonibus, Cciliis generali-bus, & sanctionib. Apostolicis decreta sunt, sed ea tātū, quæ in fauorē personarū & libertatis Ecclesiasticæ de-creta sunt, vt ex verbis Concilij patet. Iam verò decretū de nō seruāda fide hæreticis (si quod tale esset, quod tamen non est) non magis esset in fauorē Ecclesiasticorū, quam laicorū. Sicut enim ex vi illius decreti, Ecclesiasti-ci liberi essent à seruāda hæreticis fide, sic etiā Laici, Est enim utrobique par ratio. Sed videamus deinceps, qui d ex aliis Conciliis & Canonibus pro te adferas.

Q V A E S T I O N E S.

An Catholici in Constantiensi Concilio doceant, Hæreti-cis non esse seruandam fidem?

1. **H**oc etiam affirmas in utroque tuo libello. Ego, & alias negauī, & nunc iterum nego. Ex-pendamus ergo verba Concilij sess. 19. quæ sic habent; *Præsens sancta synodus ex quoouis saluo conductu per Impera-tores, Reges & alios seculi Principes, hæreticis, vel de heresi diffamatis, concessō, nullam fidei Catholicae vel iurisdictioni Ecclesiasticae præiudicium generari, vel impedimentum præstari posse, seu debere declarat, quo minus, dicto saluo conductu non obstante, liceat iudicio competenti & Ecclesiastico, de huiusmo-di personarum erroribus inquirere, & alias contra eos debite procedere, eosdemque punire, quantum iustitia suadebit, si suos errores renoscere pertinaciter recusauerint, etiam si de saluo con-ductu confisi, ad locum venerint iudicij, alias non venturi: Nec*

sic

sic promitterentem, cum fecerit, quod in ipso est, ex hoc in aliquo remansisse obligatum.

2. His verbis, ut vides, duo decernuntur. *Vnum est,* quod sacerdotalis potestas nullo modo possit impedire Ecclesiasticam potestatem à suo legitimo exercitio: ac proinde si quis sacerdotalis Princeps det alicui heretico saluum conductum, hoc non debeat obstatere, quo minus liceat Ecclesiastico iudici suum officium exercere, id est, examinare reum, & secundum allegata & probata procedere. Et ratio est, quia quando sunt duo Principes, qui habent distincta iudicia & tribunalia, quantum alterum altero maius ac superius est; tunc inferior Princeps non potest impedire superiorem ab executione suæ iurisdictionis, ac proinde securitas, quam promittit alicui, non extendit se ad tribunal superioris Principis, quia *superior legibus ac pactis inferioris non ligatur* (cap. cum inferior, Extra, de maiestate & obedientia) Atque Princeps sacerdotalis, & Princeps Ecclesiasticus habet distincta tribunalia; & Ecclesiastorum tribunal est superior. (cap. solite, titulo citato) Ergo Princeps sacerdotalis, quando dat alicui subdito saluum conductum, non potest illum extendere ad tribunal superiorius, sine ipsius consensu; nec per datam à se securitatem, impedire iurisdictionem superioris Principis. Quid certius? Hoc ipsum disertè docent Iureconsulti. Euerardus Speckan Iuris Professor Helmestadij, Centuria prima questionum iuris, q. i. de eadem re sic habet;

Iudex superior talem fidemiam à Iudice inferiore factam, ratam habere nō cogitur: tum quod reipub. intersit, delicta puniri: tum etiam quod superior legibus aut pactis inferioris nō ligatur.

3. Alterum est: quod sacerdotalis Princeps, qui promittit alicui securitatem, cum fecerit, quod in ipso est, non maneat in aliquo obligatus. Et ratio est, quia qui promittit securitatem, non censetur maiorem pro-

mittere, quām præstare possit. Si ergo facit, quod in se est, non peccat contra fidem promissionis. Quid autem hoc sit, principem facere, quod in ipso est, paulo post explicabo. Tu enim & tui similes, sinistrè hoc interpretamini.

4. Atque hēc sunt duo decreta Cōcilij Constantien-sis, quibus non decernitur, *fidem hereticis non esse seruan-dam* ut tu malitiosè obiicis; sed instruuntur principes sacerdtales, quid in saluis conductibus seruare debeant, & quousque extendat se illorum potestas & iurisdictionis in promittenda & præstanta securitate.

5. Quid tu nunc contra adfers, vel adferre potes? Primum, arrodis illud, quod in explicatione prioris decreti dixi, *saluum conductum inferioris*, id est, Imperatoris, Regis & Principis, *non impedire superiorem Ecclesiastico-rum iurisdictionē*. Atque hinc tria absurdia colligis, Vnū quod debitam *Principibus, Regibus & Imperatoribus fidem ac obedientiam denegemus*. Alterum, quod publicam eorumdem fidem cum summo probro conuellamus, & subditos ad rebellionē concitemus. Tertium, quod *Principatum Ecclesiasticum, nefando periurio, supra omnes Reges & Imperatores efferaamus*. Singula videamus. Primum absurdum non potes inferre, nisi hoc modo. Quicunque dicit, *saluum conductum Imperatorum, Regum & Principum non impedi-re superiorem Ecclesiasticorum iurisdictionem*, is dicit, *Imperatoribus, Regibus, & Principibus non esse debitam fidem & obedientiam præstandam*; sed Catholici dicunt prius: Ergo & posterius. Maior falsa est. Ut hoc videoas, repono tibi similem hunc sillogismum. Quicunque dicit *saluum conductum inferioris Iudicis, non impedire iurisdictionem superioris Iudicis*, is dicit, *inferiori Iudici non esse debitam fidem & obedientiam præstandam*: sed Iureconsulti dicunt prius; Ergo & posterius. Certè, si maior propositio huius sillogismi falsa

falsa est, ut reuera est, in altero quoque falsam fuisse necesse est. Nihil ergo, Bataue, concludis.

6. Alterum absurdum debes simili syllogismo deducere. Qui dicit saluum conductum Imperatorum, Regum & Principum non impedire superiorem Ecclesiasticorum iurisdictionem, is publicam fidem Imperatorum, Regum & Principum conuellit, & subditos eorum ad rebellionem concitat: sed Catholici faciunt prius: Ergo & posterius. Regero tibi hoc modo; Qui dicit falsum conductum inferioris Iudicis, non impedire iurisdictionem superioris Iudicis, is publicam fidem inferioris Iudicis conuellit, & subditos illius ad rebellionem concitat: sed Iureconsulti faciunt prius: Ergo & posterius. Vides in utroque syllogismo maiorem falsam esse, Ergo iterum nihil efficis.

7. Tertium absurdum sic potest inferri; Qui dicit saluum conductum Imperatorum, Regum & Principum, non impedire superiorem Ecclesiasticorum potestatem, is principatum Ecclesiasticum, nefando periurio, effert supra Imperatores Reges & Principes: Catholici faciunt prius: Ergo & posterius. In hoc syllogismo concedo maiorem, si omittas illam particulam, *nefando periurio*. Fateor enim Ecclesiastica iurisdictionem esse superiorem & praestantiorem iurisdictione temporali seu politica. Nego, hic ullum esse periurium. Et ratio est evidens, quia illa iurisdictio est praestantior & eminentior, quæ versatur circa obiectum præstatius, & ad praestantiorem finem ordinatur: At iurisdictio Ecclesiastica versatur circa obiectum præstantius & ad finem præstantiorem ordinatur: Ergo est eminentior & præstantior. Minor patet quia iurisdictio Ecclesiastica versatur circa res sacras & spirituales; & ordinatur ad finem supernaturalem, nempe ad æternæ gloriæ consecutionem. Iurisdictio autem temporalis seu politica

versatur circa res ciniles & temporales ; & ordinatur ad finem naturalem, nempè ad quietem & pacem Republicæ conseruandam: Ergo Ecclesiastica ratione obiecti & finis præstantior est, quam politica. Quid tu hic absurdī vides ? An tu pluris aestimas negotia politica, quam Sacra menta & verbum Dei ? Principum sæcularium est, tractare causas politicas , Prælatorum Ecclesiæ est, pascere & gubernare populum Christianum Sacra mentis & verbo Dei.

8. Nec ego solus sic sentio. Mecum Episcopi , Pontifices. Imperatores, alij. E multis paucos accipe. Gelasius 1. Epistola 10. Ad Anastasium Imperatorē ; Noſti, inquit , fili clementissime, quod licet praefideas humano generi dignitate rerum terrenarum, tamen præfulibus diuinarum rerum, devotus colla submitis. Et Greg. VII. lib. 8. Epift. 21. ad Hermanum Metensem Episcopum ; Quis dubitas Sacerdotes Christi, Regum & Principum, omniumque fidelium Patres & Magistros censeri ? Nonne mirabilis infamia esse cognoscitur, si filius Patrem, discipulus Magistrum sibi conetur subiungare, & iniquis obligationibus illum potestati sue subiicare, à quo credit, non in terra solum, sed etiam in cœlis se posse ligari & solvi ? Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 17. Ad hodiernum usque diem cernimus mundanos Principes regi & instrui ab Ecclesiasticis. Gregorius Nanzianzenus orat. 17. quæ est ad ciues Nazianzenos , & irascentem Praefatum ; Quid igitur dicitis? an me liberè loquentem a quo animo feretis ? Nā vos quoque imperio meo, lex Christi subiecit. Imperium enim nos quoque gerimus, addo etiam præstantius & perfectius. Nisi vero aequum est , spiritum carni fasces sumittere & cœlestia terrenis cedere. Ioannes Chrysostomus hom. 83. in Matthæum, alloquens Diaconum; Si Dux quispiam, si Consul ipse, si is qui Diadema ornatur, indigne adest; cohibe & coercere: maiorem tu illo habes potestatē. S. Ignatius, Ioannis Euangelistæ discipulus, in Epift. ad Smyrnenſcs: Episcopum

pum oportet hono·are , tanquam principem Sacerdotum ; post
hunc honorare oportet etiam Regem. Et in Epist. ad Philadel-
phienses; *Omnis Clerus , & omnis Populus, milites, Principes*
atque Cæsares obediunt Episcopo. Episcopus vero Christo: Hosius
Episcopus in Epistola ad Constantimum Imperatorem;
Ne te misceas Ecclesiasticis , neque nobis in hoc genere præcipe,
sed potius à nobis disce. Ambrosius Epist. 32. ad Valentinianum
Imperatorem; Quando audisti clementissime Imperator
in causa fidei laicos de Episcopo indicasse: Et Epist. 33. Nolite
*grauare Imperator, ut putes te in ea, quæ diuina sunt, imperia-
le aliquod ius habere : Noli te extollere : sed si vis duntius impe-
rare , esto Dei subditus,*

9. Audi & Imperatores. Basilius Imperator in ora-
tione, quam habuit in 8. synodo ; *Quia tamen acunque, inquit,*
religionis ac sapientiae laicus existat, vel etiam universa virtute
interius polleat, donec lapsus est, unus vocari non desinet. Rur-
sus, Episcopus quantum sit irreuerentia plenus, & nudus omni
virtute, donec Antistes est & veritatis verbum predicanerit,
Pastoris vacationis & dignitatis damna non patietur. Quæ ergo
nobis ratio est in ordine omnium Constitutis? Pastores, verborum
subtilitatem discutiendi, & ea, quæ super nos sunt, querendi &
ambiendi habent. Oportet nos ergo cum timore & fide sincera
hos audiire, & facies eorum vereri (cum sint ministri Dei omnipotens)
& nihil amplius, quam ea, quæ nostri ordinis sunt re-
quirere. Theodosius & Valentianus in Epist. ad syno-
dum Ephesinam ; Candidianum Comitem ad sacram ve-
stram synodus abire iussimus, sed ea lege & conditione, ut cum
questionibus & controversiis que circa fidei dogmata incident,
nihil quicquam commune habeat. Nefas est enim, qui sanctissi-
morum Episcoporum catalogo ascriptus non est, illum Ecclesia-
sticis negotiis & consultationibus immiscere. Honorius in
Epist. Ad Arcadium Orientis Principem; Ad illos (id est.
Episcopos) diuinorum rerum interpretatio; ad nos religionis
spectat obsequium. Justinianus in Authentica const. 123.

*Si Ecclesiasticum negotium sit, nullam communionem habent
civiles Magistratus cū ea disceptatione, sed religiosissimi Epis-
copi secundum sacros Canones, negotio finem imponunto. Re-
fert Sozomenus lib. 1. cap. 8. Constantimum Imperato-
rem scripsisse, tū ad Episcopos, tum ad Præsides cuius-
cunque Provinciæ: ad illos quidem, vt quæ vellent im-
perarent; ad hos autem, vt morem gererent Episcopis,
eorum imperata studiosè facerent.*

10. *Vides, Bataue, Prælatos Ecclesiæ Pastores esse;
Reges & Imperatores, ouium numero censeri: illos
cœlestium; hos terrenarum rerum administratores es-
se: illos præcipere, hos obtemperare. Et tu contra tot
Pontificum, Patrum & Imperatorum testimonia, con-
tra ipsam rationem & veritatem, ex peruersa contradic-
cendi libidine, audes hunc ordinem turbare & sœcula-
rem magistratum Ecclesiastico anteferre? Saltē Cal-
uinum tuum audire debueras; qui ingenuè fatetur
quod nos asserimus. Sic enim loquitur lib. 4. Inst. cap.*

11. §. 4. *Magistratus, si pius est, non volet se eximere communis
filiorum Dei subiectione, cuius nō postrema pars est Ecclesia ex
verbo Dei indicanti se subiicere, tantum abest, vt iudicium illud
tollere dobeat. Quid enim honorificentius (inquit Ambrosius)
quam vt Ecclesia filius dicatur Imperator? Imperator enim bo-
nus, intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est. Quare illi, qui ut
magistratum ornent, Ecclesiam spoliant hac potestate non mo-
do falso interpretatione corrumpunt Christi sententiam (nem-
pe quicquid ligaueritis super terram, erit ligatum & in
cœlis, &c.) sed sanctos omnes Episcopos, qui tam multi à tem-
pore Apostolorum extiterunt, non leuiter damnant, quod hono-
rem officiumque magistratus falso praetextu sibi usurpauerint.
Hæc Caluinus. Ex quo tria disce. Primo, piuum magis-
tratum sponte se subiicere iudicio & iurisdictioni Ec-
clesiastica. Impius ergo, qui id non facit. Secundo, Im-
peratorem bonum, esse membrum Ecclesiæ, non ca-
put;*

put; filium, non patrem. Tu ergo non bonum, sed malum Imperatorem effers supra Ecclesiasticam iurisdictionem. Tertiò, eos, qui magistratum sacerdotalem præponunt Ecclesiastico, corrumpere sententiam Christi, & damnare sanctos Episcopos, qui à tempore Apostolorum extiterunt. Hoc tu facis, Bataue.

11. Atque hæc dicta sint de priori Cœcilij Constantiensis decreto, quod tu frustra oppugnare ausus es. Ostendi enim non rectè ex eo inferri tria illa absurdæ, quæ tu malitiosè inferebas. Circa posterius decretum habes etiam, quod reprehendas, præsertim illud, quod dixi, *Principem sacerdotalem, qui promittiit alicui securitatem, cum fecerit, quod in ipso est, non manere in aliquo obligatum.* Hoc tu interpretaris, quasi dicerem. *Eſſe quidem in potestate Principis vel Imperatoris, Euangelicis ad Concilia cōiuratorum Patrum abeuntibus securitatem dare, non autem datam ſeruare.* Semper hic erras Bataue: Nihil dixi de Euangelicis. Nec vos Euāgelici, sed hæretici estis. Porro verborum meorum non est ille sensus, quem tu fingis, sed longè alius. Affero in Imperatoris potestate esse, non solum dare securitatem, ſed etiam datam ſeruare. Cur ergo non præstat, inquis, vt is, cui securitatem dedit eundi ad Concilium, ſecurus inde exeat? Huius proculdubio intelligis, qui accepta à Sygismundo Imperatore ſecuritate eundi ad Concilium Constantiense, non exiuit ſecurus, ſed exultus est. Hic ſcopulus eſt, in quem ſemper impingitis. Hic tu, & alius ē Bataua Caluinus, Daniel Plancius, multa otiosè diſputatis, Et quidem Plancio facilè ignoscam, quia cum Grammaticus sit, ſuo iure potuit grāmaticē & pueriliter, cōquisitis hinc inde aliquot phrasibus litigare. At re, qui Iureconsultus haberi vis, non melius ea, quæ communi iure ſancita ſunt, intelligere & interpretari, valde equidem miror. Audi ergo, quod Iureconsulti dicāt. Illorum

Iorum regula hæc est. *Quando datur alicui saluus conductus,*
vel securitas iure communi. solum datur contra vim iniustam,
non autem contra iuris executionem. Vnde in omni saluo
 conductu seu securitate, quæ iure communi data est,
 exprimi vel intelligi debet hæc clausula; *Salua semper*
iustitia. Et quidem Saxones ex Carolina institutione
 eam exprimunt sub hac formula; *Damus tibi fidem publi-*
cam, causam dicendi in iudicio, contra vim non tamen contra
iuris executionem, Idem fecerunt Patres Concilij Con-
 stantiensis sess. 6. cum aiunt; *Ad quod à violentia, iustitia*
semper salua omnem saluum conductum nostrum quantum in
nobis est presentium tenore offerimus. Plura de hac re videri
 possunt apud Mynsinger. in observationibus iudicij
 Imperialis Cameræ obser. 82. Euerardū Speckan, Cen-
 turia 1. questionum iuris, q. 1. §. 18. & alios, quibus con-
 sentit clarissimus & consultissimus vir, D. Matth. Boys,
 virtusque Iuris Doctor & professor Coloniensis, quem
 etiam consului.

12. Ex hac regula, quam negare non potes, facile
 iam percipis, quid sit Principem secularem, qui dat ali-
 licui saluum conductum seu securitatem, non manere
 amplius obligatum, si facit, quod in se est. Tantundem
 enim est, ac si dicas, non manere obligatum, si præstat
 quod promisit. Quid autem promisit? Nihil aliud, quam
 securitatem contra vim iniustam, salua semper iustitia
 & iuris executione. Si ergo efficit, ut is, cui securitatem
 dedit, non patiatur aliquam vim iniustam, omnino
 censetur seruare securitatem à se datam. Et hoc est fa-
 cere, quod in se est. Nunc sic applica, Sigismundus
 Imperator dedit Hussio securitatem eundi Constan-
 tiæ & inde redeundi contra vim iniustam, salua sem-
 per iustitia. Hanc autem præstítit. Nihil enim iniuste
 passus est Hussius. Si quid passus est, iuste & legitimè
 passus est. Hoc infra q. 9. clarius tibi demonstrabo.

Nam

Nam ibi iterum de Hassio agendum erit. Hoc loco satis est, quod aliquando cum tuo Plancio intelligis; quid sit, Imperatorem seu Principem saecularem, dato saluo conductu, facere quod in se est. Est enim, defendere contra vim iniustum.

I3. Ex dictis concludo te in Concilio Constantiensi, nec disertè potuisse reperire hanc sententiam; *Hæreticis non est seruanda fides*; nec ullum apicem, ex quo illam vel obscurè colligeres. Hoc solum te egisse, ut decreta Concilij, peruersa & odiosa interpretatione, posses quoquaque modo traducere. Ego potius contrarium tibi ostendam; nempe Patres Concilij sensisse, omnino, seruandam esse hæreticis fidem. Cum enim definiunt Principem saecularem, qui promittit hæretico saluum conductum seu publicam securitatem, & facit quod in se est, non manere in aliquo obligatum; insinuant, talem, Principem seruasse fidem quam promiserat, & boni Principis officio functum esse. Quod si putassent, Hæretico non esse seruandam fidem, non fuisset opus eo confundere, sed rotundè dixissent, Principem saecularem non debere esse sollicitum de seruanda hæreticis fide, nec ullam obligationem oriri ex fide illis promissa. Hoc autem non dixerunt, sed potius Principem qui obligatus est ad seruandam fidem hæreticis promissam, satisfecisse suæ obligationi, si fecit quod in se fuit, id est, si præstiter securitatem contra vim iniustum.

QVÆSTIO VI.

An in Concilio Lateranensi definitum sit, Hæreticis non esse seruandam fidem?

AIs in duobus Conciliis Lateranensibus id definitum esse: quorum alterum sub Gregorio VII. alterum

rum sub Innocentio III. celebratum sit. Vtrumque autem fuisse generale, seu oecumenicum. Ex priori producis haec verba Gregorij VII. *Nos sanctorum predecessorum nostrorum statuta tenentes, eos qui excommunicatis fidelitate aut sacramento constricti sunt, Apostolica authoritate à sacramento absoluimus, & ne sibi fidelitatem obseruent, omnibus modis prohibemus, quousque ipsi ad satisfactionem veniant.* Addis hunc Gregorium antea dictum fuisse Hildebrandum, & de eo sic scribere Abbatem Urspergensem; *Certum est, quod Hildebrandus non fuit electus à Deo, quod fraude & sortibus semetipsum iniruſit, ordinem Ecclesiasticum euerit, imperium Christianum turbauit, Regis pacifici mortem machinatus est, periuros defendit, lites, bella & dissidia fouit, discordiarum semina sparsit, scandala suscitauit, diuertia fecit, denique omnia, quae videbantur inter eos, qui sancte viuebant, ritè ordinata, commouit & euerit.* Non itaque mirum est, si à tali spiritu, huiusmodi impia decreta, quibus Orbis Christiani tranquillitas perturbabatur, Italia & Germania flammis bellicorum ciuilium accendebantur, subditi, ut contra Reges & Principes suos rebellarent à sacramento fidelitatis & obedientiae ipsi debitis soluerentur &c.

2. Ex posteriori Cöcilio Lateranensi ut citas haec verba Innocentij III. Si vero Dominus temporalis requisitus & monitus ab Ecclesia suam terram purgare negligeret ab hereticitate excommunicationis vinculo innodetur; & si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc summatio Pontifici, ut ex tunc ipse Vassallos ab eius fidelitate denunciet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam extirnatis hereticis, absque ulla contradictione possideant.

3. Expendamus singula. Ac primum, ut vera à falsis separantur, notanda sunt tria mendacia, quae hic admisces. *Primum est, quod ais utrumque Concilium fuisse generale, solum posterius generale fuit, non prius. Alterum, quod addis, Abbatem Urspergensem supra dictum*

Et a verba scriptis de Hildebrando, qui postea Gregorius Septimus fuit appellatus. Audi Batane, Abbas in suo Chronico, circa annum Domini 1080. refert quidem similia verba, non tamen sua, sed quorundam exemplorum, qui aduersabantur Gregorio. Et postea subdit verba Anselmi Lucensis Episcopi, quibus defenditur & laudatur Gregorius, in hunc modum; *Vt ergo de beato Gregorio Patre nostro dicam, quod de Cornelio scripsit beatus Cyprianus, factus est Episcopus, de Dei & Christi eius indicio, de Clericorum penè omnium, & ut verius dicam, omnino omnium testimonio, de plebis, quæ tunc aderat, suffragio, de sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio, cum locus Petri & gradus sacerdotalis cathedralē vacaret, &c.* His recitatis subiungit Abbas Urspergensis; *Hac priori sententia valde contraria scripsit Anselmus Episcopus, vir literis apprimè eruditus, ingenio acutissimus, facundia precipuus, & quod omnibus maius est, in timore & sancta conuersatione nominatisimus, adeò ut tam in vita, quam post mortem referatur miraculis clarus.* Vides, quid scribat Abbas de Anselmo, & quid Anselmus de Gregorio. Nec solus Anselmus, sed alij plerique Gregorium insigniter commendant. Platina de eo sic habet; *Gregorius septimus, Hildebrandus antea vocatus, natione Hetruscus, Patria Soanensis, Patre Bonicio, omnium bonorum consensu Pontifex creatur. Ipsius autem electio- nis verba ita annotata sunt. Nos sanctæ Romanae Ecclesiæ Cardinales, Clerici, Acolythi, Subdiaconi. Presbyteri presentibus Episcopis, Abbatibus, multisque tum Ecclesiastici, tum laici or- dinis, eligimus hodie X. Calendas Maij, in Basilica S. Petri ad vincula, anno salutis 1072. in verum Christi Vicarium, Hilde- brandum Archidiaconum, virum multæ doctrine, magna pie- tatis, prudentie, iustitiae, constitutio, religionis, modestum, sobrium, continentem.* Lambertus Schaffnaburgensis eundem Gregorium vocat *virum sacris literis eruditissimum, & in tota Ecclesia tempore quoque priorum Pontificum virtutum genere*

celeberrimum. Marianus Scotus ait fuisse virū venerabilem, & ipsius decreta recenset ac laudat. Otto Frisingensis Episcopus de eo sic scribit; *Forma gregis factus, quod verbo docuit, exemplum lo demonstrauit, ac fortis per omnia athleta, se pro muro Domini Israël ponere non timuit.* Cur hæc omnia, Bataue dissimulas? Cur relictis probatissimis testibus, qui Gregorium commendant, quorundam improborum hominum maledictis fidem habes? Cur falso Abbatem Urspergensem contra me citas?

4. Superest ierium mendacium. Ais Gregorium in suo decreto expressè loqui de hereticis, Non ita est. Expressè loquitur de Excommunicatis. Qui autem erant illi excommunicati? Plerique Catholici; tametsi mali & contumaces. Sie enim legitimus in Concilio Romano sub Gregorio; Statuimus ut nulla unquam persona aliius potentia, sive Rex, aut Archiepiscopus, Episcopus, Dux Comes, Marchio, sive miles, aliqua presumptione, temerarioe ausu, fraude, doloue, seu aliqua perturbatione legatis nostris obfistere & contraire, ne iustitiam & finem componant, pertinet. Quicunque autem temerario ausu, huius nostræ constitutionis violator extite: it, legatisque nostris ad hanc pacem componendam eunib[us] fraudem opponere tentauerit, vinculo eum anathematis alligans. Et paulo post; Rainero, Ugizoni filio indicias trium hebdomadarum damus. Quod si in spacio isto coram vrasenti nostra iustitiam facere noluerit, eo quod fratre suum manus sua intererit, & multa perisuria ut scelestus incurere non abhorruit; anathemate eum percutimus. Et filium Comitis N. datis indicis usque in palmas simili excommunicatione innodamus, eo quod Lucensem Ecclesiam quietè manere, sua diripiendio, minimè permit:it. Et iterum; Excommunicamus omnes Normannos, qui invadere terram S. Petri laborant, & eos qui Beneuentum obsident, & qui tentant Ursum Romanam confundere. Hic aperte constat excommuni-

nicari à Gregorio Catholicos Reges, Episcopos, Comites, Marchiones, Milites, & alios, qui vel obsistunt Legatis Pontificiis, vel homicidia & periuria committunt, vel Ecclesiarum bona diripiūr, vel ciuitates Pontifici subiectas, vi obsident. De his ergo & similibus excommunicatis, paulò post additur; *Nos sanctorum præcessorum nostrorum statuta tenentes, eos qui excommunicatis fidelitate aut sacramento constricti sunt, Apostolica auctoritate à sacramento absoluimus, &c.*

5 Hæc de mendaciis. Nunc ad rem. Quæstio nostra est, an Gregorius Septimus definiat. Hæreticis non esse seruandam fidem? Tu affirmas; & probas ex verbis ipsius supra citatis. Ego nego, & probo ex iisdem verbis, & eorum sensu ac circumstantiis. Non enim loquitur Gregorius præcisè de hæreticis, sed de Excommunicatis, & potissimum ut iam ostendi, de Catholicis excommunicatis. Nec generatiō definit, non esse eis seruandam fidem in publicis vel priuatis contractibus, de quo nostra quæstio est; sed solum, non esse præstandam illis obedientiam à subditis. Quare? quia priuaret eos vsu suæ iurisdictionis. Id autem recte fieri posse sic ostendo; Quicunque legitimè priuatur iurisdictione sua, vel vsu iurisdictionis, ei nulla debetur obedientia à subditis: sed qui propter scelera & flagitia sua excommunicantur, possunt legitimè priuari sua iurisdictione, vel saltem vsu iurisdictionis: Ergo hunc nulla eis debetur à subditis obedientia. Quid hic culpæ est? aut quomodo tu id trahis ad hæreticos, quod æquè intelligi potest ac debet de Catholicis? Duo hic ex te quæram. Vnum est, an non Calvinistæ in Belgio, quoties vi vel astu occupant Catholicam ciuitatem, soliti sint Prætores & Consules Catholicos, prætextu Romanæ religionis, priuare sua iurisdictione, & Calvinistas sustituere? Non potes negare. An hoc modo

non eximant subditos ab obedientia priorum Consulium & Prætorum, qui depositi sunt? Omnidè. An hinc licebit mihi concludere, Caluinistas in Belgio definire non esse seruandam fidem Catholicis? Id negabis. Cur ergo tibi liceat ex facto Pontificum inferre simile conclusionem? *Alterum est.* An non Imperator legitima de causa posset aliquem Præcipem imperiali banno subiicere, vel quodd idem est, proscribere? potest utique. An subditi illius Principis eximantur ab obedientia, quamdiu durat proscriptio? Certum est. An hinc liceat inferre. Imperatorem sancire, non esse Principibus seruandam fidem? Tu videris.

6 Ut hoc clarius intelligas, distinguendæ sunt haec duæ propositiones. *Vna*, Hæreticis ex eo præcisè, quia hæretici sunt, non est seruanda fides in ullo contractu, aut pactione. *Altera*, tam Catholicis, quam hæretici in pœnam alicuius magni delicti, possunt proscribi, & priuari iurisdictione, vel usu Iurisdictionis circa subditos. Prior falsa est; posterior vera. Nostra quæstio est de priori; tu ad posteriora relaberis. Itaque nihil efficis. Factemur, tam Catholicos, quam hæreticos, propter enormia flagitia priuari posse temporali Dominio & iurisdictione, vel saltem usu illius; & consequenter subditos eorum legitimè liberari ab obedientia & fidelitate illis præstanta. Negamus, Hæreticis, qua hæretici sunt, in nullo contractu aut pactione fidem seruandam esse. Et tu Bataue, velis nolis fareri nobiscum id debes. An non scripsisti in priori tuo libello, Philippum Regem Hispaniæ, propter duo notoria crimina (qua tu falso illi impingis) suo regno priuandum esse, & consequenter subditos ab obedientia & fidelitate illi præstanta eximi oportere? Non potes inficiari. An ideo censes, Catholicis Regibus non esse seruandam fidem in ullo contractu aut pactione? Attende quid dicas.

7 Hæc sufficient de Concilio Romano (quod tu Lateranense vocas) sub Gregorio VII. celebrato. Ex quo ut vides, nihil ad rem attulisti, præter tua mædacia. Nam in eo non agitur præcisè de hæreticis, qua hæretici sunt, sed de excommunicatis, siue illi hæretici, siue Catholici sint. Nec generatim de fide seruanda in quoquis contractu vel pactione; sed speciatim de fidelitate, seu obedientia subditorum erga suos Principes & Magistratus. Quod verò adfers ex Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio, eiusdem momenti est. Nam Innocentius in verbis à te citatis, non loquitur de Hæreticis, de quibus inter nos controuersia est, sed de Principibus & Prælatis Catholicis, quibus mandat sub pena excommunicationis, ut purgét suas prouincias ab hæresi; & si id facere negligantur illis priuationem usus Dominij ac iurisdictionis in subditos. Hoc patet ex verbis præcedentibus, quæ tu omisisti, forte ut lectorem deciperes. Ea sic habent; *Moneantur autem & inducanur, & si necesse fuerit, per censuram Ecclesiasticam compellantur seculares potestates, quibuscumque fungantur officiis, ut sicut reputari cupiant & haberi fideles, ita pro defensione fidei præsent publique iuramentum quod de terris sue iurisdictioni subiectis, universo hæreticos ab Ecclesia denotatos, bona fide pro viribus exterminare studebunt, ita quod amodo, quandocumque quis fuerit in potestatem siue spiritualem, siue temporalem assumpius; hoc teneatur capitulum iuramento firmare.* Quis non videt Innocentium loqui de magistratu fidei seu Catholico, tam Ecclesiastico, quam temporali? Et quidem de temporali, immediatè subiungit verba à te superius citata;

Si verò Dominus temporalis requisitus & monius ab Ecclesia, suam terram purgare negligeret, &c.

8 Concludo, falsò te scripsisse, in tribus Conciliis, Tridentino, Constantiensi, & Lateranensi, expressè decreatum esse, quod hæreticis non sit fides seruanda. Nusquam

id, non dico, *expressè*; sed nec *implicitè* innenire potuisti. Ego verò ex Tridentino *expressè*; ex Constantiensi, *implicitè*, contrarium ostendi. Lateranense nihil habet de *hereticis*, qua *heretici* sunt; sed de *Excommunicatis*, siue illi *Catholici*, siue *hæretici* sint. Hæc omnia ex dictis patent. Nunc relictis Conciliis, transeamus ad decreta Pontificum, quæ à te citantur.

Q V A E S T I O VII.

*An Pontifices decernant non esse fidem Hæreticis
seruandam?*

EX antiquioribus duos adducis, qui id decernant. Enempe Vrbanum II. & Gregorium IX. Ex recentioribus tres, Sixtum V. Gregorium XIV. & Paulum V. qui nunc præest Romanæ Ecclesiae. De singulis dicam ordine, ac seorsim. Igitur ex Vrbano II in Epistola ad Episcopum Vapicensem transcribis hæc verba; *In rato milites Hugoni Comiti, ne ipsi, quamdiu excommunicatus est seruiant probibeto. Qui si sacramenta prætenderint, moneatur oportere Deo magis seruire quam hominibus. Fidelitatem enim, quam Christiano Principi iurarunt, Deo eiusque Sanctis aduersanti, & eorum præcepta calcanti, nullæ cohinentur auctoritate persoluere.* Addis hanc Vrbanum II. in Gregorij VII. *sacerlegia & impietas successisse*, ideoque à Bennone Cardinali appellatum esse Turbanum, schismaticum, hereticum, Arianum, & hypocritam. Addis deinde, ab Hugone Comite, cuius mentio facta est, Euangelicos in Gallia, fortè *Hugonotas* appellari.

2 Respondebo tibi ad singula. Ac primò, decretum Vrbani nihil ad rem facit. Nam Hugo Comes, qui ut illius decreti priuatus est subiectione & fidelitate militum, nō fuit *hereticus*, sed *Catholicus*. Nostra autem quæstio

quæstio de hæreticis est. Deinde nihil à te reprehendit potest in illo decreto. Hoc ostendam in simili exemplo Si Mauritius Comes, qui nunc pro fœderatis ordinibus Hollandiæ Dux belli est, apertam defectionem moliretur, aut, ordinum iudicio, iniustum bellum susciperet; an non Fœderati ordines legitime putarent se facturos si illum proscriberent, & iuratos illi milites, sacramento fidélitatis, quo illi obstricti sunt, absolucent: Omnino, inquietes. At similis fuit causa Hugonis Comitis, Nam iudicio Vrbani Papæ, iniquum bellum moliebatur contra sedem Apostolicā, ideoque simili modo puniri potuit. Res clara est. Omnes Reges & Imperatores, quicunque talem belli Ducem nacti sunt, hac pœna dignum esse censem. Et hic valet illud pro militibus *Juramentum non est vinculum iniquitatis.*

3 Quod addis; Urbanum II. in Gregorij VII. *sacrilegia & impietates successisse*, ideoque à Bennone appellatum esse, Turbanum, schismaticum, hæticum; non eget longa responsonne. Ostendi supra, Gregorium non fuisse sacrilegum & impium; sed doctum, pium, prudenter, iustum, constantem, religiosum, modestum, sobrium, continentem. Si in has virtutes successit Urbanus, bene factum est. Successisse autem, testantur probati authores. Platina de eo sic scribit; *Urbanus II. Onus ante a vocatus post mortem Victoris Pontifex creatur, ac merito quidem, Doctrina enim & sanctitate vite, quouis grandu magistratu dignus erat.* Plura vide apud Baroniu tomo XI. annalium Ecclesiasticorum. Porro Benno ille, quem tu citas contra Urbanum, homo fuit mendacissimus, ut clare & copiosè ostendit idem Baronius tomo citato. Et mirum est, vos Calvinistas, quando testibus agendum est, semper suffragia petere ab iis, qui propter mentienti libidinem, in omnibus historiis infames sunt. Talis est tuus Benno,

4 Quod deinde subdit, forte ab Hugone illo Comite, Euangelicos in Gallia dictos esse *Hugonotas*; bene est, quod dicis forte. Nam Florimundus Remondus in libro de Antichristo, cap. 3. longè aliam illius nominis originem esse demonstrat. Ait milites Caluinianos, qui in conjuratione Ambianensi, in mortem Regis totiusque familiæ regiæ conspirauerant, h. buisse hanc tessera, ut obuios quoque alloquerentur his verbis,
Allez vous à Nantes? Et si rogati responderent, *Huc nos;* intelligerentur esse consciij & socij conspirationis. Hinc factum esse, ut ex illa voce, *Huc nos,* frequenter repetita & usurpata, socij omnes *Hugonotæ* nuncuparentur. Sed esto sancti dicti fuerint Hugonotæ ab Hugone Comite. Non magna laus est. Nam Hugo iste fuit homo improbus & rebellis, qui iniusto bello sedem Apostolicam, cuius tamen fidem & religionem profitebatur, opprimebat. At tu illi similes viis esse *Hugonotas.*

De Gregorio IX.

Ex Gregorio IX. in epistola ad Archiepiscopum Mediolanensem adducis hæc verba; *Absolutos se non uerint à debito fidelitatis & totius obsequij, quicunque lapsis manifestè in heresin, aliquo paſto, quacunque firmitate vallato, tenebantur obſtriēti.* Nunc videris aliquid ad rem dicere. Nam quæ hactenus à te allata sunt, nullius momenti fuisse, iam ostensum est. Videamus ergo de hoc Gregorij testimonio. Dico breuiter, nihil obesse nostræ causæ. Hoc sic ostendo. Nostra quæſtio est, an hæreticis, ex eo præcisè, quia hæretici sunt, non debeat seruari fides? Nos id negamus. Et ratio est, quia nec ex natura rei, nec iure diuino, alterum alteri connexum est. Si enim natura hæresis id exigeret, ut ei qui hæresi infectus esset, non seruaretur fides; iam contra ius na-

tum peccarent, quicunque seruarent hæreticis fidem etiam in rebus minimis. Hoc autem falsum est. Non ergo ex natura rei connexa sunt hæc duo, *Hæreticum esse*, & *non seruare illi fidem*. Sed neque iure diuino, connexa sunt. Nusquam enim in scriptura legitimus; *Hæreticis non esse seruandam fidem*. Imò contrarium ex ea ostendi in Disputatione de fide hæreticis seruanda, cap. 7. §. 10. &c sequentibus.

6 Quomodo ergo Gregorius dicit, *Hæreticis non debet fidelitatem, & obedientiam à subditis*? Dicam. Gregorius nouam pœnam constituit in hæreticos sui temporis, quæ nec ex natura rei, nec iure diuino constituta & determinaria erat. Hæc autem pœna fuit legitimè constituta pro illo tempore. Ostendo in simili exemplo. Sicut hæresis peccatum est; ita furtum, adulterium, homicidium, perjurium & blasphemia peccata sunt. Nunc quero, an homicidio, ex natura rei, vel iure diuino, hæc pœna annexa sit, ut homicidis, ex eo præcisè, quia homicidæ sunt, non præstetur obedientia à subditis? Minime. An rex non posset hanc pœnam statuere in homicidas? Omnidè. Faciamus ergo regem in suo regno sancire hanc legem; *Absolutos se nouerint à debito fidelitatis, & totius obsequij, quicunque lapsis manifeste in homicidium, aliquo pacto, quacunque firmitate vallato, tenebantur astrixi*. An hæc lex erit iniqua? Nullo modo. An ex hac lege licebit inferre, homicidis, ex eo præcisè, quia homicidæ sunt, non esse seruandam fidem? Nequaquam. Ergo nec lex Pontificis iniqua est. Nec ex ea licet inferre, Hæreticis, ex eo præcisè, quia hæretici sunt, non esse seruandam fidem. Crèdo, Bataue, te hoc satis percipere. Addam tamen aliud exemplum, vt res fiat clarior. Fœderati in Hollandia statuant hæc legem; *Si quis Capitanus tempore excubiarum repertus fuerit ebrios, nouerint omnes milites se absolutos esse ab omni fidelitate dein-*

cepit illi prestanda. Quid ais; iusta, an iniusta lex est? Iusta, inquis Recte. An ergo mihi liceat concludere? Fœderatos docere, nulli ebrio, ex eo præcise, quia ebrius est, seruandam esse fidem? Negabis. Et hoc recte. Quod ergo in Fœderatis laudabile esse fateris; cur reprehendis in Pontificibus? Et si ex lege Fœderatorum non sequitur nullum absurdum; cur ex simili lege Pontificum absurdum colligis.

7 Sed accipe aliud exemplum à Interconsultis. Imperator I. Nullus. C. de summa Trinitate & fide Catholica sancit hanc legem; *Nullus hereticis ministeriorum sit locus.* Et I. quicunq'ie C. de hereticis. *Vtq' etiam suppicio coercantur, qui illicita habere tentauerint.* Hic etiam quæro, sintne iusta hæ leges Imperatorum, nec ne? Omnidò sunt & laudatae ab Augustino epist 48. ad Vincen-
tium, & epist. 50. ad Bonifacium. An inde liceat inferre, Imperatores decernere, Hereticis, ex eo præcise, quia heretici sunt, nec locum, nec vitam cōcedi posse? Absit. Quid ergo? Imperatores statuisse certam pœnam in hereticos sui temporis, quæ nec ex natura rei, nec iure dicino definita & statuta erat.

8 Hæc sufficerent tibi abundè. Sed addo, leges pœniales, sine sint Imperatoria, sive Ecclesiastica, non obligare ad executionem pœnæ, nisi post sententiam Iudicis, vt docet D. Thomas in 22. q 62. art. 3. ad 3. Et colligitur ex cap. *Cum secundum leges, de Hereticis in 6.* Hinc infero, etiamsi Gregorius decernat. *Absolutos esse à debito fidelitatis, qui aliquo pacto obstricti sunt manifestis hereticis;* non tamen vi illius decreti, re ipsa hereticos priuari vsu suæ iurisdictionis, sed solum post latitii à Iudice sententiam: Et quam diu sententia lata non est, manere in possessione dominij & iurisdictionis. Nunc autem à tempore Concilij Constantiensis non fertur sententia, nisi in paucissimos, & quidem rarissimè.

Vide

Vide quæ in simili casu dixi de pœna amissionis bonorum temporalium, in disputatione, de fide Hæreticis. seruanda cap.8.

9 Nescio, quid amplius à me requiras. Nisi forte sumi velis exemplum à te ipso. Ergo accipe. Tu scriptisti, Regem Philippum, propter notoriam hæresim, priuandum esse suo regno. Sanxisti ergo hanc legem, *Absolutos se nouerint à debito fidelitatis, & totius obsequij, quicunque Philippo regi in hæresin lapso, aliquo pacto, qua- cunque firmitate vallato, tenebuntur obstricti.* Hæc tua lex si verba, si sensum spectes, planè similis est legi, quam Gregorius Pontifex sanciuit. Dic ergo sodes, iustum an iniustum sanciuit? Hoc posterius negabis. Iustum igitur esse vis. An ergo Batauus definis uit, *Nulli regi hæretico;* ex eo præcisè, quia hæreticus est; seruandam esse fidem? Hoc quidem semel aut iterum tibi proposui; sed repetendum sæpe est, ut tu quo exemplo discas, quomodo de aliis iudicandum tibi sit. Si te excusatum vis; cur alios in simili causa accusas? Si agnoscis crimen, prius in te corrige; ac deinde curam iuri alios transfer.

De Sexto V. & Gregorio XIV.

10 Ais Sextum V. de Henrico rege Nauarræ, & Principe Condeo, propter Euangelij professionem excommunicatis, tanquam hæreticis, sic rescripsisse; *Proces- res, feudatarios, vassallos, & populos regnum, discutimus, principatum, & aliorum Dominorum, etiam aliuns superiorem non recognoscens, ac ceteros omnes, qui quomodo- cunque iurauerint, ab omni prorsus fidelitatis & obsequij debito absolutos esse, &c.*

11 Quid hinc infers? An hanc tuam cantilenam, *Ergo hæreticos ex eo præcisè, quia hæretici sunt, non est seruanda fides?* Iam sæpe dixi, frustra id esse. Sixtus duos captum

Prin

Principes, & eos quidem nominatim, affecit hac pœna. An tu illam omnibus communem esse vis? Si Fœderati Hollandiæ nominatim duos Prætores, Petrum & Cornelium, propter crimen defectionis priuarent vñi Iurisdictionis; an tu hanc pœnam in omnes extenderes, quotquot sunt, aut erunt eiusdem criminis socij? Pœna restringenda, fauores ampliandi sunt; inquiunt Iure-consulti.

12. Quod addis, duos illos Principes, propter Euangelij professionem excommunicatos esse, falsum est. Propter Calvinismū excommunicati sunt, Calvinistæ non sunt Euangelici, sed hæretici. Nec Henricus, qui tunc Navarræ, nunc potentissimus Galliarum rex est, id diffitetur. Calvinismum deseruit; Pontificiam religi-
nem amplexus est. An tu contendis, ex Euangelico hæ-
reticum factū esse? Dic verbo. Aut tunc hæreticus erat,
aut nunc est. Causa dicas, nunc esse. Fuit ergo; iam non
est. An ægrè tulit illam pœnam à Sixto V. impositam?
Imò, accepit tanquam medicinā, & sanatus est. Utinam
tū regem illum imitareris. Amat Pontificem; amat Car-
dinales; amat Iesuitas; amat omnes Catholicos. Re-
gina illi Catholica est, Filij & filiæ Catholicè educan-
tur. Quid vis amplius? aut quid virges?

13. Sed forte malis ipsum regem de se loquentē audi-
re, quam me de ipso. Benè est. Audi ergo, quæ Parisiis in-
ipsa regia Lupara coram Senatu Parisiensi, pridie nat-
uitatis Christi, anno 1603. dixerit pro Iesuitis, & de
suo erga eos affectu, apud illos, qui multa dixerant &
consultauerant de Iesuitis in Gallia non restituendis.
Verba eius haec sunt:

*Quæ vos cura & mei ipsius, & regni mei sollicitos habet, ea
mibi grata est; quamuis alteram vix, alteram vero ne vix qui-
dem intelligatis. Et vestri quidem sensus mihi sunt noti; at mei
nequaquam vobis innotescunt. Qua mihi nunc proposuisti,*

hac

hac vos magni esse momenti, ac digna quæ perpendantur, estimastis. Veruntamen non cogitastis, nihil à vobis fuisse dictū, quod octennij aut nouennij spacio à me non fuerit maius perpensum. Rerum publicarum vobis peritis esse videmini: at eorum nihilo plus nostis, quam ipse sciam acta Luium & processus vestros dirigere.

Quod viris è Societate Iesu Poissiacum obiicitis conuentum; vitam reliqui ita se in eo gessissent, atque unus duōne ex iis, qui peroratūne eidem interfuerunt; sanè res multò melius Catholicis cessissent. Quamobrem & iunc, non eorum ambitio, sed virtus enituit. Et sanè obstupesco, dum dispicio, vnde nam illis virtutum ambitionis affinguis, iis inquam, qui dignitaires atque Sacerdotia, quæcunq; ipsis offeruntur, respundi; qui que voulēt, se ad eadem nunquā aspiraturos; nec verò aliud in hoc mundo cipiunt, quam omnibus suā gratis præstare operā, qui ea velint uti.

At displicet hoc nomen Iesuitarum. Cur igitur non displicant, qui se religiosos Trinitatis nominant? Quod si istos eiusdem esse probitatis, quales sunt Iesuitæ, arbitramini, cur iem filias vestras eodem nomine, & virtutē non estimatis, quales Parisii extant, quæ filiæ Dei nominantur? Quin etiam, cur vos non iactatis non minus esse Ordinis Spiritus sancti quam sunt eidem, qui Ordinis S. Spiritus sunt equites mei? Sane malum dici Iesuita quam alio nomine Religiosus.

Sed addu is; Sorbona eos damnauit. Sane quidem; sed eos non nouerat. Qui si ab antiqua Sorbona passi sunt repulsam; iam remelius perspecta qui sunt nouæ Sorbonæ, ab iisdem Iesuitis excoluntur, quos & ideo magnopere commendant.

Quod autem hactenus permisisti, & ut dicitis, per modum prouisionis in Gallia vixere; hanc mibi gloriam Deus reservabat (quam quidem, ut gratiam cœlestem agnosco) nempe, ut eos statuam atque omnino stabiliam. Itaque postbac Edicto & Decreto apud nos erunt. Reges mei prædecessores voluerunt eos admittere. Volo ergo eosdem statuere.

De Academia Parisiensi, qua iis fuerit aduersata, id inde

accidit ; quod alii diligenter fuere, atque aptiores (testabatur hoc frequentia studentium, que ad illorum Collegium confluerebat) quodque in eam nondum erant admissi. At nunc eos non respuerit. Iubebo enim ut admittantur ; quod cogemini a me petere, et efficiam.

Obiicitis, doctiores, qui sunt in vestro senatu, nil didicisse a Jesu. Si doctiores sint seniores, id ipsum fateor : ij enim, antequam jesuitae Gallis innotescerent, disciplinis alibi operam derunt. Sed enim non me latet, aliud secus de iis loqui, eosque adeo, qui vestri sunt ordinis. Et verò ipsis oculis cernimus, eorum absentia relictam esse desertam Academiam vestram, ad eosq; etiam extra regnum nostrum accurrere, Decreta nibil curantes, & pœnas, quas aduersus eiusmodi homines promulgasti.

Quod Fœderatis adhæseint, id temporum iniuria, non autem ipsis est adscribendam. Certe minore culpa quam alij, id fereere. Ac certus sum eandem illorum conscientiam cum iis beneficiis iunctam, qua ergo illos conferam, mihi magis, quam Fœderatis eos esse deuinicturam.

Bona indolis adolescentes (dicas) ad se alliciunt. Ego verò eo magis hoc nomine istos aestimo. Nonne nos fortiorum militum delectum habemus? Quod si studiis & commendationibus inter vos locus non esset, anne aliquem vestro cætu indignum copiaretis in Senatum? Si jesuitæ suos vobis præceptores aut Concionatores traderent ignaros, eos sine dubio irrideteris. At cum ingenio valeant, eos arguitis?

Quod sint ad rem atteniores, calumnia est. In uniuerso regno, quantacunque collegia obtinuerant, redditus annui eorum omnium non excedebant duodecim sive quindecim aureorum millia. Non ignoror cum Biturigis & Lugduni septem sive octo in unoquoque collegio præceptores eorum viueret, triginta etiam sive quadraginta, unum quodque istorum operarios obiulisse. Ceterum si quid erit hac in re animadueriendum, iam id Editio meo est præcautum.

Volo auiem obedientie, quo se Pontifici maxime obstringunt,

Non adiungentur, ut exterritis potius adhaereant, quam fiet fidelitatis iuramento, quod mihi prestatibunt. Quare nec aliquid, quod suo Principi naturali aduersetur, attentabunt. Porro votum illud Pontificium eo tantum spediat, cum eo ut opera, is quis Pater est Ecclesie & Pontifex Maximus, vii velut ad conuertendos infideles. Ac plane liquet, ingenios Indiarum trahens, tuncque haereticorum regiones ad Catholicam fidem per eosdem accessisse. Idque est, quod sepe dixi si Hispania suis Iesuviis usus est, cur Gallia Gallis Iesuviis non vicius? An aliis deteriores sumus? Hispanisne Gallis est amabilior? Quod si Hispania suis est amabilis, cur Gallia non erit Gallis?

Addit is, Iesuita ingrediuntur, ut possunt. Ita vero & alij faciunt, Quin & ipse ut potius, in meum regnum ingressus sum. Sed & credere & fateri debemus magnam eorum esse patientiam, quam cerie admiror. Hac enim, & ipsa vita probata, perficiunt omnia.

Neque vero eos minoris astimo, quod suum egregie colant institutum. Proprieta enim stabit illorum societas. Quae causa fuit, cur nulla in re leges eorum immutauerim, Quod si quid nonnullarum condiciorum imminui, quae non probarentur exterris, Satius est, ut exteri leges a nobis accipiant, quam ut ab iis accipiamus. Ac quicquid huius rei sit, mei tecum subdus iam conueniunt.

Quod nonnulli Ecclesiastici Iesuitis aduersantur, scieniam semper odio habuit imperiua. Observat autem, cum de iis restituendis loqui cepi, duo imprimis genera hominum restitisse, haereticos, & improbos Ecclesiasticos. Quod quidem acriorem mihi stimulum ad eos addidit.

Quod de Pontifice Maximo optimè sentiant, eumque resuerant, id quoque ipse facio. Actamen non sum nescius, nil ab iis amplius de Summi Pontificis potestate dici, doce: sive, quam reliqui Theologi, Catholicaque doceat Ecclesia. Neque vero aliquid docent, quod Ecclesiastici mibi non tribuant quod est tribuendum. Nec unquam inveniūs est, qui ab iis necem regum

regum didicerit. Quare totum hoc, quod illis obiicitur, nihil est. Triginta & amplius anni effluxere, cum in Gallia iuuentuem excolunt centumque Scholasticon millia ex eorum Collegiis aut studia absoluenter, aut ad ea, quae iuriis prudentia, sive medicina sunt, accesserunt. Anne istorum aliquis id se didicisse, vel audiuisse a Iesuitis fassus est? Addo, Ministri exstant hereticorum qui plures annos apud Iesuitas vixerunt. Interrogate eos, quid de vita Iesuitarum sentiant. Profectio censendum est eos quam pessimè de iis locuturos, nisi aliam ob causam, certè ut suam ab iis emigrationem excusent. Nam verò mihi liquido constat, id fuisse ab iis quaesum, respondisse autem, de moribus Iesuitarum nihil esse, quod obloqui quisquam possit. Quod verò ad doctrinam attineret neminem latere, quid doceant. Sanè pauci huic examini sese subiicerent, & conscientiam eius opus est esse securam qui aduersarij sententia stare velut.

De Barerio, qui me voluit interficere, tantum abest, ut Iesuita eius confessionem (quemadmodum dicens) exceperit; ut à Iesuita premonitus de iota refuerim. Bareriumque alter Iesuita monuerit damnationem eternam incursum, si id unquam attentasset.

De Castello nil unquam cruciatibus & tormentis extorqueri potuit aduersus Varadeum, neque contra alium quemlibet Iesuitam. Quod nisi ita res habet, cur eis pepercistis, nec supplicium de eis sumpsistis, qui in vestra potestate, & adeò erant in vinculis?

Sed demus (non tamen concedentes) aliquem ipsorum id assum fuisse. Anne omnes Apostoli ob unum Iudam plectendi fuerint? aut satisfaciam pro latrociniis, criminibus, que omnibus, quae posthac commiserint, qui sub me militarunt? Tunc me Deus reddere & humilem, & saluum voluit: quare ei gratias ago. Ipse me docet, ut illatas condonem iniurias; quod propter cum facio tubens. Quin & quocidic pro meis hostibus oro. Tantum abest, ut hæc meminisse velim, ad quæ parum Christianè me hortamini. Quod quidem mihi accidit à vobis ingratum. Omnes egemus gratia

gratia Dei: Hanc eam bono emam prelio, ut mea erga alios gratia non parcam.

De sororis nostræ matrimonij dispensatione eius, iam Sanctitas eam concessit: ac scimus Patres Iesuitas negotio isti non fuisse aduersatos. Quod si Hispanus, & Iesuita, & Cardinalis operam mihi suam prestitit, qua benedictionem à nostro Sancto Patre summo Pontifice consequerer, cum fidem Catholicam sum amplexus; cur meos naturales subditos in suspicionem vocatis? Ex eis noscam, quæ noscēda iudicauero, neque illis aliud quam quod mihi libuerit, communicabo. Sinite, ut tractem & ducam ipse hanc societatem. Difficiliores & minus aptos ad mentem adducere; Itaque meæ voluntati obtemperate.

14 Credo iam factum tibi esse, Bataue. Audisti Regis verba, mentem, sententiam. Pontificem vocat *Patrem Ecclesiae*. Iesuitarum patrocinium suscepit contra aduersarios. Calvinistas pro hæreticis: Pontificios pro Catholicis agnoscit. Sibi à Deo factam esse gratiam fatetur, quod ex hæretico Catholicus effectus sit. Quid vis amplius? Quod aduersus ex Gregorio X I V. nihil discrepat à dictis. Pergo igitur.

De Paulo V.

15 De Paulo V. sic scribis; *An non & Brevia illa duo Pauli V. Pontificis nuper contra Clementissimum & erga ipsos Pontificios moderatissimum Principem, Iacobum I. magnum Britannie Regem, crudeli ingratitudine, & immoderata tyrannidis appetitu emissam, ad subditorum in optimum suum Principem rebelliones ciendas, idem apertissime testentur.*

16 Primum, quod ait Iacobum regem esse clementissimum & moderatissimum in Pontificios: nescio, quomodo intelligi velis. Hoc scio, non solum parentes ipsius fuisse Pontificios, sed etiam totam Guiisanam familiam, ex qua Serenissima mater eius originem duxit, Pontificiæ religioni esse addictissimam.

Addo, Serenissimam matrem , optimam Scotiæ Reginam,iniquissimo iudicio à Caluinistis Angliæ , morte damnatam esse. Caussam ergo Rex habet , cur in Pontificios, ex quorum prosapia est,meritò sit moderatis simus. Imò caussam non habet,cur ipse Pontificius non sit. Nisi fortè Caluinistarum vi & importunitate impenitus,præstare id non potest.

17 Sed ad rem.Ais duo Breuia Pauli Pontificis contra hunc Regem esse emissā , quibus subditorum erga optimum Principem rebellio excitatur. Prudenter autem facis (vel potius astutè)quòd Breuia illa non transcribas, ne ex verbis ipsius Pontificis , impudentia tua argui possit. Ut ergo res tota clara sit, ponam hic, non modo Breuia Apostolica, sed etiam caussam , ob quam concepta & emissā sunt : Rex Angliæ anno 1606. coëgit omnes Catholicos, qui in Anglia versantur, ut, conceptis verbis præstarent hoc iuramentum , quod sequitur; *Ego A.B. verè & sincè agnosco, profiteor, testificor, & declaro in conscientia mea, coram Deo & mundo, quod supremus Dominus noster Rex Iacobus, est legitimus & verus Rex huius regni, & omnium aliorum maiestatis sue Dominiorum & terrarum: Et quod Papa nec per seipsum, nec per ullam aliam autoritatē Ecclesie vel sedis Romane, vel per ullam mediæ, cū quibuscumque aliis, aliquam potestatiē, nec autoritatem habeat regem deponendi, &c. Item, iuro ex corde, quod non obstante aliqua declaratione vel sententia excommunicationis facta per Papam contra dictum Regem fidelitatem & obedientiam ipsi præstabo, &c.* Præterea, iuro, quod ex corde abhorreo , detestor & abiuro tanquam impian & hereticam hanc damnabilem doctrinam & impositionem , quod Principes per Papam excommunicati vel priuati , possint per suos subditos, vel aliquos alios quoscumque deponi aut occidi. Et ulterius credo & in conscientia mea resolutor , quod nec Papa, nec alius quicunque potestatem habet , me ab hoc iuramento , aut ali-

qua eius parte absoluendi: quod iuramentum agnosco recta ac plena autoritate esse mihi legitimè ministratum omnibusque indulgentiis ac dispensationibus in contrarium renuntio, &c. Sic me Deus adiuvet.

18 Catholici, quia videbant hoc iuramentum sine præiudicio fidei Catholicæ à se præstari non posse, fuerunt valde perplexi, quid agendum sibi esset. Nam si iurarent, agebatur de conscientia; sin minus, de carcere & morte. Intellexit hoc Pontifex, & eodem anno 1606. mense Septembri, misit illis Breue Apostolicum in hæc verba; *Dilecti filij, salutem & Apostolicam benedictionem: magno animi mœrore nos semper affecerunt tribulaciones & calamitates, quas pro retinenda Catholicæ fide ingiter sustinuistis. Sed cum intelligamus, omnia hoc tempore magis exacerbari, afflictio nostra mirum in modum aucta est. Acceptimus namque compelli vos, grauiissimis pœnis propositis, templa hæreticorum adire, cœtus eoram frequentare, conciobus illorum interesse. Profectò credimus proculdubio eos, qui tanta constantia atque fortitudine, atrocissimas persecutions, infinitas propemodum miserias habentus perpessi sunt, ut immaculatè ambularent in lege Domini, nunquam commissuros esse, ut coinqumentur communione desertorum diuinæ legis. Nihilo minus zelo pastoralis officij nostri impulsi, & pro paterna sollicitudine, qua de salute animarum vestiarum assidue laboramus, cogimur monere vos atque obtestari, ut nullo pacto ad hæreticorum templo accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum ipsis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurbatis. Non enim licet vobis hæc facere sine detrimento diuini cultus, ac vestræ salutis. Quemadmodum etiam non potestis, absque evidenter grauiissimâque diuini honoris iniuria obligari, obligare vos iuramento, quod similiter maximo cum cordis nostri dolore audiuitus propositum vobis fuisse præstandum, infra scripti tenoris videlicet; Ego A. B. verè & sincere agnosco, &c. ut suprà Post iuramenti formam recitatam, pergit Pontifex;*

*Quæ cum ita sint vobis ex verbis perspicuum esse debet, quod
huiusmodi iuramentum, salua fide Catholica & salute anima-
rum vestrarum prestari non potest, cum multa contineat, qua
fidei ac saluti aperte aduersantur. Propterea admonemus vos,
vt ab hac & similibus iuramentis prestandis omnino caue-
atis, &c.*

19 Ex his verbis Pauli Pontificis facilè aduertis non
esse mentem illius, vt Catholici in Anglia non præ-
stent Regi ciuilem obedientiam & fidelitatem in re-
bus politicis & sacerdotalibus, vt tu falsò criminaris: sed
ne conscientiam suam, & contra professionem fidei
Catholicae, coniungant se hereticis, & Ecclesiæ Ro-
manæ potestatem, iurisdictionem, & obedientiam ab-
iurent. An tu hoc reprehendas, Bataue? Si Imperator
Rodolphus cogeret omnes, qui sub Imperio viuunt,
iurare in professionem fidei Romanæ & Catholicæ; an
tu hoc iuramentum præstares? Non opinor. An ideo re-
bellis essem Imperatori, te iudice? An Fœderati Hollan-
diæ, si te per literas hortarentur, ne tali iuramento te
obstringeres, rebellionem cierent cōtra Imperatorem?
in causa tua, iudex esto. Accipe, si vis, aliud exemplum.
Multi Caluinistæ viuunt Constantinopoli, & ciuilem
obedientiam Turcarum Imperatori præstant. Quid pu-
tas, si Imperator eos cogeret ad iurandum Mahometis-
mum, an rebelles censerentur, si nollent? Imò impij es-
sent, si iurarent. Intelligis quid velim.

20 Sequitur alterum Breue Apostolicum, quod sic
habet; *Dilecti filij. Salutem & Apostolicam benedictionem.
Renunciatum est nobis, reperiri nonnullos apud vos, qui, cum sa-
cis declarauerimus per litteras nostras, anno superiore X. Calēd.
Octobr. in forma Brevis datas, vos tutta conscientia præstare non
posse iuramentum, quod à vobis tunc exigebatur, & præterea
strictè, præceperamus, ne illo modo præstaretur; nunc dicere au-
dierit, huiusmodi litteras de prohibitione iuramenti, non ex ani-*

mi nostri sententia nostraque propria voluntate scriptas fuisse,
sed potius aliorum intuitu atque industria: eaque de causa
idem persuadere nituntur, mandata nostra dictis litteris non
esse attendenda. Perturbavit sane nos hic munitus, eoque
magis, quia experti obediens in vestram (filii nostri unice di-
lecti) qui ut huic sanctae sedi obediretis, opes, facultates, di-
gnitatem, libertatem, vitam denique ipsam pie ac generose
nibili fecistis? nunquam suspicati essemus, potuisse vocari apud
vos in dubium fidem literarum nostrarum Apostolicarum, ut
hoc pretextu vox ex mandatis nostris eximeretis. Verum
agnoscimus versutiam atque fraudem aduersarii humanæ sa-
luis, eique potius quam vestra voluntati tribuimus hanc re-
nitentiam. Ea propter iterum ad vos scribere decreuimus, ac
denuo vobis significare, literas nostras Apostolicas anno pre-
terito X. Calend. Octobr. datas de prohibitione iuramenis, non
solum motu proprio, & ex certa nostra scientia, verum etiam
post longam & grauem deliberationem de omnibus, quæ in
illis continentur, adhibitam fuisse scriptas, & ob id teneri vos
illas omnino obseruare, omni interpretatione secus suadente, re-
iecta, &c.

Hoc breue, ut vides, nihil aliud continet, quam con-
firmationem prioris. Vnde sicut prius illud reprehendi
non potest; ita neque hoc posterius, plura de his duo-
bus Breuibus Pauli V. videri possunt apud Matthæum
Tortum, Theologum Papiensem, in libello, qui in-
scribitur; Responso Matthæi Torti Presbyteri & Theologi Pa-
piensis, ad librum inscriptum, Triplici nodo triplex cuneus
Concludo ex dictis, apud nullum Pontificem extaro
hoc decretum; Hereticis non est seruandi fides.

QVÆSTIO VII.

An Catholici scribant & sentiant, non esse Hæreticis
seruandam fidem?

A Is multos ita scribere, & sentire, nominatim
Theologos Sorbonistas, Curiam Parlamenti
Parisiensis, Curias aliorum Parliamentorum, Philip-
pum Regem Hispaniæ, & Iacobum Simancam Epi-
scopum Pacensem. Videamus, an ita sit. Et quidem de
Theologis Sorbonistis, de Parisiensi & aliis Parla-
mentis, ita scribis; Sic quoque fidem Henrico III. Gallia-
rum Regi Romano Catholico, tanquam hereticorum fautori,
& subditis seruari non debere, facultatum Theologicorum con-
sultationibus constitutum reperitur, in hunc modum; Quod
populus huius regni solutus & liberatus est à sacramento fide-
litatis, & obedientia regi praestita. Quam Theologorum insa-
niam deinceps curiae parlamenti Parisiensis, alioque perfido Ie-
suitarum furore fascinatae comprobarunt. Postquam autem in-
terfecto per emissarium vestrum Iacobum Clementem parri-
dam inclemensissimum Henrico III. ad regni Gallici guberna-
cula, iure successionis Henricus IV. venit, Sorbonianum Colle-
gium, multo rigidius in eum eandem sententiam repetiuit.
Multa hic dicis. I. Theologos statuisse, populum regni
Callicani solutum & liberatum esse à sacramento fidelitatis
& obedientia regi praestita. Id verum est post latam Iudicis
sententiam, ut supra dixi. Et vestri Theologi Caluiniani
idem decernerent, si quis prætor propter legitimam
causam à Fœderatis proscriptus esset. Imo tu id decer-
nis de Philippo Rege, antequam sententia lata sit. Nisi
tu fortè hanc autoritatem ferendæ sententiæ tibi usur-
pas. 2. ais hanc Theologorum insaniam à Curia Parlamenti
Parisiensis, & aliis curiis fuisse comprobata. Vide,
an tu sanus sis, qui & Theologos, & tot prudentissimos
ac consultissimos viros & præsides, qui in illis Parla-
mentis sunt, insanos vocas. 3. addis, Curias illas perfido
Iesuitarum furore fuisse fascinatas. Nec perfidi, nec fu-
riosi sunt Iesuitæ, ut tu clamas, non probas. Nec pru-
dentissimi & constantissimi viri, qui in curiis sunt pa-
tiuntur

tiuntur se à perfidis & furiosis fascinari. 4. Iacobum Clementem vocas *parricidam* & *emissarium* Iesuitatum. An parricida sit, non disputo. Nego Iesuitarum emissarum fuisse. Henricus IV. qui nunc Christianissimus Galliæ Rex est, ab ea infamia nos purgauit, ut supra audiui. Is & optimus & potentissimus nostræ causæ patronus est. An tu eum ad tribunal tuum vocare vis? 5. Sorbonum Collegium multo rigidiorem sententiam dedisse ait in Henricum IV. Henrici III. successorem. Non repeto, quæ de hac redixi superius. Tu consule. Interim Christianissimus ac Clementissimus Rex contentus est. Utinam & tu sis.

2 De Philippo Hispaniæ Rege sic habes; *Quia tamen tu conuitiis & calumniis & cornibus tuis, Becane, fœderatos insectari non desinis, etiam pactum illud, quod Rex vester Catholicus, Pius ille scilicet cunctarum gentium Parens Philippus II. Hispaniarum in translatione Belgicarum prouinciarum Archiducibus facta, apposuit, si libet, introspice, ut que supra vos docere & decernere probatum est, non antiquis tantum exemplis, quorum infinitus est numerus, sed recentibus rerum testimonius confirmenur.* Et si, inquit Philippus II. quod Deus prohibeat, aliquis ex suis descendentiis ab hac fide (scilicet Romana) discederet, & incideret in aliquam heresin postquam à Pontifice protali declaratus erit, dictarum prouinciarum administratione, possessione & proprietate priuati erunt, earumque subditi & vasalli non amplius illis tenebuntur obediire. *Quid nunc blaterabis, Becane, vtterius? nimirum hos fidem* (quia relicta abominanda vestra idolomania & expulsis vestris erroribus, Euangelici lucem amplexi sunt) *Deo fregisse, itaque eam ipsis non deberi, & multo minus frangi posse, dignum patella operculum.* Et hic multa garris i. affirmas me conuitiis, calumniis & cornibus Fœderatos insectari. Non ita est. Nihil aliud de Fœderatis in tota Appendix scripsi, quam hæc pauca verba; Sane aut Fœder-

ratos periuros, aut ie mendacem esse, necesse est. Hoc cum scripsi, supponebam illos periuros non esse, sed te mendacem. Nam ad veritatem propositionis disiunctiæ (qualis illa mea est) sufficit alteram partem veram esse, etiam si altera falsa sit. Consule præcepta Logicæ.

2. Philippum, per ironiam, vocas pium cunctarum gentium Parentem. Ausim dicere, magis pium fuisse, quam nullus sit Calvinista Batavus, qui illi tanquam legitimo Domino, rebellis est.

3. Decretum Philippi arrodis, quasi Euangelicis Regibus & Principibus infaustum. At certè iniustum non est. Faciamus Fœderatos Hollandiæ conferre alicui viro nobili, eiusque posteris, Præfeturam Frisiae, cum hac moderatione; Si aliquis ex suis descendentiis, ab hac fide scilicet Calvinistica, discederet, & incideret in aliquam hæresin, postquam à Superintendentे pro tali declaratus erit supradicta Frisiae prefectura priuabitur, & subditi Frisiae non amplius illi tenebuntur obedire. Quid censes de hoc decreto? Iustum est, inquit: At plane simile est decretum Philippi. Vel ergo utrumque vel neutrum iustum sit, necesse est. Nisi tu putas Fœderatos rebelles plus iuris habere in Frisiā, quam Regem Philippum in Provincias Belgicas, quas patrimonij loco accepit à parente suo, Carolo V. Imperatore.

Ex decreto Philippi vis probare, Catholicos dicere, non esse hereticis seruandam fidem. Ergo similiter ex Fœderatorum decreto colligi poterit, Calvinistas docere, non esse Catholicis seruandam fidem. Utrinque paratio est.

6. Fidem Pontificiam vocas abominandam idolomaniam, Calvinistas vero, Euangeli lucem amplexos esse ait. At mi homo, Lux Euangeli per totum Orbem diffusa est; Calvinistæ vix in uno vel altero Europæ angulo cogniti sunt.

3 Ex Iacobo Simanca, in instit. Catholica cap. 46, num. 52. transcribis hæc verba; Ad hereticorum penam & odium

& adiunctorum, pertinet, quod fides illis data seruanda non sit (ut
in Concilio Costantini factum) non obstante iuramento. Item;
cum hereticis nullum commercium, pace nulla esse posse; ideoque
fidem illis datum, etiam iuramento firmatam, nullo modo ser-
uandam esse. Vis dicam, Bataue, ubique mala fide agis.
Iacobus Simanca multo aliter loquitur & sentit, quam
tu illi imponis. Disputat eo loco, an fides hereticis ser-
uanda sit? Respondet, seruandam esse in rebus licitis &
honestis; alias non item. Priorem partem tradit his ver-
bis; Si fides hereticis data esset à Principe, vel publica potestate,
exactè seruanda esset; si modo, quod addixisset, non sit de illo
genere rerum, quas lex aut inspirata, aut naturalis vetat præ-
stare. Non enim videtur esse vetitum eorum quæ ad naturæ au-
gentium ius attinent, habere cum heretico commercium. Quid
clarius dici potuit? Posteriorem tradit his verbis; Ac-
cedit, quod cum hereticis nullum commercium, nec pax ultra
Catholicis esse debet. Quanobrem fides illis data, iuramento
firmata, contra publicum bonum, contra salutem animarum,
contra iura diuina & humana, nullo modo seruanda est, in
malis promissis, inquit Isidorus, rescinde fidem: Et iuramentum
esse non debet vinculum iniquitatis. Hic iam apparet tua
fraud & impostura. Priori loco dicit Simanca, in rebus
licitis, exactè seruandam esse hereticis fidem. Hoc tu
dissimulasti. Posteriori dicit, non esse seruandam contra
publicum bonum, contra salutem animarum, contra iura diu-
na & humana. Hanc limitationem tu omisisti. Et adhuc
disputas de fide seruanda, qui in citandis authorum
sententiis omnem fidem abiicere ausus es?

QVÆSTIO IX.

An Catholici re ipsa non seruent hereticis
fidem?

Disputati hactenus de doctrina; nunc de facto Catholicorum disputandum est. Ais ergo Catholicos re ipsa frangere seu violare fidem haereticis datam. Id probat aliquot exemplis. *Primum est*, quia Ioanni Hussio datus est saluus conductus ab Imperatore Sigismundo, & tamen saluo conductu non obstante, combustus est in Concilio Constantiensi, ac proinde publica fides illi violata est. Multa de Hussio dixi in disputatione, *de fide hereticis seruanda*, cap. 12. Sed quia importunus esse non desinis, paucis repetam.

Igitur duobus argumentis probo, Ioanni Hussio non esse violatam fidem. *Vnum est*; Qui dat saluum conductum iure communi, nihil aliud dat, quam securitatem contra violentiam iniustum, *salua semper iustitia & iuris executione*, ut supra q. 5. §. 11. ostensum est. Atqui Sigismundus Imperator dedit Ioanni Hussio saluum conductum iure communi, quod etiam non negas: Ergo nihil aliud dedit, quam securitatem contra violentiam iniustum. Hanc autem praestitit, quia nihil iniuste passus est Hussius. Ergo fidem illi seruavit. Imò, combustus est, inquis. Fateor combustum esse; sed non iniuste. *Primò*, quia Imperator, cum daret illi saluum conductum, sub pœna capitis prohibuit illi fugam. At Hussius contra hanc prohibitionem fuga elapsus est. *Iuste* igitur puniri potuit. *Secundò*, quia retractus à fuga, noluit haeresin abiurare. At leges Imperioriae pœnam capitis decernunt in haereticos pertinaces, *t. quicunque C. de Haereticis*. Nulla ergo iniustitia intercessit.

3 Quid hic dicis, Bataue, pro tuo Hussio: de haeresi silens, & silendo consentis. De fuga, negas. At probi autores affirmant, Campianus martyr in rationibus Academicis, Nauclerus generat. 48. Cochleus lib. 2. historiæ Hussitarum, & alij plures. Imò ex tuis Caluinistis, Laurentius Humfredus in suo volumine, quod cōtra Cam-

pianum

pianum scripsit. Is, inquam, non solum fatetur fugam Hussij; sed etiam conatur excusare dupliciter. Primò, quia Hussius, inquit, videbat se obseruari à Patribus, & suspectum haberri; idoque cepit de fuga meditari. Secundò, fugerunt eodem tempore tres Pontifices, Ioannes, Benedictus & Eugenius. Non ergo culpandus Hussius, si & ipse fugerit sanè, si Humfredus putasset, Hussium non fugisse; quid opus erat hac dupli exculsatione? Neutra tamen sufficit. Nam prior, quia Patres meritò obseruabant illum, quem sciebant palam professum esse hæresin in Bohemia; ne forte & Constantiæ virus suum proseminaleret. An ideo contra datam fidem fugiendum erat? Nec posterior, quia culpa vnius non potest patrocinati culpæ alterius. Fugerint sanè Pontifices (de quo iam non dispuo) an propterea licuit Hassio contra conuenta pacta impunè fugere? Non sic, mi homo.

4 At inquires, in formula Concilij Constantiensis non legitur damnatus esse Hussius propter fugam, sed propter hæresin. Quid tum? Poterat utroque titulo damnari. Patres Concilij iudicabant sufficere crimen hæresis. Vnde, quidquid sit de fuga, iterum concluso, legitimè damnatum esse Hussium, saluo conductu non obstante. Is enim legitimè damnari potest, non obstante saluo conductu, qui legitimè conuincitur de hæresi, quam abiurare non vult, quia saluus conductus, qui cōmuni iure datur, non impedit iustitiam & ioris executionem. Atqui Hussius fuit legitimè conuictus de hæresi, quam abiurare non voluit: Ergo Hussius potuit legitimè damnari, non obstante saluo conductu. Hic veritas te, quo vis, non saluabis Hussium. An negas pertinaces hæreticos puniri posse? At hoc decernunt leges Imperatoriaæ. An Hussium negas fuisse pertinacem hæreticum? At pertinaciter docuit multas hæreses,

vt ostendam

vt ostendi in citata disputatione. An prætendis saluum conductum illi datum? At is via ordinaria, non solet dari, nisi *salua iustitia & iuris executione*, vt fatentur lures consulti. Nullam ergo rimam inuenies, qua elabaris.

5 Alterum argumentum est; Si Hussio fides violata esset, proculdubio, vel ipse aliquando, vel Hieronymus Pragensis, vel certè Bohemi de hac re fuissent questi. At nemo questus est vñquam. Quis ergo credat, fidem illi esse violatam: Sanè, Hussius, cùm ad mortem duceretur, multa liberimè dixit in Ecclesiam Romanam, & ad Christum supremum Iudicem appellauit, vt acta eius, quæ à diuersis scripta sunt, testantur. At de fide violata, ne verbum quidem fecisse legitur. Similiter Hieronymus Pragensis, qui aliquot diebus post Hussium exustus est, publicè quidem testabatur, Hussium fuisse virram bonum, iustum, sanctum, & tali morte indignum; sed contra fidem datam aliquid passum esse, nunquam meminit. Denique Bohemi nobiles, qui impensè fauebant Hussio, & eius dogmata tuebantur, cum postea ad Cœciliū Basiliense, oblato saluo conductu, vocati essent; missa insigni legatione comparuerunt. Quis credat hoc facturos fuisse, si de fide Hussio violata, Catholicos suspectos habuissent?

6 Possum idem confirmare ex Luthero, qui particularem articulum scripsit de Ioanne Hussio, à Leone X. inter cæteros damnatum; in quo, tametsi mirifice laudet Hussium à sanctitate & doctrina, nihil tamen attingit de saluo conductu violato. Ex his omnibus ita concludo; si vel Imperator Catholicus, vel Patres Concilij Constantiensis contra fidem publicam egissent, aliquis saltem ex aduersariis hoc probrum illis obiecisset. At qui nec Hussius ipse, nec Hieronymus Pragensis, nec Bohemi nobiles, nec Lutherus, qui omnes fuerunt hostes Catholicorum, quicquam illis obiecit. Ergo euidentia

dens signum est, nihil tale accidisse. Quid hic respon-
des, Bataue?

7 De Hussio satis. Alterum exemplum est de Hierony-
mo Pragensi, quem etiam aīs contra fidem datam com-
bustū esse. Sed audi paulisper. Consulamus historias. Ex
iis hæc certa sunt. Primò, Hieronymum non accepisse
saluum conductum ab Imperatore Sigismundo. Ita Co-
chleus lib. 2. historiae Hussitarum, Molanus l. 3. de fide
hæreticis seruanda cap. 2. & alij. Secundò, citatum ta-
men esse à Cōcilio Constantiensi, oblato saluo condu-
ctu, cum hac expressa clausula; *salua semper iustitia*, ut
habetur in eodem Concilio, sess. 6. & passim apud alios
authores. Tertiò, citatum comparuisse, disputasse, con-
uictum esse, hæresin abiurasse. Patet ex eodem Con-
cilio sess. 19. vbi ponitur formula abiurationis. Quartò
in hæresin relapsum esse, fugisse, reductum esse, exu-
stum esse, ibidem sess. 21. & apud Cochleum, Mola-
num, Campianum & alios, Hinc concludo, non esse
illi fidem violatam. Primò, quia datus est illi saluus
conductus cum hac clausula; *salua semper iustitia*. Se-
cundò, quia per fugam expirauit saluus conductus.
Tertiò, quia in hæresin, quam abiurauerat, relapsus
est. Hæc tu Bataue, omnia dissimulas.

8 Tertium exemplum est de Archiducibus Austriæ, quos
ait contra pacta, conuenta & iurata Missam restituisse,
& eieōtis Euangelicis, id est, Lutheranis, & Caluinistis,
Iesuitas admisisse. Sic enim aīs in priori tuo libello; *in*
Gallia, Missa Romana per omnes omnino urbes & pagos re-
missa & restituta est; quod & per Hungaria & Polonia re-
gna, etiam contra pacta conuenta & iurata, à pace inita,
tentatum fuit; in Austria vero superiore, cum tali suc-
cessu, ut Archiduces pro Baronibus, nobilibus & aliis subditis
Euangelicis obedientibus, qui expulsi sunt, Iesuitas & Nuncios
Romanos receperint. Posui verba tua, vt intelligas te tui
imme

immemorem fuisse , quando in posteriori libello scripsisti, me illam particulam, *iurata*, falsò addidisse. Non addidi falsò, sed ex tuo libello transcripsi. Sed ad rem. **Vnde scis** , Archiduces Austriæ contra paœta iurata id fecisse? Hic hæres & tergiuersaris. Hoc tandem responsidas, nobis Iesuitis satis constare de hac perfidia , nec opus esse , vt à te instruamur. Sed si hoc satis est ; simili modo dicam te millies contra datam fidem egisse. Si quæras, vnde sciam ? Eludam simili responso ; tibi ipsi satis constare de tua perfidia, nec opus esse, vt à me instruaris. Quanquam adhuc disparatio est. Nam tu, cum homo priuatus sis, audes Archiducibus, qui ex Imperatoria familia sunt, tale probrum, sine teste, publico scripto obiicere ? Et quidem in ipso Imperio , vbi illi Domestici sunt, tu extraneus & peregrinus ? Sed hic Calvinistarum mos, & morbus est.

Epilogus.

Nunc finio Bataue. Satis constat ex dictis Concilia, Pontifices, aliosque authores à te citatos , non id dicere quod tu fingis, sed planè contrarium. In Tridentino expressè cautum est, ne fides & securitas hæreticis promissa, ullo modo violetur. Iacobus Simanca idem confirmat his verbis ; *si fides hæreticis data esset à Principe vel publica potestate, exacte seruanda esset.* Vnde apparet, dupliciter te peccasse. 1. quia falsò Catholicis imposuisti, quod ipsi non docent. 2. quia hoc crimen falsi multis mendaciis confirmare conatus es. Neutrum tamen abhorret ab ingenio Calvinistarum, è quorum numero esse vis. Ego posthac meliorem mentem tibi opto. Et sancte, si prodesse Catholicis omnino non vis, saltem per mendacia & imposturas obesse noli.

DE ANTICHRISTO
Reformato.

OPVS C V L V M III.

LECTOR I.

PRODIIT nuper ex Hassia libellus Caluinisti-
cus, in quo, duplii elencho conatus est persuadere Author, Papam esse Antichristum. Is iussu Ro-
mani & Illustrissimi D. Atilij Amalthei, Nuncij Apo-
stolici, ad me missus est, ut refutarem. Feci lubens, quod
potui. Cæterum, quia non unus ille, sed plures alij, eodem
spiritu & impudentia, eandem materiam tractarunt,
omnes una hac Disputatione refutare aggressus sum.
Tu, Lector, æquo animo accipias, velim. 1608.

De Antichristo reformato.

Lutherani & Caluinistæ, qui se reformatores ac re-
formatos vocant, multa in Ecclesia Christi refor-
mare aggressi sunt, quæ pridem per Pontificios, ut ipsi
aiunt, corrupta erant. Ac primò, ut cætera nunc omit-
tam, nonnulla, quæ difficiliora videbantur, penitus su-
stulerunt, ut ieunia, festa, sacrificia, &c non pauca Sacra-
menta. Secundò, fidem speciali priuilegio auxerunt.
Nam cum antea sine pœnitentia & aliis piis operibus
parum prodesse posset, nunc, Nonatorum concessio-
ne, omnem iustificandi vim & efficaciam sibi vendi-
cat.

cat. Tertiò, excusso Decalogo, & aliis præceptorum oneribus, veram libertatem ac ciuerunt. Quartò, ignem Purgatorium, tanquam infamem carnificinam, abrogarunt. Denique ut ad institutum veniam, nouum Antichristum designarunt. Is cuiusmodi sit, ex sequentibus propositionibus innotescet.

I. Propositio: Antichristus propriè dictus, qui in sacris literis describitur *homo peccati*, & *filius perditionis*, iam pridem in hunc mundum venit.

II. Propositio. Et est ipsemēt Pontifex Romanus sine vlla dubitatione. Omnes enim Notæ Antichristi, quæ in Scriptura fundatæ sunt, optimè quadrant in Pontificem Romanum.

III. Propositio. Sunt autem hæ potissimum.

- 1 *Deficere à vera fide.* 2. Thess. 2. 3.
- 2 *Sedere in templo Dei.* ibidem.
- 3 *Ostendere se tanquam Deum.* ibidem.
- 4 *Extollere se supra omnem Deum.* ibidem.
- 5 *Negare Christum.* 1. Ioan. 2. 2.
- 6 *Idola colere.* Dan. 11. 36.
- 7 *Facere prodigia & miracula falsa.* 2. Thess. 2. 9.
- 8 *Imprimere subditis characterem.* Apoc. 13. 16.
- 9 *Blasphemum esse.* Dan. 7. 25.
- 10 *Sanctos persequi.* ibidem.

IV. Propositio omnes, inquam, hæ notæ quadrant in Pontificem Romanum, ut Inductione patet.

- 1 *Deficit à vera fide in multis articulis.*
- 2 *Sedet Roma in Ecclesia Dei.*
- 3 *Ostendit se tanquam Deum, id est, tanquam visibile Ecclesia Catholice caput.*
- 4 *Extollit se supra omnem Deum, id est, supra omnem ordinem politicum & Ecclesiasticum.*
- 5 *Negat Christum, quia doctrinam eius corrumpit.*
- 6 *Idola colit, quia panem missaticum & imagines adorat.*

7. *Facit falsa miracula Laureti apud statuam Marie Virginis & alibi.*
8. *Imprimis subditis characterem, vngendo illos chrismate.*
9. *Blasphemus est in Deum, & seruos eius, qui Ecclesiam reformat.*
10. *Sanctos Dei persequitur, ut Hussium, Lutherum, Calvinum, & similes.*

V. *Propositio.* Ex his tanquā immotis scripturæ fundamentis apertè concluditur, articulum fidei esse, quod Papa sit Antichristus, & tam indubitatum, quām quod Deus sit in cœlo creator visibilium & invisibilium.

Hæc est breuis resolutio doctrinæ Lutheranorum & Calvinistarum de Antichristo reformato, quæ deinceps examinanda est. Antequam verò sigillatim singulas propositiones expendamus, prius generalia quædā vitia, quæ in reformando Antichristo admissa sunt à Reformatoribus, breuiter aperienda sunt. Præcipua sunt hæc. 1. contemptus Sanctorum Patrum & totius antiquitatis. 2. prava Scripturæ interpretatio. 3. perpetua mendacia & calumniæ. 4. mutua inter ipsos dissensio. 5. maiorum nostrorum in qua condemnatio. Hæc singula breuiter demonstrabo.

1. *Vitium Reformatorum Contemptus SS. Patrum.*

ADuersarij quia videbant se in reformando Antichristo contra venerandam Patrum antiquitatem luctari, cœperūt palam & apertè illorum autoritatem reicere, & quasi toto cœlo aberrassent, illorum suffragia aspernari. Ne longus sim, ex uno disce omnes. Franciscus Iunius Calvinista in suis animaduersiōibus, circa 3. librum Bellarmini de Pontifice, qui est de Antichristo, sic passim de illis loquitur.

1. *Patres à vero ut plurimum aberrant. pag. 402.*

2. Hæ sanctorum Patrum coniecturæ.
3. Hæ merae coniecturæ & probabilitate carentes (pag. 412 .)
4. Hec non testimonia sunt veritatis aut probabilitatis : sed puriputi σοχασμοὶ , opiniones & suspiciones vanae , quibus boni Patres plus satis indulserunt. (pag. 425 .)
5. In hoc argumento communem errorem minimè stabilit Sanctorum Patrum authoritas. (432)
6. Hec non diuinorum Prophetarum effata sunt , sed diuinationes falsæ errantium . (435 .)
7. Patrum testimonia in hoc casu fidem non obligant.
8. Negamus horum authoritatem in hoc genere magnam esse , cum bona Patrum ipsorum venia. (439 .)
9. Quam infirma sit Patrum authoritas in hoc argumento , aliquoties ostendimus ,
10. De interpretationibus Patrum in obscurò hic palpantium iam satis dictum. (440 .)
11. Nos autoritati diuinæ , ac non opinionibus humanis credimus. (ibidem .)
12. Coniectura veterum non probant in hoc argumento. (446 .)
13. Totam hanc interpretationem negamus , quamvis auctoribus multis olim , & hoc quoque tempore placuerit. (403 .)
14. Sed aliter exponit Hieronymus , inquies . Nouimus id quidem , sed alienam esse à Danielis mente affirmamus interpretationem illius . Nec maiorem coniecturarum , quæ ex aliis Patribus adferuntur , auctoritatem oportet esse. (441 .)
15. Negamus De Antichristo propriè & historicè Danielem agere de Antiocho affirmans cum bona Patrum Sanctorum venia. (449 .)

Hæc & similia de antiquis Patribus Nouator Calvinista , in quem optimè conueniat illud D. Augustini li. 1. contra Iulianum cap. 2. l. nunc , & sanctæ Ecclesiæ tot tantumque Doctores , qui vita optimè gesta , debellatisque suorum temporum erroribus , glorioſissimè de hoc ſeculo , antequam vos obulliretis , exierunt , tanquam ſecurus inuita.

Quod

Quod dixi de Francisco Junio , dicendum est de ceteris omnibus. Omnes , quotquot reformatores se vocant , in eadem schola edocti sunt. Omnes contempta patrum antiquorum authoritate suo iudicio stare & sapere volunt; immemores illius Eccle.8.11. Non te pretereat narratio seniorum : ipsi enim didicerunt à Patribus suis; quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis das responsum.

2. *Vitium Reformatorum, prava Scripturæ interpretatione.*

Rejectis & repudiatis Patribus , quid supererat , quām ut quisque pro suo cerebro sacram Scripturam interpretaretur ? Hoc faciunt nostri Nouatores in reformando Antichristo. Et dupliciter hic peccant. Primo , excogitando nouas & falsas Scripturæ interpretationes , ut probent , Pontificem esse Antichristum. Secundò , explodendo veras , germanas , & veterum authoritate confirmatas , quibus nos probamus Pontificem non posse esse Antichristum.

2. Prioris generis exempla sunt hæc. *Primum est 2. Thess.2.4. Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.* Hunc locum qui de Antichristo intelligitur , Ico-nius Caluinista in suo dupli Elencho sic explicat *ostendens se tanquam sit Deus, id est, exhibens se pro visibili Ecclesiæ Catholicæ capite :* ut hinc probet Pontificem Romanum esse Antichristum. Sed quis non videat nouam & inauditam esse explicationem ? Imò apertè falsa est. *Nam ostendere se tanquam Deum* , ponitur ab Apostolo tanquā nota quædam Anrichristi , quæ sine dubio culpanda est. Exhibere autem se pro visibili Ecclesiæ Catholicæ capite , non est nota Antichristi ; sed priuilegium Petri , & successorum eius. An non Petrus constitutus fuit visi-

bilis Pastor suarum ouium, quando dixit illi Christus ; *Pascere oves meas?* Omnidè. At Pastor, respectu sui gregis, non est brachium aut tibia , sed caput ; & quidem caput visibile. Ergo Petrus fuit visibile caput sui gregis, id est, omnium Christianorum, seu totius Ecclesiæ Catholicae. An ideo fuit Antichristus ? Nequaquam.

3. Secundum est ibidem. Extollitur supra omne , quod dicitur Deus, aut quo i colitur. Idem Iconius Caluinista, ut possit hoc accommodare Pontifici , interpretatur hoc modo: Extollitur supra omne id quod dicitur Deus, aut sebastia-
ma, id est , supra omnem ordinem Ecclesiasticum & politicum. Aequè noua & falsa explicatio. Nō enim Apostolus per omne , id quod dicitur Deus aut numen , intellexit om-
nem ordinem Ecclesiasticum & politicum ; sed om-
nem Deum , siue verum , siue falsum, vt apertè constat
ex Daniele .c. 11. 36. vbi eandem Apostoli sententiam
expressit his verbis ; Eleuabitur & magnificabitur aduersus
omnem Deum, & aduersus Deum Deorum loquetur magnifi-
ca. Et Deum Patrum suorum non reputabit , nec quemquam
Deorum curabit, quia aduersus universa consurget. Certè aliud
est , extoli supra omnem Deum, etiam Deum Deorum;
aliud , extolli , supra omnem ordinem Ecclesiasti-
cum & Politicum. Illud prius conuenit Antichristo:
hoc posterius potest etiam bonis viris conuenire. An
non Moses , antequā Aaron consecraretur , erat supra
omnem ordinem Ecclesiasticum & politicum apud Iu-
dæos ? An non Constantinus Imperator (ex sententia
Nouatorum erat supra omnem ordinem Ecclesiasti-
cum & politicum in Concilio Nicæno generali ? An
ideo Antichristus ? Videant Nouatores , & maxime
Iconius Marpurgensis Professor.

4. Tertium est. Apoc. 17. 5. Babylon magna mater for-
nicationum , & abominationum terræ. Et infra. v. 9. Septem
capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet. Hic passim
clamant

clamat Aduersarij, per Babylonem intelligi Romam, quæ habet septem montes; & per mulierem sedentem super septem montes, intelligi Antichristum, qui Romæ dominatur. Nimirum, ut persuadeant Papam esse Antichristum, sed apertè vim faciunt Scripturæ. Nam mulier illa, quæ sedet super septem montes, non est Antichristus, ut ipso fingunt; sed est ciuitas magna, ut ipse met Ioannes exponit in fine capit is, cum ait; *Et mulier quam vidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnum super reges terræ.* Nisi forte idem sit Nouatoribus Ciuitas, & Antichristus; Pagus, & Iosephus.

*s. Quartum est. Matth. 24. 15. Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta stantem in loco sancto. Hæc verba Pouellus Caluinista l. i. c. 4. §. 4. & 5. ex odio in Romanum Pontificem, interpretatur de desolatione Romana per Antichristum futura. Quid nō licet his hominibus? Christus disserè loquitur de desolatione Ierosolymitana, non de Romana. Sic antiqui Patres interpretantur. Sic Beza, & plures Caluinistæ in illū locum, Imo ipsimet Pouellus fateri id cogitur. Nam sermo est de ea solutione, quæ à Daniele prædicta est. Daniel autem prædixit de Ierosolimitana, non de Romana. Sic enim habet c. 9. 27. *Et erit in templo abomination desolationis, & usq; ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Hic sanè Daniel non agit de desolatione templi Romani, sed Ierosolymitani, ut concedunt omnes Caluinistæ, & nominatim Pouellus l. i. c. 11. §. 3. Nam ex hoc loco conantur ostendere, templum Ierosolymitanum post illam desolationem, nunquam porrò reædificandum. Videat ergo Nouator iste, quomodo conciliat verba Danielis cum verbis Christi, si alter de Romana, alter de Ierosolimitana vastatione locutus sit, ut ipse temerè interpretatur. Videat, quomodo seipsum à contradictione expediatur.*

6 *Quintum est Dan. 11. 45. Figet tabernaculum suum Apadno inter maria, super montem inclytum & sanctum.* Idem Pouellus, ut probet Antichristum Romæ sessulum in Ecclesia Christi, torquet haec verba ad Cathedram Romani Pontificis. *Nam Roma, inquit, ubi Cathedra illa est, iacet inter maria; & vocatur mons sanctus & inclytus propter Ecclesiam Dei.* Mira libertas, imò temeritas in hoc homine, Trahit scripturam, etiam reluctantem, quò vult. Legat B. Hieronymum & alios antiquos Patres, qui locum illum Danielis optimè interpretati sunt de vrbe Ierosolymitana, quę iacet inter mare Mortuum, & Mediterraneum, ubi est Sion mons sanctus & inclytus, ut in Scriptura appellatur.

Posterioris generis exempla sunt 7. ista. *Primum Ap. 13. 13. Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu hominum.* Hinc rectè probant Catholici: Pontificem Romanum non esse Antichristum, quia non facit ignem de cœlo descendere. Pouellus Caluinista lib. 1. cap. 26. §. 15. & Balduinus Lutheranus in disp. de Antichristo cap. 6. §. 32. ut euadant vel potius eludant vim argumenti huius, interpretantur verba Ioan. de igne Excommunicationis, ut hic sit sensus: *Antichristus faciet ignem de cœlo descendere, id est, excommunicabit homines.* Et hoc aiunt facere Pontificem. O diuinos interpretes! Hoc modo licebit similia Scripturæ testimonia interpretari. ut v.g. 4. Reg. 1. 10. *Respondens Elias dixit quinquagenerio: si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, ut deuoret te, & quinquaginta tuos,* *Descendit itaque ignis de cœlo & deuorauit eum & quinquaginta qui erant cum eo, id est (iuxta glossam Nouatorum)* *Si homo Dei sum; veniat excommunicatio Pontifica, & percellat vos: venit itaque excommunicatio, & perculit eos.* Similiter Luc. 9. 54. *Domine, vis dicamus, ut ignis descendat de cœlo, & consumat illos? id est, iuxta eandem glossam, Domine,*

ne, vis dicamus, ut excommunicentur hi? Inepta sunt hæc. Sed neque circumstantiæ supradicti loci patiuntur hanc expositionem. Cum enim dicit Ioannes, *Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de cœlo descendere; planè significat, magnum miraculum fore, cum Antichristus faciet ignem de cœlo descendere.* Imò tale miraculum, quo seducat homines, vt credant esse opus diuinitatis. At, quæso, quod aut quale miraculum est, excommunicare hominem? Nullum penitus. Deinde cum addit Ioannes, *vt etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu hominum;* omnino excludit ignem excommunicationis. Is enim non rectè dicitur de cœlo descendere in terram in conspectu hominum; sed potius de cœlo in homines ad terrorem aliorum. Mitto alia, de quibus infra cap. 9.

8. Secundum est Apoc. 13.15. Et datum est illi, vt dare spiritum imagini bestiæ, & vt loquatur imago bestiæ, & faciat, vt quicunque nō adorauerint imaginem bestiæ, occidatur. Hinc etiam rectè probant Catholici, Papam non esse Antichristum, quia nō dat spiritum imagini bestiæ, nec facit, vt loquatur imago bestiæ. Hic iterum Pouellus Calvinista prorepit cum noua solutione. Ait per imaginem bestiæ intelligi antiquum Romanum imperium, quod in Italia quasi demortuum Papa restaurauit, & novo spiritu donauit. Risum teneatis amici. Repugnat totus contextus. Primo, quia Antichristus ideo faciet imaginem bestiæ Ioui, vt palam ostendat se posse facere miracula, quæ omnem naturæ vim & efficaciam longè excedant, & à solo Deo fieri possint. At restaurare regnum vel imperium, quod antea fere collapsum erat, non est tale miraculum. Multi Reges, multi Imperatores humano cōfilio & industria id fecerunt. Deinde, si de Romano Imperio loqueretur Ioannes, quomodo cohærerent sequentia verba, & faciet, vt quicunque nō adorauerint imagi-

nem bestiae occiduntur. An hic erit sensus; quicunque non adorauerint imperium Romanum, occidentur a Pontifice? At hoc non modo ridiculum, sed & falsum est: Pontifex non facit occidere Reges Hispaniae, Galliae, Poloniae, & similes imperio Romano minimè subiectos. Imò fauet ipsis, & eorum regna cupit florere, & conseruari.

9. *Tertium est: Apoc. 11. 2. Et dabo duobus testibus meis & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta annis saccis,*
Et paulo post deisdem; Et cum finierint testamentum suum,
bestia faciet aduersus eos bellum, & vincet illos & occidet eos, &
corpora eorum iacebunt in plateis civitatis magna, vbi & do-
minus eorum crucifixus est. Ex hoc loco colligunt Catho-
lici varia argumenta, quibus probant, Papam non esse
Antichristum. Primum, quia duo testes. Elias & He-
noch, venturi sunt tempore Antichristi. At illi non
dum venerunt. Secundò, Antichristus occidet illos te-
stes: Hoc Pontifex non facit. Tertiò, illi testes occi-
dentur Ierosolimæ, vbi Christus crucifixus est. Id
haec tenus non est factum. Hæc & similia Catholicæ.
Quid autem Nouatores? Theodorus Bibliander in
suo Chronico, tabula 14. David Chytræus in Com-
mentario illius, & quidam alij dicunt, per illos duos
testes intelligi omnes ministros fideles, ut Lutherum,
Zwinglium, Caluinum, & similes, qui ab Antichri-
sto, id est, Pontifice Romano persecutionem patien-
tur. Hoc autem aiunt iam contigisse. Sed turpiter
errant. Primò, quia scriptura aperte dicit ipsum
Eliam & Henoch venturos esse. Malac. 4. 5. Ecce ego
mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniet dies Domi-
ni magnus & horribilis. Et conuertet cor patrum ad filios,
& cor filiorum ad patres eorum. Ecles. 44. 16. Henoch pla-
cuit Deo, & translatus est in paradisum, ut det genibus pœ-
nitentiam, Deinde, licet Elias & Henoch in suis per-
sonis non essent venturi; sed alij similes illis in spiritu

&c

& virtute ; tamen per eos non possunt intelligi Lutherus, aut Caluinus. Primò, quia Scriptura dicit, *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti sacris.* At Lutherus & Caluinus non prophetarunt amicti saccis. Imò saccum excussit Lutherus cum è monasterio profugit. Caluinus nunquam assumpsit. Et quæ eorum prophetia ? Lutheri illa est; *Vinus eram pestis, moriens ero mors tua, Papa.* Sed falsa & inanis. Pridem ipse mortuus est ; & adhuc viuit Papa. Iterum dicit scriptura: *Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetie ipsorum; & potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem, & percutere terram omnī plaga, quotiescumque voluerint.* Quid hæc ad Lutherum & Caluinum ? Non magis, quā ad Iudam vel Arrium. Addit scriptura. *Corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magna, vbi Dominus eorum crucifixus est.* An corpora Lutheri & Caluni iacuerunt in plateis Ierosolimæ , vbi Christus crucifixus est ? Nihil minus. Pergit Scriptura; *Et videbunt de tribulus, & populis, & linguis & gentibus corpora eorum per tres dies & dimidium : & corpora eorum non sinentponi in monumentis.* Et post tres dies & dimidium spiritus vite à Deo intravit in illos: & steterunt super pedes suos: & audierunt vocem magnam de cælo dicentem; *Ascendite huc;* Et ascenderunt in cælum: & factus est terræmotus magnus, & decima pars ciuitatis cecidit, & occisa sunt in terræmotu septem hominum millia. Quæso, quid horum simile accidit Lutheru, aut Calino ? an corpora eorum per tres dies & dimidium iacuerunt in conspectu hominum insepulta ? an iterum post tres dies & dimidium reuixerunt ? an audierunt vocem de cælo, *Ascendite huc* ? an ascenderunt cum corporibus in cælum in nube ? an terræmotus factus est ingens ? an decima pars ciuitatis cecidit ? an septem hominum millia occisa sunt ? Nugæ.

10. Quartum est Dan.7.25. *Sermones contra excelsum loquuntur, & sanctos altissimi conteret; & putabit quod possit mutare tempora, & leges, & tradentur in manu eius usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Ex hoc loco confirmant Catholici, Antichristum regnaturum duntaxat per tempus, & tempora, & dimidium temporis, id est, per tres annos cum dimidio; ac proinde Pontificem, qui multo plures annos regnauit, Antichristū esse non posse, Mirum est, quām depravatē interpretentur Nouatores hæc verba, ut argumento Catholicorū occurrant. Frāscus Iunius Caluinista negat Danielē loci de Antichristo. Affirmat de Antiocho. Quo authore? Impio Porphyrio, qui quōd de Antiocho, & non de Antichristo Danielem intelligerer, ab antiquis Patrib. refutatus est. Sed maluit Iunius Parphyrium, quām sanctissimos Potres sequi. Dicam amplius, maluit Porphyrium, quām sui gregis Caluinistas sequi. Nam illi ex hoc loco probant, has esse proprias Antichristi notas, *loqui sermones contra excelsum, sanctos altissimi conterere, mutare tempora & leges.* Et sanè, quod Daniel de Antichristo, non autem de Antiocho propriè & historicè intelligendus sit; ex ipso contextu cōuinci potest. Agit enim in illo capite de quatuor regnis sibi inuicem succendentibus, quorum primum est Assyriorum: alterum Persarum: tertium Græcorum: quartum Rōmanorum. Hæc designat per quatuor bestias, Léanā, Vrsū, Pandum, & aliam innominatam habentem decem cornua in capite. Igitur regnum Romanorum, est bestia quarta innominata, habens decem cornua in capite. Addit Daniel, è medio horum cornuum, ortum esse aliud cornu parvulum, quo significatur ille ipse, qui sermones contra excelsum loquuntur, & sanctos altissimi conteret, & putabit quod possit mutare tempora & leges. Is autem nō potest esse Antiochus, quia ille non est ortus ē regno, vel regibus

bus Romanorum ; sed ex regno Græcorum seu Macedonum , & ex successoribus Alexandri Magni , qui in Syria & Babylonia regnarunt, ut ex sacris & prophanis historiis perspicuum est.

II. Hæc & similia exempla satis ostendunt , quam malè in causa desperata interpretentur scripturam Novatores, siue probandum ipsis aliquid sit , siue respondendum: & quām falso ac inaniter iactent apud imperitos, se ex immotis scripturæ fundamentis probasse Antichristum. Nunc ad cætera illorum vitia progrediamur.

3. Vniuersitatem Reformationis. Mendacia , & Calumnia.

I. **D**upliciter in hac materia mentiuntur aduersarij. Primò quia clamāt, se ex immotis Scripturæ fundamentis omnia demonstrare. De hoc satis iam dictum est. Secundò, quia passim pro immotis Scripturæ fundamentis, quibus carent, crassâ & aperta mendacia in medium adducunt. Ex multis panca accipe.

2. Caluinus lib. 4. inst. cap. 7. §. 27. dicit, Pontificem cum Cardinalibus docere nullum esse Deum , nullum Christum , nullam Resurrectionem. Verba eius sunt hæc ; *Quasi vero dubium sit, qualem religionis speciem professi sunt iam pridem Pontifices cum toto Cardinalium collegio , & hodie profiteantur. Primum enim arcane illius theologiae , quæ inter eos regnat, caput est, nullū esse Deum. Alterum quæcunque de Christo scripta sunt ac docentur, mendacia esse & imposturas. Tertium , doctrinam de vita futura , & ultima resurrectione, meras esse fabulas. Iam pridem hac ordinaria esse cœpit Pontificum religio. Quid hoc mendacio potest esse mendacius? Quæso, qui sunt illi Pontifices, & Cardinales, qui ista docuerunt ? qui libri in quibus hæc scripta sunt ? quæ Cathedræ*

Cathedræ, in quibus hæc populo instillata? qui auditores? qui hæc auribus percepérunt? Nulli, nusquam.

3. Caluinum strenuè imitantur ipsius discipuli; inter quos conatur excellere Gabriel Pouellus, Bacalaureus Oxoniensis, qui in arte mentiendi benè exercitatus est. Né molestus sim, pauca ipsius mendacia attingam breuissimè: nam omnia recensere, nimis esset fastidiosum.

4. Igitur lib 1. de Antichristo cap. 17. §. 11. dicit, Catholicos docere, quod Papa possit dispensare contra vetus & nouum testamentum. Et nominatim citat Bertachinum in repertorio, Verbo, Papa. At Bertachinus disertè contrarium docet, his ipsis verbis; Papa non potest dispensare in prohibitis testamento veteri & nouo, Item Papa non potest dispensare super usuris, cum sint prohibitæ iure diuino. Item Papa nō potest dispensare, quod matrimonium contrahatur inter personas iure diuino prohibitas. Ego miror, quis dispensauerit cum Pouello Caluinista in tam manifesto mendacio. Certè Papa non fecit.

5. Idem author. lib. 1. c. 16. §. 1. & 2. dicit, Papam sibi vendicare nomen & potestatem Dei. Hoc probat ex Gratiano dist. 98. c. 7. ubi Nicolaus Papa gloriatur se Deum appellari à Constantino Imperatore. Addit Pouellus, Cohorrescat cœlum & contremiscat terra, ob tantam à Romano Pontifice profectam blasphemiam. Rectius ego dicam; cohorrescat cœlum & contremiscat terra, ob tantum à Pouello Caluinista profectum mendacium. Nihil tale ex Gratiano aut Constantino produci potest. Res autem sic habet: Nomen Dei dupliciter Scripturis usurpatur. Primo propriè, pro vero Deo ut Genes. 11. In principio creauit Deus cœlum & terram. Exod. 20. Ego sum Dominus Deus tuus. Eph. 4. 6. Unus Deus & pater omnium qui est super omnes & per omnia, & in omnibus nobis. Secundo metaphorice, pro hominibus sanctis, vel in dignitate

re constitutis, ut exod. 22. 9. *Ad Deos utriusque causa perueniet, id est, ad Iudices, & inf. 5. 28. Dijs non detrahes, & Principi tuo non maledices.* & Ps. 81. 1. *Deus stetit in synagoga Deorum; in medio autem Deos dijudicat.* & inf. v. 6. *Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes,* & Ioannes 10. 34. *Nonne scriptum est in lege vestra; ego dixi; dij estis?* Igitur Constantinus Imperator non solum Pótificem; sed omnes Christi Sacerdotes vocauit Deos, hoc posteriori modo, ut habetur apud Gratianum 11. q. 1. c. Sacerdotibus. et 12. q. 1. cap. *Futuram.* et quid hic culpè est? aut quid merito reprehendat hic Pouellus? Ipse met lib. 1. c. 17. §. 2. fatetur omnes magistratus hoc sensu Deos vocari posse. *Quid ergo mentiēdo insectatur eos, qui Pontificem eodem sensu Deum appellant?* Nimirum, vult calumniari.

6. Pergo. Idem Caluinista c. 16. §. 6. dicit Glossam in c. *Quanta, de translatione Episcopi, docere, quod Papa possit aliquid facere ex nihilo, id est, creare, quod soli Deo conuenit. Mentitur, Glossa id non docet. Sic enim loquitur: De nullo potest aliquid facere. C. de rei uxoria actione l. unica in principio, & de consecration. dist. 2. c. renera. Et sententiam quae nulla est, facit aliquam 3. q. 6. cap. Hac quippe. Quis non videt aliud Glossam dicere, aliud Caluinistam metiri? Glossa dicit, Papam posse efficere, ut cōtractus vel sententia, quæ alias iure cōmuni nulla seu inualida esset, vigorem, & valorē habeat. Hoc enim potest Imperator facere in causis ciuilibus. Imò quilibet Princeps aut magistratus apud suos subditos. At Pouellus Caluinista mentiendi & calumniādi cupidus, trahit Glossam in aliud sensum, quasi dicat, Papam posse aliquid facere ex nihilo, id est, posse rem aliquam creare, quod solius Dei est. Abi homo cum tua illa nequitia.*

Eodem cap. 16. §. 6. dicit. Patres Concil. Tridentini sess. 21. c. 2. docere, quod Papa possū Sacramenta à Christo institu

instituta mutare. Falsum est, Patres id non docent. Aliud est mutare Sacra menta; aliud mutare modum & tempus dispensandi Sacra menta. Illud prius non potest facere Papa; hoc posterius potest. Nec aliud docent Patres Tridentini, verba eorum clarissima sunt, quæ sic habent. *Preterea declarat hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salua illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro eorum temporum & locorum varietate, magis expedire iudicaret.* Quid clarius dici poterat? sanè illa particula (salua illorum substantia) apertè significat, Pontificem non posse mutare substantiam Sacramentorum, ac proinde nec Sacra menta ipsa. Mentitur ergo Calvinista, cum dicat Póntificem id posse iuxta decretum Concilij Tridentini. Idem mendacium repetit cap. 17. §. 14. his verbis: *Papa non solum verbis gloriatur posse se mutare Sacramentorum formam; sed ipso facto palam id tentauit ac fecit, ut apparet ex Conc. Tridentino sess. 21. cap. 2.*

Iterum cap. 19. §. 11. dicit, *Papam iactare quod maior sit Ecclesia, quam Scripturæ authoritas.* Et hoc probat ex Gratiano 25. q. cap. Ideò Iterum mentitur; & quidem valde impudenter. Nam in illo canone apud Gratianum non fit mentio Sacrae scripturæ; sed tantum constitutionum Ecclesiasticarum, quas potest Pontifex figere & refigere, sicut quilibet magistratus potest in sua Republica nouas leges condere & abolere. Verba canonis sunt hæc: *Romana Ecclesia ius & authoritatem sacris canonibus impertitur: sed non eis alligatur; habet enim ius condendi canones.* Nihil hic de Scriptura sacra dicitur, solum afferit, Pontificem Romanum habere ius condendi leges Ecclesiasticas; & earum authoritatem, ac robur pendere à voluntate Pontificis; sicut robur & authoritas legum Imperialium pendet à voluntate & potestate

potestate Imperatorum, qui eas leges condiderunt.

9. Ibidem §.17. dicit grauius peccatum censeri apud pontificios, comedere carnes à papa prohibitas, quam transgredi quoduis Dei præceptum; & facilius absoluī à papa, qui adulterium vel furtum commis̄erit, quam qui carnem die prohibito gustauerit. Hoc ait cuius notum esse, & simul prouocat conscientias nostras in conspectu Dei ac beatorum Angelorum, an non ita res habeat. Ego similiter prouoco conscientiam huius Caluinistæ, si quam habet, an non volens sciens mentiatur. Addo, ex quotidiana Ecclesiæ praxi mendacium ipsius refutari. Nam pontifex, Episcopi, & alij confessarij facillimè dispensant in præcepto Ecclesiæ de non comedendis carnibus; quando est legitima causa. At nunquam dispensant in præceptis diuinis. Vnde si pouellus Caluinista adeat confessarium Pontificium, poterit quidem legitimè obtinere, ut impunè comedat carnes feria sexta aut septima; non tamen, ut adulterium committat, aut mentiatur. Quamquam sine dispensatione, multa huiusmodi facit Caluinista; aut secum ipse dispensat: quando libitum est.

10. Ergo ex his & similibus aduersariorum mendi-
ciis, quæ plurima sunt, facile aduerti potest, quænam
sint immo: illa sacra Scriptura fundamenta, ex quibus aiūt
se demonstrasse, papam esse verum Antichristum. Vi-
deamus cætera.

4. *Vitium Reformatorum, Mutua dissentio.*

I. **N**on mirum est Nouatores, cum à tota Patrum antiquitate, & ab ipsa veritate, ut ostensum est, dissentiant, inter se quoque dissentire. Vitiumque enim ex eadem radice oritur, nempe ex superbia. Inter
superbos

160 DE ANTICHRISTO
superbos, inquit sapiens, semper sunt iurgia. Porrò, sicut in multis aliis, ita in reformando Antichristo mirè dissentunt, non minus quam olim ædificatores turris Babel.

2. Ac primò cum omnes clamant, Antichristum iam pridem venisse; ita dissonantibus tibiis clamant, ut nulla inter voces proportio sit. Quæram ex illis, si Antichristus venit, quo tempore venerit? Audi nouum concentum.

1. *Venit tempore Apostolorum.* Ita Franciscus Iunius ad 4. Bellarmin. Beza in 2. Thess. 2.

2. *Venit post annum Christi 600. tempore Phocæ Imperatoris.* Ita Lutherus in supputatione temporum. Et Ico-nius in suo duplice Elencho.

3. *Venit Anno Christi 763.* Ita Henricus Bullingerus in præfatione homiliarum in Apocalypsin.

4. *Venit Anno Christi 1200. post tempora D. Bernardi.* Ita VVolffangus Musculus in locis, titulo de Ecclesia cap. 12.

5. *Natus est tempore Apostolorum: cœpit regnare tem-pore Phocæ Imperatoris: reuelatus est tempore Lutheri, desirue-tur in fine mundi.* Ita Gabriel Pouellus lib. 1. c. 1. §. 8.

6. *Conceptus est Anno 400. formatus & nutritus in utero matris circa annum 500. natus anno 600. circa tempora Phocæ Imperatoris.* Ita Illyricus Cent. 6. c. 1. in principio.

3. Iterum quæram ex Nouatoribus; Quid sit Anti-christus propriè dictus, quem Apostolus vocat *hominem peccati, & filium perditionis?* Audi responsum.

1. *Antichristus propriè ductus, est thronus, seu regnum ty-rannicum, quod Christi regno contrarium est.* Ita Pouellus l. 1. c. §. 5. Centuriatores cent. 1. l. 2. c. 4.

2. *Antichristus non thronus, aut regnum, aut sedes propriè, sed persona singularis est, &c.* Ita Franciscus Iunius ad cap. 2. Bellarmini.

- 4 Tertiò quæram, si Pontifex est Antichristus, quis primus inter Pontifices cœperit esse talis?
- 1 Gregorius Magnus, homo pessimus. Ita Centuriatores Cent.6.c.1.& Chytræus in c.9.Apoc.
- 2 Non est ita, Gregorius fuit vir sanctus & bonus, Ita Lutherus in suppuratione temporum.
- 3 Quartò quæram? si Pontifex est Antichristus, quem characterem suis subditis imprimat?
- 1 Vocationem Crhisti in fronte. Ita Henricus Bullingerus serm 61.in Apocalypsin.
- 2 Professionem Romanae fidei. Ita Bibliander in Chronico, tabula 10.
- 6 Quintò quæram? an Daniel cap 7.v.8.& 25.agat de Antichristo.
- 1 Omnino agit de illo. Ita Pouellus lib.1. cap. 4. & alibi sæpè.
- 2 Non agit de Antichristo; sed de Antiocho. Ita Iulius ad cap.16.Bellarmini.
- 7 Sextò quæram? An Christus Matth.24.15. loquatur de desolatione, & abominatione Ierosolymitana;
- 1 Planè de illa loquitur. Ita Beza in illum locum & alij passim.
- 2 Nequaque de illa, sed de Romana loquitur. Ita Pouellus lib.1.cap.4.§ 4.& 5.
- 8 Video audire meretrices apud Salomonem litigantes, quarum altera alteri dicebat; *Meniri, filius meus vinit,* & tuus mortuus es. Planè sic agunt Nouatores. Et huius ranti apud vos dissidij quis author est? Sanè Deus aut Spiritus sanctus esse non potest. *Non enim*, vt ait Apostolus, *Est dissensionis Deus, sed pacis.* Si ergo malus spiritus illius author est, meritò suspecti esse debent Nouatores, ne forte malo spiritu impellantur. Sed iam dissidiorum satis sit.

5. VITIVM REFORMATORVM.

Damnant suos maiores.

Aduersarij clamant aut Gregorium Magnum aut Bonifacium Papam fuisse primum Antichristum inter Pontifices Romanos. Vt ergo autem vixit post annum Christi 600. Vnde sequitur ab eo tempore fidem ac religionem Romanā non fuisse amplius Christi, sed Antichristi. Quod si ita est, iterum sequitur maiores nostros, quotquot in Hassia, Saxoniam, Franconiam, Bauaria, Palatinatu, ab anno sexcentesimo usque ad tempora Lutheri & Caluini extiterunt, nunquam habuisse publicum veræ fidei ac religionis exercitium, quod sanè incredibile est. Nam toto illo temporum intervallo, non alia doctrina fidei publicè prædicata ac recepta est, quam quæ à Doctoribus Pontificiis prædicari & promoueri solet. Si hæc igitur falsa & Antichristiana est, omnes maiores nostros publicè Antichristianos fuisse oportet. Et quid hoc aliud est, quam fateri omnes damnatos esse, & ad inferorum pœnas amandatos; Absit profectò. Longè melius de iis sentiendum est. Quis credat S. Bonifacium, S. Lullum, S. Kilianum, S. Burchardum, & similes Episcopos, qui illo tempore in Germania prædicarant, nihil aliud nisi fidem ac doctrinam Antichristianam prædicasse? Quis credat, Nobiles, Barones, Comites, & Principes, qui, ab illis instructi sunt, aut templo in memoriam eorum erexerunt, in falsa religione instructos esse? Quis credat tanto sæculorum spatio Lutherum & Caluinum primos esse, qui publicè veram Christi fidem annunciarint?

 SPECIALE EXAMEN AN-
TICHRISTI REFORMATI.

HACTENVS generatim ostendi quædam vitia, quæ Nouatores admiserunt in reformando Antichristo; nunc sigillatim singula, quæ ab illis asseruntur, examinanda sunt, idque hoc ordine.

- 1 *An Antichristus venerit?*
 - 2 *An Papa sit Antichristus?*
 - 3 *An Papa defecerit à fide?*
 - 4 *An sedeat in templo Dei?*
 - 5 *An ostendat se tanquam Deum?*
 - 6 *An exiollat se super omnem Deum?*
 - 7 *An negat Christum?*
 - 8 *An idola colat?*
 - 9 *An faciat miracula mendaci?*
 - 10 *An imprimat subditis characterem?*
 - 11 *An sit blasphemus?*
 - 12 *An persecutatur Sancto?*
 - 13 *An sit articulus fidei, Papam esse Antichristum?*
-

C A P V T I.

An Antichristus venerit?

- 1 **A**ffirmant aduersarij. Et probant ex tribus scripturæ locis. Primo ex illo 2. Thess. 2. 7. *mysterium iani operatur iniquitatis.* Secundo ex illo 1. Ioannis 2. 18. *Filioli, nouissima hora est, & sicut audistis, quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt.* Tertio ex illo 1. Ioannis 4. 3. *Hic est Antichristus de quo audistis, quoniam venit, & nunc iam in mundo est.*

2 Sed variis modis refutantur. Primò, quia seipsoſ ſugulant. Nam ſi illata scripturæ testimonia probarent Antichristum veniſſe, ſine dubio probatent veniſſe tempore Apostolorum: at ſi certum eſt, tunc veniſſe, cur aduersarij de tempore aduentus ipſius diſſentivint? Cur alij dicunt adueniſſe anno 600. alij anno 763. alij anno 1200. alij alio tempore?

3 Secundò, quia scripturam malè explicant. Ut hoc ostendam, pauca prænotanda ſunt. Primum eſt, nomen Antichristi nuſquam reperiri in Scriptura, niſi apud Ioannem in epiftolis canoniciſ. Iam bis ex illo citauit. Adhuc bis vel ter citari potest, vt 1. Ioannis 2. 2. 2. *Quis eſt mēdax, niſi iſi, qui negat, quoniam Iesuſ eſt Christuſ? Hic eſt Antichristuſ, qui negat Patrem & Filium.* Et c. 4. 3. *Omnis ſpirituſ qui ſoluuit Iesuſ, ex Deo non eſt; & hic eſt Antichristuſ, de quo audiſtiſ, &c.* Et epift. 2. v. 7. *Multi ſeduclores exierunt in munduſ, qui non conſiſtentur Iesuſ Christuſ veniſſe in carnem. Hic eſt ſeductor & Antichristuſ.* Nec ſæpius hoc no-men reperias in Scripturis.

4 Alterum eſt, hoc nomen, *Antichristuſ*, ſignificare aduersarium, ſeu hostem Christi, vt partim patet ex ſcripturis citatis, in quibus dicitur, *negare Iesuſ eſſe Christuſ; negare filiuſ; ſoluere Iesuſ; non conſiteri Iesuſ Christuſ veniſſe in carnem;* partim ex uſa Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum, Damascenus lib. 4. de fide c. 27. *Veniet, inquit, non pro Christo, ſed aduersus Christuſ, qua etiam de cauſa Antichristuſ dicitur.* D. Hieronymus q. 11. ad Algasiam, *Ipſe enim eſt uniuersorum perditio, qui aduersatur Christo, & ideo vocatur Antichristuſ.* D. Augustinus tract. 3. in Epiftolam Ioannis: *Latine enim Antichristuſ, contrarius eſt Christo.* Conſentiant alij Patres.

Tertium eſt; duplicitate ſumi poſſe nomen Antichristi, Primò, verè ac propriè, pro ſingulari eximio quodam Christi hoste, qui ab Apoftolo vocatur *homo peccati*



& filius perditionis. Secundò mysticè & communiter pro iis omnibus, qui aliquo modo Christum & doctrinam eius oppugnant, ut sunt hæretici. Hoc sensu Irenæus Valentinianos & Marcionitas, Antichristos vocat; Hilarius, Arianos; Cyprianus, Nouatianos. Eodem sensu dixit Hieronymus in cap. 2. Prophetæ Naum Tot sunt Antichristi, quod dogmata falsa. Vide Damascenum loco cit. Augustinum lib. 2. contra aduersarium legis & Prophetarum c. 12. & alios passim. Ex Caluinistis eandem distinctionem tradit Pouellus lib. 1, c. 1. §. 3. Nec alij dissentunt.

His prænotatis, non est controuersia, an Antichristus communiter dictus venerit? Certum enim est, venisse ab ipsis Apostolorum temporibus, quia tunc cœperunt esse hæretici, qui Christi fidem oppugnarent. Tota quæstio est, an Antichristus propriè dictus venerit in sua persona? Nos negamus. Aduersarij affirmant, & probant ex testimoniis supra citatis; sed male intellectis. Nam ex illis nihil aliud colligitur, quam Antichristum communiter dictum, id est, hæreticos venisse tempore Apostolorum, quod est verissimum. Et sic illa testimonia explicat Augustinus libro secundo contra aduersarium legis capit. 12. cum ait: *Ad quem pertinet eti. m iste, qui se ostendit Antichristum, non unum illum maiorem ceteris; sed ex his aliquem, de quibus dicit Ioannes Euangelista nunc Antichristi mulii facti sunt. Eos enim dicebat hæreticos, qui temporibus Apostolorum esse iam cœperant.* Nihil ergo probant aduersarij ex Scripturis de Antichristo propriè dicto.

7 Nos fortiora habemus argumenta, quibus contra aduersarios ostendimus, Antichristum propriè dictum nondum venisse. Non omnia; sed pauca attingam. *Primum est;* Antichristus propriè dictus non veniet, nisi prius euersum & desolatum sit Romanum Imperium.

rium: Atqui hoc nondum factum est: Ergo Antichristus nondum venit. Maior passim assertur ab antiquis Patribus, tam Græcis, quam Latinis. Cyrillus cathechesi 15. ait: *Veniet prædictus Antichristus, cum impleta fuerint tempora Romani imperij.* Chrysost. in 2. Thesl. 2. *Quando è medio sublatū fuerit Romanum imperium, tunc veniet Antichristus.* Similia habent Theophilactus, Oecumenius, & Ambros. ibidem Lactantius lib. 7. cap. 15. Hieronym. q. 11. ad Algasiam, & Tertul. in Apologetico cap. 32. vbi etiam addit, fideles orare pro diuturnitate Romani imperij; eo quod intelligent, Romano imperio euerso, imminere Orbi extremam sub Antichristo calamitatem: Omitto alios.

8 Nec temerè aut sine fundamento hoc dicunt Patres. Habent pro se aperta scripturæ testimonia; habent perpetuam ab Apostolorum temporibus traditionem. Quæ antequam proferantur, prius explicandum est, in quo consistat illa desolatio seu euersio Romani imperij, postquam venturus dicitur Antichristus. Aliud enim est inclinatio illius imperij, alius desolatio seu euersio. Inclinatio facta est variis temporibus. 1. quando Roma capta est à Gothis. 2. quando imperium defecit in Occidente. 3. quando, restaurato per Carolum Magnum imperio in Occidente, destruētum est in Oriente per Turcas. Porro desolatio seu euersio tunc erit quando imperium Romanum diuidetur ac distrahetur in decem Reges amissō nomine ac dignitate imperiali.

9 Proabant hoc Patres ex Daniele & Apocalypsi, Nam ca. 2. Danielis, describitur successio quatuor præci puorum regnum v̄sque ad finem mundi, per quādam statuam, habentem caput aureum, pectus argenteum, ventrem æneum, & tibias ferreas. Explicatio est hæc. Caput aureum significat regnum Chaldæorum; pectus argenteum, regnum Persarum; venter æneus,

regnum

regnum Alexandri & Græcorum; tibiæ ferreæ; regnum Romanorum. Porro ex duabus tibiis oriebantur decem dīgi, in quibus tota illa statua desinebat; quia scilicet Romanum imperium tandem in decem reges diuidendum est, & eo ipso desolandum.

10 Eadēm quatuor regna apud eundem Dan. cap. 7. designantur per quatuor bestias, Leænam, Vrsum, Pardum, & aliam innominatam, habentem decem cornua in capite. Hæc autem bestia innominata significat imperium Romanum; & decem cornua significant decem Reges, qui imperium illud diuisuri sunt. Bestia quarta, inquit Daniel, regnum quartum erit in terra; quod maius erit omnibus regnis, & devorabit uniuersam terram, & conculcabit & comminuet eam. Porro cornua decem ipsius regni decem Reges erunt.

11 Quod autem illi decem Reges imperium Romanum diuisuri ac distracturi sint, colligitur ex Apoc. 17. vbi Ioannes describit bestiam cum 7. capitib, & 10. cornibus, super quam sedebat mulier circumdata purpura & coccino, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione & immunditia fornicationis. Nam, ut Angelus ibidem interpretatur, mulier est vrbs magna, quæ sedet super 7. colles; id est, Roma. Decem cornua sunt decem Reges, qui uno tempore simul regnabunt. Et hi odient fornicariam, & desolatam facient illam & nudam, & carnem eius manducabunt, & ipsam igni concremabunt. Quibus verbis aperte significat Angelus Romanum imperium per illos decem Reges penitus destructum, ac dissipatum iri.

12 Ad hæc Scripturæ testimonia accedit antiquissima Ecclesiæ traditio, de qua D. Hieronym. in cap. 7. Dan. sic scribit; Ergo dicamus, quod omnes scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem

Romanum inter se diuidant. Quid clarius dici potest?

13 Constat ergo ex scripturis & Ecclesiæ traditione, Imperium Romanum tunc euertendum ac destruendū, quando in decem Reges diuidetur. Quod autem Antichristus non ante venturus sit, aperte conuincitur ex Dan.c.7.24.vbi sic legimus : *cornua decem ipsis regni, decem Reges erunt (de quibus haec tenus diximus) & alius cōsurget post eos. (nimirum Antichristus) & ipse poterior erit prioribus, & tres Reges humiliabit; & sermones cont. a excelsum loquetur, & Sanctos Altissimi conteret; & putabit quod posse mutare tempora & leges; & tradentur in manu eius usque ad tempus, & tempora; & dimidium temporis.* Ex quibus verbis clare pater, Antichristum venturum post decem illos Reges, qui Imperium Romanum inter se diuident; & consequenter post Imperij Romani euersionem, quod probandum erat.

14 Idem confirmatur ex citata Ecclesiæ traditione. Nam D. Hieronymus, cum dixisset omnes Scriptores Ecclesiasticos tradidisse, regnum Romanum per decem Reges diuidendum; ita subdit de Antichristo : *Tum undecimum Regum parvulum nasciturum, qui tres Reges de illis decem superaturus sit. Dicitur autem Rex ille habiturus oculos hominis, ne eum putemus diabolum esse, sed unum de hominibus in quo totus sit unus habitatus si corporaliter. Habebit etiam os loquens ingentia, quia erit homo peccati, filius perditionis, ita ut in templo Dei sedere audeat, faciens se quasi Deum.* Plannissime loquitur de Antichristo.

15 Habemus ergo, partim ex Daniele & Apocalypsi, partim ex antiqua Patrum & Ecclesiæ traditione, Antichristum non venturum, nisi post euersionem Romani Imperij, quod multi probabiliter confirmant ex illo 2.Thess. 2. 3. *Nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, intellige, non veniet dies iudicij.* Et infra; donec de medio fiat; & tunc reuelabuntur ille iniquus,

quem

quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui. Hic enim Apostolus instruit Thessalonicenses, qui ex errore putabant instare diem iudicij. Ponit autem duo signa, quæ diem illum antecessura sint, nempe defectionem Romani imperij, & aduentum Antichristi. Est ergo sensus verborum Apostoli: Non veniet dies iudicij, nisi discessio primum facta sit ab imperio Romano, & appareat Antichristus. Ita explicant multi Patres. D. Hieronym. q. 11. ad Algasiam; *Nisi, inquit, venerit discessio primum que Græcè dicitur apostasia, ut omnes gentes, quæ imperio Romano subiacent, recedant ab eo; & nisi fuerit Romanum imperium antea desolatum, & Antichristus precesserit, Christus non veniet; qui ideo venturus est, ut Antichristum destruat.* Et infra; *Tanum ut Romanum imperium, quod vnde uniuersas gentes tenet, recedat, & de medio fiat; & tunc Antichristus veniet.* Et Tertull. lib. de resurrectione carnis cap. 24. *Quoniam nisi veniat abcessio primum, huius viisque regni, (nempe Romani) & reuelentur delinquentie, homo, id est, Antichristus, filius perditionis.* Et paulo post; *Tantum qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat. Quis nisi Romanus status, cuius abscessio in decem reges dispersa Antichristum superinducet; & tunc reuelabitur ille iniquus.* Similia habent Sedulius, Primasius, Strabus, & alij in eundem locum.

16 Hæc expositio, ut dixi, probabilis est, & potest confirmari ex ipso contextu. Nam Apostolus, antequam scriberet hanc epistolam ad Thessalonicenses, cum adhuc præsens apud illos esset, viua voce tradiderat illis quædam mysteria ad fidem Christianam pertinentia, quorum vnum erat, non prius venturum diem iudicij, quam euersum esset imperium Romanum, & Antichristus apparuisset. Illi autem, relicta hac traditione, nescio quo pacto persuasi erant, diem indicij iam adesse præforibus. Igitur reuocat eos ab hoc erro-

re, & simul horratur, ut in ea traditione, quam coram acceperant, deinceps persistant, & ab ea non sinant se dimoueri. Videamus nunc verba Pauli. Sic enim incipit. *Rogamus autem vos fratres, ut non moucamini a vestro sensu, neque terreamini quasi instet dies Domini.* Ecce error Thessalonicensium. Persuasi erant, instare diem iudicij, & ideo terrebantur, sequitur instructio Apostoli, *Ne quis vos seducat villo modo, quoniam nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, non veniet dies iudicij.* Num retinetis, quod cum adhuc essem apud vos haec dicebam vobis? nempe non venturum diem iudicij, *Nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati.* Quæ autem illa discessio? donec de medio fut regnum Romanum id est, donec omnes discedant ab obedientia regni Romani, & sic regnum illud de medio tollatur. Itaque fratres, state, & tenete traditiones: praesertim illam, quod dies iudicij venturus non sit, nisi præcesserint duo illa signa, quæ iam commemorauit.

17 At obiici potest, multos, per verba illa Apostoli, *nisi venerit discessio primum,* intelligere discessionem seu apostasiam à fide, quæ antecedet diem iudicij, iuxta illud. 18. 9. *Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* Fateor ita esse; sed tamen alij non incommodè intelligunt discessionem ab imperio Romano. Et fortasse rectius. Primò, quia totus contextus optimè cohæret, si interpretetur de imperio Romano, ut ostensum est. Secundò, quia constat Apostolum, quasi de industria obscurissimè locutum in illo capite, adeò ut scribat Aug. lib. 20. de ciuit. Dei cap. 19. *Ego prorsus quid dixerit me fateor ignorare.* At nulla erat causa, cur obscurè loqueretur de defectione à fide, cum Christus apertissimè de ea locutus sit Lucæ 18. 8. *Filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra?* Erat autem causa, cur obscurè loqueretur de defectione ab imperio Romano;

quia

quia cum Romæ scriberet hanc epistolam, si clarè scrip-
pisset de euersione imperij Romani, potuisset Nero-
nem offendere, qui erat homo in nouos Christianos
cruelissimus. Hanc causam attigit D.Hieronym.q.11,
ad Algasiam, cum ait : *Non vult apertè dicere, Roma-
num imperium destruendum, quod ipsi, qui imperant ater-
num putant.* Vnde secundum Apocalypsin Ioannis in fron-
te purpurata meretricis, scriptum est nomen blasphemiae, id
est, *Roma eterna.* Si enim apertè audacterque dixisset, non
veniet Antichristus, nisi prius Romanum destruantur impe-
rium; iusta causa persecutionis in orientem tunc Ecclesiam
consurgere videbatur.

18 Sed, quidquid sit de hoc loco Apostoli, qui variè
exponi potest, sufficit nobis, quod ex Daniele, Apoca-
lypsi, & antiqua Patrum traditione clarè probatum sit,
non prius venturum Antichristum, quam imperium
Romanum penitus extinctum sit, ac in decem reges
distributum, quod hactenus factum non est. Vnde con-
cludo; non venisse hactenus Antichristum. Et hoc sit
primum contra Nouatores argumentum.

19 Secundum argumentum est eiusmodi. Elias & Henoch
venturi sunt eodem tempore, quo Antichristus: at illi duo
nondū venerunt. Ergo nec iste. Maior passim traditur à
Patribus, qui illam colligunt è variis scripturæ locis, ut
supra visu est in explicatione secundi vitij Reformato-
rii. Porro, quia aduersarij dicunt Patres errasse, & scri-
pturā male intellexisse; formabo argumentū hoc modo:
Duo Prophetæ venturi sunt eodem tempore, quo Antichri-
stus; qui habebūt potestatem claudēdi cælū ne pluat, &
cōuertiendi aquas in sanguinem, & percutiendi terram
omni plaga; & cū prophetauerint diebus 1260. mouebit
Antichristus contra illos bellum, & occidet eos; & cor-
pora eorū iacebūt Ierosolymæ, vbi Christus crucifi-
xus est; & post tres dies & dimidium resurgent; & una

cum

cum corporibus ascendent in cœlum, &c. Atqui duo isti Prophetæ nondum venerunt. Ergo nec Antichristus. Maior secundum omnes partes sumpta est ex Apoc. cap. 11. Minor patet, quia à temporibus Apostolorum ad nos usque nulli duo designari possunt, quibus omnia supradicta conueniant.

20 Franciscus Iunius Caluinista in cap. 6. Bellarmini, respondet, multos pios viros à tempore Bonifacij 8. extitisse, quibus omnia ista conueniant, non secundum literam; sed secundum sensum propheticum, quo vaticinium Ioannis impleri oporteat. Videamus an ita sit. Et primum quæro, quinam illi fuerint, qui habuerunt potestatem claudendi cœlum, ne plueret, conuertendi aquas in sanguinem: & percutiendi terram omni plaga? Et quis sit ille sensus propheticus, quo ista accipienda sint? Legimus Eliam Thesbiten, antequam igneo curru tolleretur è terra, clausisse cœlū, ne plueret annos tres, & menses sex. Legimus Mosen in Ægypto conuertisse aquas in sanguinem, & percussisse terram omni plaga coram Pharaone. Sed hæc omnia secundum literam acciderunt. Qui autem sunt, qui secundum sensum propheticum ista fecerunt? Et quid est, *cludere cœlum ne pluat*, secundum sensum propheticum? An est idem, quod efficere, ne per modum pluuiæ, gratia Dei descendat de cœlo? At boni viri hoc non faciant, quando conantur alios ad veram fidem conuertere. Tunc enim maximè opus est diuina gratia de cœlo distillante. An è contrario, est idem quod efficere, ne vindicta Dei descendat de cœlo? At si hoc fecerunt duo illi Prophetæ, de quibus loquitur Ioannes in Apocalypsi; quomodo dicuntur aquas conuertisse in sanguinem: & percussisse terram omni plaga? An non hæc vindicta de cœlo est?

21 Iterum quæro, quinam illi fuerint, quos Antichristus bello vicit & occidit, aut quo sensu intelligentiam

dum id sit? Nam si *bellum, occisio, victoria*, non secundum literam; sed secundum sensum propheticum accipienda sunt, ut vult Calvinista; sequitur sanctos illos Prophetas, qui à Deo missi sunt, non corporaliter; sed spiritualiter ab Antichristo victos & occisos esse. Atqui hoc planè absurdum est.

22 Tertiò quero quando factus sit ille terræmotus, quo decima pars ciuitatis cecidit, & occisa sunt septem hominum millia, Prophetis in cœlum ascendentibus? Et quo sensu impletum hoc sit? Hæc & similia explicanda erant à Francisco Iunio, si volebat communem Patrum expositionem deserere, & argumenti nostri vim effugere.

13 Ex dictis concludo, Antichristum nondum venisse. Primo, quia Romanum imperium nondum euersum est. Secundo, quia Prophetæ illi, de quibus loquitur Ioannes in Apocalypsi, nondum à Deo missi sunt. Tertiò, quia aduersarij nullo solido fundamento possunt probare, illum venisse. Solum probant, venisse hæreticos tempore Apostolorum, quod non negamus. Plura argumenta colligi poterunt ex sequentibus.

C A P V T II.

An Papa sit Antichristus?

1 **A**ffirmant aduersarij, & probant variis argumentis, quæ omnia reuocari possunt ad hunc unum syllogismum; Cuicunque conueniunt omnes notæ Antichristi, quæ in Scripturis fundatæ sunt, is sine dubio est Antichristus: At Pontifici Romano conueniunt omnes eiusmodi notæ: Ergo Pontifex Romanus est Antichristus.

2 Ego vicissim è contrario, repono hunc syllogismum;

manum; Is non potest esse Antichristus, cui non conueniunt omnes notæ: At Pontifici Romano non conueniunt omnes notæ Antichristi: Ergo Pontifex non potest esse Antichristus. Minor probanda est in sequentibus capitibus, vbi seorsim agam de singulis notis; & ostendam eas Pontifici Romano nullo modo conuenire.

3 Addam nunc alia quædam argumenta. *Primum* est, Antichristus non veniet, nisi post euersionem Romani Imperij: At Pontifex venit ante illam euersionem: Ergo Pontifex non est Antichristus. *Secundum* est; Antichristus occidet duos illos Prophetas, de quibus agitur in Apoc. 11. c. At Pontifex hoc non facit: Ergo non est Antichristus. Hæc duo sumpta sunt ex precedenti capite; nec indigent noua probatione aut explicacione.

4 *Tertium* est; Antichristus nō regnabit, nisi tres annos cum dimidio. At Pontifex regnauit iam multis sæculis: Ergo Pontifex non est Antichristus. Maior colligitur ex illo Dan. 7. 25. *Sermones contra excelsum loquetur, & sanctos altissimi conteret, & tradentur in manu eius usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Hic per tempus intelligitur unus annus; & per tempora duo anni, & per dimidium temporis dimidius annus. Ita explicant omnes antiqui Patres. Neque hoc negant Nouatores: sed more suo aiunt Patres errare, & non rectè Scripturam interpretari. Ergo contra afferro, Nouatores errare; Patres rectè sentire. Pro Patribus facit Ioannes in Apoc. cap. 13. 5. vbi dicit, Antichristum regnaturum mensibus 42. qui rectè faciunt tres annos cum dimidio. Et cap. 11. 3. vbi ait, duos illos Prophetas, qui se opponent regnanti Antichristo prædicaturos diebus 1620. qui idem tempus efficiunt.

5 Hic valde torquent se Nouatores. Aliqui negant hæc testimonia intelligenda esse de Antichristo, vt Fran-

Franciscus Iunius Calvinista. Sed hunc supra refutauit.
Alij fatentur quidem Danielem & Ioannem loqui de
Antichristo, non tamen assignare illi tres annos cum
dimidio. Hi rursum bipartiti sunt. Nonnulli volunt
tempus certum pro incerto positum esse, ut Chyträus
& Bullingerus. Sed pugnant contra communem con-
fensem antiquitatis. Adde, tunc solùm ponit certum
numerū pro incerto, quando ponitur aliquis plenus
& perfectus numerus, ut decem, centum, mille; non
autem, quando parui & magni permixti sunt, ut con-
cedit Iunius Calvinista in cap.8.Bellarmini. Quorsum
euim numerorum varietas & permixtio, si tempus in-
certum designatur? Denique, si scriptura semel tantum,
aut uno modo meminisset illius numeri, posset aliquis
putare, certum pro incerto positum esse. At non semel;
sed sàpè illius meminit; neque uno, sed variis modis
eundem expressit. Et quidem ter sub hac forma: *Per*
tempus, & tempora, & dimidium temporis, Bis vero sub hac
mensibus quadraginta duobus. Semel denique sub hac
diebus mille ducentis sexaginta; Omnes autem istae for-
mae designant tres annos cum dimidio. Primam vide
Daniel.7. 25. & Dan.12.7. & Apocal. 12. 14. secundam
vide Apoc.11.1.& Apoc.13.5. Tertiam vide Apoc.11.3.
6 Alij respondent diem accipi pro anno, ideoquè
pro 1260. diebus, totidem annos intelligi oportere:
Hoc enim frequenter fieri in Scripturis, iuxta illud
Ezechiel. 4.6. *Diem pro anno dedi tibi.* Et Luc.13.33.
Oportet me hodie, & cras, & sequenti die ambulare, id est, tri-
bus adhuc annis vivere. Ita Magdeburgenses Centur.1.
lib.2. cap.4. Sed errant. Primo, quia illum numerum
1260. annorum, non possunt accomodare ad illa ver-
ba Danielis & Ioannis; *Tempus, & tempora, & dimi-*
dium temporis. Sive enī per tempus intelligent
vnū diem, vnam hebdomadā, vnum annum; sive
vnum

vnum lustrum, vnum Iubilæum, vnum sæculum; non efficiunt 1260. annos. Secundò, quia vñitatum est Danieli, vt per tempus intelligat annum. Nam cap.4. aliquoties repetit septem tempora transitura, quibus Nabuchodonosor erit extra regnum suum. Omnes autem docent, per illa septem tempora intelligi debere septem annos. Si enim intelligerentur anni annorum (vt intelligunt Nouatores, cum de Antichristo agitur) sequeretur Nabuchodonosorem vixisse extra regnum 2555. annos, quod est absurdum.

7. Nec obstat illud Ezechiel.4.6. *diem pro anno dedi tibi.* Nam in illo capite iusscrat Deus, vt Ezechiel dormiret super latus sinistrum diebus 390. Hæc autem dormitio erat signum dormitionis Dei, per quam totidem annis tolerabat peccata Israëlitarum. Cùm ergo dicit Deus Prophetæ: *diem pro anno dedi tibi,* non vult dicere, quod 390. diebus, id est, 390. annis deberet dormire, (hoc enim constat esse falsum) sed sensus est, quod sicut Deus patienter sustinuit peccata populi per 393. annos: ita Propheta ad hoc explicandum quiescat totidem diebus super latus sinistrum.

8. Similiter non obstat illud Luc. 13.33. *Oportet me hodie, & cras, & sequenti die ambulare.* Nam illis verbis non significat Christus, se adhuc tribus annis victurum, vt perperam exponunt Nouatores. (erat enim vltimus annus vitæ ipsius, cum ista proferret.) Sed potius, se tres dies consumpturum in itinere Ierosolymitano, vt interpretantur Augustinus lib. 2. de consensu Euangeliistarum, cap.75. & lib.6. contra Julianum cap.8. Beda, Albertus, Caietanus, & multi alij in illum locum. Et patet ex ipso contextu. Nam mox sequitur; *quia non capit Prophetam perire extra Ierusalem.* Nimirum causam reddit, cur ambulare, id est, in Ierusalem ire debeat.

9 Hactenus terrium argumentum. *Quartum est, Antichristus à Iudæis pro Messia recipietur: At Papa non recipitur ab illis pro Messia: Ergo Papa non est Antichristus.* Maior passim habetur, tanquam certa apud antiquos Patres, Irenæum, Damascenum, Hilarium, Cyrillum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Prosperum, & alios. Et probant ex duobus Scripturæ locis. *Primò, ex illo Ioannis 5:43. Ego veni in nomine meo, & non recipiis me; si alius veneri in nomine suo, illum recipies.* *Quis est ille alius, qui in nomine suo venturus est, nisi Antichristus?* Hunc ergo recipient Iudæi. Secundò, ex illo 2. Thess. 2. 10. *Et quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent; ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* Qui sunt illi qui veritatem, id est, Christum non receperunt? Iudæi. Quomodo propter hoc peccatum puniet illos Deus? *mittet illis operationem erroris, ut credant mendacio,* id est, Antichristo, quem pro Messia recipient. Et confirmatur ratione, quia constat Iudæos incredibili desiderio expectare suum Messiam. Ergo sine dubio recepturi sunt illum pro Messia, in quo videbunt apparentia quædam signa veri Messiae. At in Antichristo apparebūt talia signa, tametsi ficta ac mendacia, ut patet 2. Thess. 2. 9. Ergo illum recipient pro Messia. Nunc ad præcipuum argumentum accedamus, quod sumitur ex notis Antichristi.

C A P V T III.

An Papa defecerit à vera fide?

DEincepta examinandæ sunt notæ Antichristi. Prima est, defectio, seu apostasia à fide. Hanc aduersarij colligunt ex illo 2. Thess. 2. 3. *Nisi venerit discessio pri-
mum, & reuelatus fuerit homo peccati, ubi nomine disces-
Opusc. Tom. II. M sionis*

sionis intelligunt defectionem à fide. An rectè, hic non dispiuto. Multi ex Patribus, ut supra ostendi, intelligunt defectionem ab imperio Romano. Sed quidquid sit de sensu verborum Apostoli; de reipsa disputemus; An scilicet Papa defecerit à fide?

2 Aduersarij affirmant. Sed tria ab ipsis quæro. 1. quo tempore defecerit? 2. cū sint multi articuli fidei, in quo articulo defecerit? 3. An eo tempore, quo Papa defecit à fide cum tota Ecclesia Romana, remanserit aliqua Ecclesia visibilis in terris; & quænam illa fuerit? Ad hęc paucis cupio responderi à Nouatoribus.

3 Sit ergo prima quæstio, quo tempore Pontifex cum Ecclesia Romana defecerit à fide? Hic prope quot capita, tot responsa. Alij conantur certum defectionis tempus definire, alijs fatentur se id ignorare. Vtrique rursus in varias sectas distracti sunt. Nam eorum, qui definiunt certum tempus, alijs hoc, alijs illud definiunt. Qui autem fatentur se ignorare, variis modis excusant suam ignorantiam. Aliqui obtendunt, defuisse scriptores, qui defectionis initium in chartam conicerent. Alij, fuisse quidem viros pios ac doctos, qui præstare id potuerint, non tamen ausos esse propter grauissimam temporis illius persecutionem. Alij denique, non magnoperè curandum esse, quo tempore defecerit, cum iam satis constet, reipsa defecisse. Vides, opinor, quam discordibus tibiis canant hi homines. Similes sunt illis senibus qui Susannam de commisso adulterio accusabant. Nam rogati à Daniele de loco flagitiij, unus hoc, alius alio loco patratum esse comminiscabantur. Planè sic faciunt nostri Nouatores. Accusant Papam de apostasia, Rogati de tempore, alius interdiu, alius noctu factam esse contendit. Et conuenientia testimonia non sunt: ut habetur Marci 14.55.

4 Altera quæstio est, in quo articulo fidei defecerit Papa?

Papa: Inuenio. 4. Nouatorum responsiones. 1. Caluinus ait, in his tribus defecisse, afferendo, nullum esse Deum, nullum Christum, nullam resurrectionem aut vitam æternam. 2. Rudiiores è plebe dicunt, in aliis tribus defecisse; astruendo purgatorium, invocationem Sanctorum, & indulgentias. 3. Doctiores scribunt male eum sentire de libero arbitrio, Iustificatione, Eucharistia, Baptismo. 4. Alij præter supradicta, reprehendunt, quod Traditiones, & sacrificium Missæ admittat.

5. Videamus singula. Caluinus apertè mentitur, ut supra monui. Reliqui errant. Et quidquid obiiciūt, hoc clencho comprehendi potest; *Is deficit à fide, qui admittit purgatorium, invocationem Sanctorum, indulgentias, liberum arbitrium, inherentem iustitiam, presentiam Christi in Eucharistia, Baptismi necessitatem, Traditiones & sacrificium Missæ.* At Pontifex Romanus hæc omnia admitit: Ergo deficit à fide.

6. Reponam similem Elenchum; *Is deficit à fide, qui negat purgatorium, & reliqua recensita:* Atqui Nouatores negant ista omnia. Ergo deficiunt à fide. In maiori propositione vtriusq; Elenchi tota controuersia est. Illi nostram, nos illorum dicimus falsam esse. Vtri rectius: Hic iudice opus est. Nos ad totam Patrum antiquitatem prouocamus. Illi nec volunt, nec audent comparere. Ajunt Patres errasse. Ad Scripturam nos trahunt. Adsumus. Sed quis erit interpres? Illi nos, & nos illos suspectos habemus. Ergo iterum prouocamus ad patres. Iterum illi abnunt. Quid agas cum his hominibus? soli nō erant, soli sapiunt, suo iudicio. Hæc obiter. Nam prolixior de his omnibus disputatio non est huius loci.

7. Ultima quæstio est, An eo tempore, quod Nouatores dicunt, Pontificem Romanum cum Ecclesia Romana à fide defecisse, remanserit aliqua visibilis Ecclesia Christi in terris, nec nisi remansit, quæ, & quorum illa fuit? si non remansit, quomodo Christus fuit sine

sponsa: Sed haec fusius disputabo in Appendice de Ecclesia. Pergo ad alias notas.

C A P V T I V.

An Papa sedeat in templo Dei?

1 **A**postolus 2. Thess. 2. 4. de Antichristo sic habet ita ut in templo Dei sedet. Quæstio est, de quo templo loquatur? Aduersarij interpretantur Ecclesiam Christi, in qua Pontifex Romanus sedet ut inde concludant. Pontificem esse Antichristum. Sed tripliciter peccant. Primò contra seiplos, quia si Papa sedet in Ecclesia Christi, cum non sint in illa Ecclesia, in qua Papa sedet. Secundò, contra rem ipsam, quia ex eo præcisè, quod Papa sedet in Ecclesia Christi, non rectè inferatur, Papam Antichristum esse. Alias pari ratione Petrus & proximi successores eius fuissent Antichristi, quia federunt in Ecclesia Christi. Tertiò, contra mentem Apostoli, quia supponunt tanquam certum & indubitatum Apostolum per templum Dei, intellexisse Ecclesiam Christi, seu Cathedram Romanam, quod tamen certum non est.

2 Nos dicimus Apostolum loqui de templo Hierosolymitano. Et nobiscum sentiunt antiqui Patres Damasc.lib.4.cap.28. *In templo, inquit, non nostro: sed veteri Iudaico.* Cyril.cath. 15. *In templo, quod reliquum est Iudaorū.* Absit enim ut in hoc id fiat, in quo nos sumus. Eodem modo loquuntur Iren.lib.5.c.25. Hippol. Martyr.in orat. de consummatione mundi. Hilar.can.25.in Matth. Ambr. in c.21.Lucæ, Sedulius, Haymo, Strabus. D. Thom. & alij in 2.Thess.2.

3 Nec sine fundamento hoc dicimus. Primò, quia aliunde constat, Antichristum non Romę; sed Hierosolymæ sessurum. Ibi enim interficiet duos illos Prophetas

cas, de quibus Ioan. agit in Apocal. Sic enim loquitur cap. 11.7. *Cum finierint testimonium suum (nempe duo illi Prophetæ) bestia, quæ ascendit de abyso , faciet aduersus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos. Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ , vbi Dominus eorum crucifixus est,* Hic aperte vides , Antichristum interfectorum duos Prophetas in illa ciuitate , vbi Christus crucifixus est. Constat autem Christum non Romæ ; sed Hierosolymæ crucifixum esse. Hierosolymæ igitur sedebit Anti-christus. Nec ad rem facit, quod respondet Iunius Caluinista , Christum Romæ spiritualiter crucifixum esse. Nam etiam Constantinopoli, & alibi spiritualiter crucifixus est. An ideo Antichristus Constantinopoli & alibi Prophetas illos interfectorus est?

4 Accedit, quod in nouo testamento per templum Dei quotiescunq; propriè sumitur, & non metaphorice (sumitur autem sèpissimè propriè) nunquam intelligantur Ecclesiæ Christianorum; sed semper templum Hierosolymitanum. Nec mirum. Primò, quia Apostoli, cum necdum haberent publica tempora, sed tantù priuatas domos, quæ erant orationi aut concioni destinatae; quomodo vocassent eas tempora? Secundò, quia illo tempore adhuc vigebat memoria templi Iudeorum: & ideo consulto abstinebat à nomine templi, quoties suas Ecclesiæ nominabant, ne viderentur introducere aliquid simile templo Iudaico, & renocare cæmonias Iudeorum, quod nullo modo expediebat.

5 Dicam amplius Antiqui Patres, qui post Apostolorum tempora extiterunt, multis sæculis imitati sunt Apostolos; & nunquam Ecclesiæ suas vocarunt tempora; sed oratoria, basilicas, domos orationis, martyria. Id patet ex Iustino, Irenæo, Tertulliano, & Cypriano. Hi enim, quotiescunque de Ecclesiis Christianorum agunt nunquam templi nomine uti solent. Ex his om-

nibus concludo , Apostolum per templum Dei nihil aliud,quam templum Hierosolymitanum intellexisse; in eo sessuram Antichristum , ac proinde Papam qui Romæ sedet Antichristum eisē non posse.

6 Aduersarij,quia vident se in hoc capite controuersiæ,quod præcipuum est, nullo modo subsistere,vnde cunque possunt , aliquid subsidij conquirunt. Ac primùm, citant authoritatem Hieronymi, & Oecumenij, qui docent , Apostolum per templum Dei intelligere Ecclesiam Christi.Sed miror cum semper clament,Patres errare in toto argumento de Antichristo,quod nūc Patrum autoritate tueri se velint. Id facit desperatio. Magis miror, quòd duos Patres audeant cæteris omnibus opponere , & anteferre. An duo Patres rectè sentiunt;cæteri omnes errant? cur non potius duo errant, & reliqui bene sentiunt?

7 Iterum vrgent ; Templum Salomonis pridem destruētum est,& nunquam restaurandum; Dan.9.27. Ergo Apostolus per templum Dei non intellexit templū Salomonis.Respondeo. Non est restaurandum ad cultum veri Dei,cui olim destinatum erat ; sed ad abominationem & impietatem, vt docet Hippolytus martyr, & alij Patres citati.Et sic intelligendus est Dan. c.9 27. *Erit in templo abominationis desolationis usque ad consummationem & finem.*

8 Tandem producunt quasdam scripturas , quibus probent Antichristum Romę sessurum,non Hierosolymæ , vt Dan. 11. 45. *Figet tabernaculum suum inter maria super montem incolytum & sanctam.* Et Matth. 24. 15. *Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto.* Respondeo. Vtrumque testimonium pro nobis facit. Nam vtrumque intelligitur de Hierosolyma; Neutrum de Roma.Vide,quæ supra dixi in secundo vitio Reformatorum,

C A P V T V.

An Papa ostendat se tanquam sit Deus?

1. **V**Na ex notis Antichristi est, ostendere se tanquam Deum, ut patet ex illo. 2. Thessal. 2. 4. *Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.* Quæritur, An hæc nota conueniat Papæ? Affirmant aduersarij. Sed in modo explicandi differunt. Iconius Caluinista in suo dupli Elencho sic probat, & explicat: *Is dicitur se ostendere tanquam sit Deus, qui se exhibet pro viib[ile] Ecclesie Catholice cause: At Papa exhibet se pro tali capite: Ergo Papa ostendit se tanquam sit Deus.* Maior falsa est, ut supra ostendi; & continet nouam & depravatam Scripturæ interpretationem. Nam aliud est, ostendere se tanquam Deum, cum non sit Deus: aliud verò, exhibere se pro visibili Ecclesiæ Catholicæ capite, cum reuera sit caput. Illud prius conuenit Antichristo; hoc posterius Petro, & successoribus eius.

2. Pouellus Caluinista lib. 1. cap. 4. & 16. sic probat, & explicat; *Is dicitur se ostendere tanquam sit Deus, quia vendicat sibi nomen, honorem, & potestatem Dei: At Papa haec omnia sibi vendicat, ergo Papa ostendit se tanquam sit Deus.* Minor habet tres partes. Prima est, quod Papa vendicet nomen Dei. Hanc probat ex Gratiano dist. 96.c. 7. vbi Nicolaus Papa gloriatur, se Deum appellari à Constantino Imperatore. Altera est, quod Papa vendicet sibi diuinum honorem. Hanc probat testimonio Augustini Steuchi, Bibliothecarij Pontificis, qui in libro de donatione Constantini dicit, Constantium detulisse Papæ diuinos honores. Tertia est, quod Papa vendicet sibi diuinam potestatem. Hanc probat ex diuersis canonibus & Canonistis, qui paſſim dicunt, Papam posse aliquid ex nihilo facere; pos-

se de iniustitia facere iustitiam; posse dispensare contra Apostolum; posse Sacra menta à Christo instituta mutare; & his similia sexcenta.

3 Ut verbo dicam, mera mendacia sunt. Et pleraque ex iis supra refutauit. Addam hic aliquid de Augustino Steucho. Is hoc solum scribit; *Constantinum, quoad eius fieri potuit, contulisse Pontifici diuinos honores.* Vbi illa particula, *quoad eius fieri potuit,* satis significat, Constantinum detulisse Pontifici tantos honores, quantos citra læsionem diuinæ maiestatis conferre ei potuit. Reliqua piget refutare; quia ut dixi, mera mendacia, meræ calumniæ sunt. His abundant Nauatores, nos contemnimus.

4 Argumentum Pouelli sic inuerto; Papa neque nomen Dei, neque honorem, neque potestatem sibi vendicat. Ergo Papa non ostendit se, tanquam sit Deus. Ac primò, non vendicat sibi nomen Dei, quia vocat se *seruum seruorum Dei.* Secundò, non vendicat sibi honorem Dei, quia gerit se pro Vicario Christi: non est autem par dignitas Regis & Vicarij. Tertiò, non vendicat sibi potestatem Dei, quia publicè vtitur milite & medico ad vitæ & sanitatis custodiam: hoc non faceret, si virtutem & potentiam Dei sibi arrogaret, Nec plura in re clara & perspicua.

C A P V T VI.

An Papa extollat se super omnem Deum?

1 **A** Postolus 2. Thess. 2. 4. sic habet: *Extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* An hoc faciat Pontifex, quæstio est, Affirmant aduersarij; sed non eodem sensu Iconius Caluin. interpretatur verba Apostoli hoc modo; *extollitur supra omne, quod dicitur Deus*

*Deus aut numen, id est, effert se supra omnem Ecclesiasticum & politicum ordinem. Vnde sic argumentatur; Qui effert se supra omnem Ecclesiasticum & politicum ordinem, is reuera Antichristus est. At Papa effert se supra utrumque ordinem: Ergo Papa reuera est Antichristus. Verum hæc explicatio verborum Apostoli noua & falsa est. Nam ut supra monui, Apostolus per id omne, quod dicitur *Deus aut numen*, non intellexit omnem ordinem Ecclesiasticum & Politicum, sed omnem Deum, siue verum, siue falsum, ut aperte ostendi ex Daniele c. 11. 36.*

2 Alij Caluinistæ sic explicant; *Extollitur supra omne id, quod dicitur Deus aut numen, id est, supra omnes magistratus, supra Angelos, supra diabulos, supra ipsum verum Deum omnipotentem. Hi enim omnes in Scriptura vocantur dij, vel Deus. Ita Pouellus lib. 1. cap. 17. Quod autem Pontifex supra hos omnes se extollat, probat inductione. 1. quia magno fastu despicit pre se Reges & Imperatores; & eos ad oscula pedum suorum abiicit. 2. quia gloriatur se Angelis cœlorum præcipere posse. 3. quia iactat sibi commissam esse potestatem in diabulos. 4. quia vero Deo omnipotenti se anteponit. Hanc postremam partem, quia incredibilis videbatur, probat tribus rationibus; Prima est, *Quicunque sua scripta, placita, ac decreta prefert verbo ac Scripturæ ipsius aeterni Dei; is prefert se vero Deo: Pontifex Romanus sua Scripta, ac Decreta prefert verbo ac Scripturæ ipsius aeterni Dei: Ergo prefert se ipsi Deo. Altera est; Qui dicit fas esse sibi mutare formam Sacramentorum, is se extollit supra authorem Sacramentorum Deum: Papa hoc dicit: Ergo se extollit supra Deum. Tertia est; Qui precepta, edicta, & interdicta sua extollit supra Dei edicta, & Decalogi precepta, is se extollit supra Deum: Papa hoc facit: Ergo.**

3 In his tribus rationibus minor propositio falsa est, nec aliter probatur à Pouello Caluinista, quam men-

daciis calumniis & similibus portentis , quæ non lu-
bet referre. Iam supra satis ostensum est , quanta sit in
hoc homine mentiendi libido , ac licentia. Vnde pru-
dens lector intelligere potest ; Aduersarios , cum de
Antichristo agitur , non graues Theologos ; sed leues
mimos ac Poëtas imitari , qui quo splendidius men-
tiuntur , eo maiorem in sua arte laudem merentur. Hoc
obiter. Res per se nota.

C A P V T VII.

An Papa negat Christum?

¶ **P**RÆCIPUA Antichristi nota est , negare , & oppu-
gnare Christum , ut patet ex illo 1.Ioannis. 2.22.
Quis est mendax n̄ si is , qui negat , quoniam Iesus est Christus ?
Hic est Antichristus , qui negat Patrem & filium. Et c.4.3.
Omnis spiritus qui soluit Iesum , Id est , qui vel diuinitatem ,
vel humanitatem eius negat , *ex Deo non est ; & hic est An-*
ticristus , id est , Christo contrarius , ut supra notauit ex
variis Patribus.

¶ Nunc quæstio est , An hæc nota conueniat Papæ ,
id est , An Papa negat , vel soluat Christum ? Aduersarij ,
quia non audent hoc simpliciter assérere , cum videatur
per se falsum , respondent cum distinctione ; Papam non
quidem verbo : sed facto & opere negare Christum ,
quia corrumpit doctrinam de Christo mediatore. Ita
Magdeburgenses cent.1.lib.2.cap.4. Franciscus Iunius
Caluinista in cap.14. Bellarmini.

¶ Sed dupliciter peccant. Primo , quia Antichristus
non tantum facto , sed etiam verbo ; & quidem palam
negaturus est Christum , ut patet ex scripturis citatis.
Idem tentiunt antiqui Patres. Et ratio est manifesta ,
quia non poterit se extollere supra omnem Deum , &
persua-

persuadere, se esse solum Deum, nisi neget, Christum esse verum Deum. Si enim verbo palam profiteretur, Christum esse verum Deum ac hominem, & humani generis unicum Redemptorem; quomodo suam auctoritatem & dignitatem astrueret apud alios?

4 Deinde falsum est, Papam negare Christum facto & opere, corrumpendo doctrinam de Christo mediatore. Ipsi met Aduersarij hoc faciunt. Docent enim Christum esse mediatorum secundum vitramque naturam, diuinam & humanam, qui est manifestus error. Nam Christus secundum illam naturam debet esse mediator, secundum quam meruit & satisfecit pro nobis: at non meruit aut satisfecit secundum diuinitatem; sed secundum humanitatem: Ergo non est mediator secundum diuinitatem, sed secundum humanitatem. Minor patet, quia meruit & satisfecit per orationem, ieiunium, passionem, & mortem, quæ sunt opera humanitatis: non autem per prædestinationem aut creationem, quæ sunt opera diuinitatis. Hinc Apostolus 1, Timoth. 2.5. dixit: *Vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Vbi particula *Homo* addita est, ut constaret, secundum quam naturam Christus esset mediator, quam notauit Aug. lib. 2. de peccato originali cap. 28. & serm. 11. de verbis Apostoli. Sed hæc fusiūs alio loco explicanda sunt.

C A P V T VIII.

An Papa Colat idola?

1 **A**Duersarij ponunt inter notas Antichristi quod futurus sit idololatra. Et hoc colligunt ex illo Dan. 11.38. *Deum autem Maozim in suo loco venerabitur, & Deum quem ignoraverunt Patres eius, colet auro, & argento, & lapide pretioso rebusque preciosis.* Et ex illo Apoc. 17.4. *Mus-*

lier erit circumdata purpura & cocino, & inaurata auro & lapide precioso & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione & immunditia fornicationis eius.
Vide Pouellum lib. 1. cap. 4.

4 *Quod autem hæc nota conteneriat Papæ, id est, quod Papa sit idololatra, probant dupliciter. Primo, quia Papa pro vero Deo colit id, quod non est Deus, ut parem missaticum, virginem Mariam, Angelos, alios Sanctos. Secundo, quia verum Deum alio modo colit, quammodo se in verbo suo coli præcepit, nempe per bona opera, eleemosynas, peregrinationes, castitatem, paupertatem, obedientiam, cucillum, vestem Franciscanam. Vide eundem Pouellum lib. 1. c. 22.*

3 *Hæc paucis examinanda sunt. Quod primò loco dicitur Antichristum fore idololatram, distinguendum est. Nam publicè opugnabit omnes Deos & omnia idola; solus ipse volet se tanquam Deum adorari. Privatum vero & occultè adoraturus est dæmonem, cum quo pactū perpetuum inibit, quod velit eum adorare, si vicissim illius ope possit regnum & potentiam terraneam adipisci. Vtrumque colligitur ex verbis Dan. cap. 11. Prius quidem ex illis; Eleuabitur aduersus omnem Deum, & aduersus omnia consurget, scilicet palam ac publicè. Posteriorius vero ex illis; *Deum autem Maozim in loco suo venerabitur*, nempè occultè, & ex priuato pacto cum dæmons. Ita D. Hieronymus & alij Patres. Hinc concludo, Papam non esse Antichristum, quia publicè non consurgit aduersus omnia, ut fatentur ipsi aduersarij, cum publice pronus adoret Eucharistiam. Locus ex Apoc. allatus nihil ad rem facit. Nam in illo capite non agitur de Antichristo, sed de Roma, quæ dum adhuc gentilis esset, seruiebat omnibus idolis.*

4 *Quod addunt aduersarij, Papam pro vero Deo cole*

çolere id, quod non est Deus, apertum mendacium est. Nec exempla allata id conuincunt. Nam panem non colit pro Deo; sed Christum sub specie panis latenter. Christus autem est verus Deus. B. Virginem, Angelos, & alios Sanctos in cœlo existentes, colit quidem ut Dei amicos & domesticos; non tamen ut veros Deos. Nec est opus hoc probare. Omnes Catholicorum libri id clamant. Omnes pueri in doctrina Catechistica sic instituuntur. Neque ignorant hoc aduersarij. Sed quia calumniari volunt, dissimulant.

5. Iam in colendo vero Deo quid peccat Pontifex? quid alij Catholici: quid religiosi? An quia colunt Deum alio modo, quam quo se coli præcepit in Scriptura? Peccant igitur aduersarij. Nam ipsi colunt Deū, adeundo templum die Dominicō; sumendo Eucharistiam ante prandium. Vbi hæc præcepta sunt in sacris literis? vbi habes, quod die Dominicō potius, quam quousi alio die templum adeundum sit? quod ante prandium potius, quam ante vel post cœnam sumenda Eucharistia? Nusquam.

C A P V T . I X .

An Papa faciat miracula?

C Onstat Antichristum & ministros eius facturos multa signa & prodigia ad seducendos homines, ut colligitur ex illo Matth. 24.24. Dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri posset, etiam electi. Et Apocal.13.13. Et fecit signa magna & prodigia in conspectu hominum.

2. Porrò hæc signa faciet ope diabolica, nec ertint vera miracula, sed falsa & apparentia, ut patet ex illo 2. Thess.2.9. *Cuius est aduentus secundum operationem Satanae,*

in om

in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus. Et infra:
Mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.

3 Dicuntur autem signa mendacia propter varias causas. 1. ratione finis, quia Antichristus idè faciet illa signa, ut ostendat se esse Deum, quod est maximum mendacium. 2. ratione efficientis, quia non ipse; sed diabolus illa efficiet, qui est pater mendacij. 3. ratione materiae, quia multa ex iis erunt phantastica, seu præstigiæ, & illusiones; ut quando videbitur excitare mortuos, aut sanare ægrotos, quod tamen re ipsa non faciet. 4. ratione formæ, quia multa putabuntur esse miracula, quæ tamen non superabunt vires totius naturæ; ac proinde formaliter non erunt miracula, sed operationes naturales, licet ex occultis causis proficiuntur.

4 Nunc questio est, An Pontifex faciat huiusmodi falsa, & mendacia prodigia ad decipiendos homines, ut etiam ex hac parte possit vocari Antichristus? Aduersarij affirmant. Hoc autem tam frigidè & ineptè probant, ut quiuis facile aduertat, ipsos calumniari velle, non veritatem inuestigare. Primo, probant, quia in Catholicorum libris multa commemorantur miracula, quæ ab ipsis conficta sunt, nec unquam contigerunt. 2. quia Iesuitæ dicunt se facere multa miracula in Iaponia, & tamen hic in Europa nulla possunt facere. Ergo signum est ipsos mentiri.; . quia Pontificij fingunt statuas in Ecclesia progredi, consistere, ridere, nutus dare & alios motus exercere, fingunt animarum e Purgatorio venientium lacrymas, suspiria, petitiones, confessiones, fingunt Christi, Mariae, Apostolorum crebras visiones: fingunt morborum sanationes, & id genus mille ludibria. 4. quia illusiones Satanæ numerant inter vera miracula, cuiusmodi multa sunt in quatuor libris dialogorum Gregorij Magni, hominis superstitionis

tiosissimi. Vide Pouellum Caluinistam lib. 1. cap. 26. vbi has & similes calumnias coaceruauit, quæ refutatione non indigent.

5 Ergo relictis his nugis & calumniis, tria breuiter ostendam. Primo, Pontificem Romanum non facere, nec fecisse ea prodigia mendacia, quæ Antichristo tribuuntur in sacris literis. Secundo, Pontificem & Pontificios sæpe facere, & fecisse vera miracula; qualia nec Antichristus, nec Nouatores facere possunt. Tertio, ea quæ ab aduersariis allata sunt, nullius momenti esse.

6 Primam partem probo duobus argumentis. *Vnum est*, Antichristus deducet ignem de cœlo: Pontifex hoc non facit: Ergo non est Antichristus. Maior patet ex illo Apoc. 13. 13. *Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu hominum.* Loquitur de Antichristo, ut fatentur aduersarij; nominatim Franciscus Iunius Caluinista in cap. 15. Bellarmini. Pouellus Caluinista lib. 1. c. 4. §. 19. Balduinus Lutheranus in disp. de Antichristo. c. 6. §. 27. & alij.

7 Tres sunt solutiones aduersariorum. Prima est. Ioannem loqui de igne excommunicationis, ut hic sit sensus, Antichristus faciet ignem de cœlo descendere, id est, excommunicabit homines. Et hoc aiunt facere Pontificem. Ita Pouellus lib. 1. c. 26. §. 15. & Balduinus. c. 6. §. 32. Sed hos supra refutati, partim ex ipso contextu; partim ex aliis scripturæ locis; partim etiam evidenti ratione. Nam ignem de cœlo deducere, numeratur à Ioanne inter maiora signa seu miracula Antichristi: imò inter talia miracula, quibus seducantur homines, ut credant esse opera diuinitatis. At excommunicare aliquem, nullum est miraculum.

8 Altera est, Ioannem loqui de igne diuino, seu de Spiritu S. ut sensus sit; Antichristus faciet ignem de cœlo descendere, id est, dicet se in Sacramentis conferre Spiritum

titum S. qui est ignis de cælo descendens. Et hoc aliunde similiter facere Pontificem. Ita Bullingerus in cap. 13. Apoc. Sed facile hoc cōmentum refellitur. Nam etiam Apostoli fecerunt hoc modo ignem de cælo descendere, quia quoties Baptizatis imponebant manus, Spiritus sanctus in specie ignis descendebat de cælo, ut patet ex illo Act. 19.6. *Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos.* An ideo Paulus & alij Apostoli fuerunt Antichristi? An ideo conuenit illis, quod dicit Ioannes in Apocalypsi, *ut etiam ignem facerent de cælo descendere:* Videat Bullingerus.

9 Tertia est, Ioannem loqui de igne corporali, & Pontificem deducere eum de cælo in terram. Ita Iunius Calvinista in cap. 15. Bellarmini; Et probat his verbis; *Etiam ignem è cælo cecidisse aliquoties narrat Ioannes Linturius in appendice ad Fasciculum temporum.* Vis argumenti, ut mihi videtur, est hæc; Ioannes Linturius narrat aliquoties ignem è cælo cecidisse: Ergo Pontifex fecit ignem de cælo descendere. Perinde est, ac si dicam; Scriptura narrat aliquoties ignem è cælo descendisse. Ergo Caiphas fecit ignem è cælo descendere. Cur non simili modo licebit sic inferre; Ioannes Linturius narrat ignem è cælo cecidisse: Ergo Calvinus vel Lutherus fecit ignem de cælo descendere: Vel sic; Quidam Mathematicus Calvinista, dum noctu stellas obseruaret, dicit ignem è cælo cecidisse: Ergo Prædicans Calvinista fecit ignem de cælo descendere: Nugæ nugarum. Nimisrum hæc sunt immotæ Scripturæ fundamenta, ex quibus aduersarij conuincunt Papam esse Antichristum. Sed pergo.

10 Alterum argumentum est; Antichristus faciet ut imago bestiæ loquatitur: Pontifex hoc non facit: Ergo non est Antichristus. Maior patet ex illo Apoc. 13.15. *Et datum est illi ut daret spiritum imagini bestiæ,* & ut loquatur

quatuor imago bestie. Quod de Antichristo intelligunt Iunius, Pouellus, & alij Caluinista. Hic etiam adhibent varias solutiones. Vna est Pouelli lib. 1. c. 26. §. 24. vbi dicit per imaginem bestie, intelligi antiquum Romanum imperium, cui Antichristus, id est, Papa, dedit spiritum ut loqueretur, id est, imperium illud quasi demortuum instaurauit, & novo spiritu donauit. Hoc delirium supra refutauit. Restaurare regnum, non est miraculum. Boni & mali id possunt per industriam humanam.

11. Alia solutio est Francisci Iunij in cap. 15. Bellarmini, vbi ostendit Pontificem sepe id fecisse, ut imagines loquerentur. Et probat his verbis; *Imagines vero locutas esse, locis fere singulis memoria nostra gloriantur Pontificij, & Genebrardi Chronicon abundat exemplis.* Hoc eiusdem farinæ est cum cæteris. Et refellitur ex ipso contextu. Primò, quia Ioannes in illo capite agit de duplice bestia, quarum altera de mari, altera de terra ascendebat. Per priorem bestiam intelligit Franciscus Iunius (contra quem dispergo) Imperatores Romanos; per posteriorem vero Antichristum. Constat autem imaginem bestie, quæ dicitur loqui, non esse imaginem posterioris, sed prioris bestie, ut patet ex illis verbis v. 14. *vt faciat imaginem bestie, quæ habet plagam gladi & vixit.* Bestia autem quæ habuit plagam. & curata est, non est posterior, sed prior. Ergo si verum est, quod ait Franciscus Iunius, necesse, ut Antichristus (qui designatur per posteriorem Bestiam) faciat loqui imaginem prioris bestie, id est, imaginem Imperatorum Romanorum. Hoc autem Pontifex hactenus non fecit, nec ex Chronico Genebrardi ostendi potest. Secundò quia Antichristus occidet omnes, qui non adorant imaginem prioris bestie, ut patet ex illis verbis. v. 15. *Faciet, ut quicunque adorauerint imaginem bestie occidentur.* At Pontifex neminem hactenus occidit, quod ima-

ginem Romanorum Imperatorum non adoraret. Vides, opinor, quām male cohærent commenta istorum Nouatorum,

12. Ostendi ergo perspicuè, Romanum Pontificem non facere aut fecisse ea miracula, quæ Antichristus facturus legitur in Apoc. cap. 13. Nunc altera pars probanda est, nempe Pontificem & Pontificios sāpe facere & fecisse vera miracula, quæ diuinæ virtutis argumenta sint. Possum hoc probare infinitis prope exemplis ex antiqua historia petitis. Sed nolo. Nam aduersarij, qui sunt osores miraculorum, pro sua impudentia negabunt omnia: & omnes historicos, sacros & profanos coarguent mendacij. Proferam ergo recentia. Ac primum quæro. An Christianissimus Rex Franciæ, Henricus quartus, hoc ipso anno non curauerit strūmam in vrbe Parisiensi, multis hominum millibus spectantibus? Negari non potest. At rex ille Pontificius est. Ergo Pontificij miracula faciunt. Dices fortè, curationem strumæ miraculum non esse. Imò est. Ex ipsa curandi formula id apparent. Est autem hæc formula: *Tangat te Rex, sanet te Christus.* Nescio, quid hic obtendere possint aduersarij. Quamquam, ut dixi, tam impudentes sunt, ut omnia negare audeant. Etiamne Regem id fecisse? Forte & hoc.

13. Iterum quæro, an non in Brabantia hisce annis proximis multi sanati sint ad statuam beatæ Virginis Aspricollis? neque hoc negari potest. Lipsius, qui prope spectator fuit, integro volumine testatur. Vidi ego meis oculis adolescentem, qui ex matris vtero per multos annos fuit instar trunci, cui pedes super pectus ad guttur usque porrigebantur. Vidi hunc sanum, & erectis pedibus ambularem. Viderunt aduersarij nō pauci. Et tamen miraculum confiteri non volunt. Similes Phariseis apud Ioannem cap. 9. Videbant illi hominem qui

qui cæcus natus erat , apertis oculis videntem & ambulantem. Sed ne darent gloriam Christo, qui miraculo eum sanauerat, negabant cæcum fuisse. Ita noui nostri Pharisei.

14. Nunc expendamus, quæ initio ab aduersariis allata sunt. Primum est , *in libris Catholicorum multa recenti* ser*miracula, quæ planè conficta sunt, & nunquam acciderunt.* Sit sane ita. Nihil hoc ad rē facit. Aliud est, fingere seu excoxitare miracula, quod etiam Poëtæ faciunt ; aliud re ipsa facere quædam signa & prodigia mendacia, quælia Antichristus facturus legitur. Illud prius fieri potest sola industria humana; hoc posterius fit virtute dæmonis. 2. Thess. 29.

15. Secundum est, Iesuitas dicere, *multa se facere miracula in Iaponia, quæ hic facere non possunt; ac proinde verisimile esse eos mentiri.* Non queritur, an Iesuitæ mentiantur, nec ne (quamquam mentiri eos nego) sed an faciant prodigia & signa virtute dæmonis, sicut Antichristus facturus legitur. Cur autem in Iaponia fiant plura miracula, quam in Europa, causa in promptu est. In Iaponia fides Christi nunc primum prædicatur; & ideo præ eius confirmatione opus est miraculis. In Europa pridem prædicata & recepta est, nec indiget noua confirmatione. At dicet aliquis. Si Iesuitæ facerent hic miracula, sicut in Iaponia faciunt, Lutherani & Caluinistæ crederent illis. Ego è contrario dico; ideò Iesuitas hic non facere miracula, sicut in Iaponia faciunt; quia Lutherani & Caluinistæ non volunt credere illis. Dicebant olim Pharisei Christo; *Quanta audiuimus facta in Capharnaum: fac & hic in patria tua.* An fuisset illi credituri, si fecisset? Nullo modo. Ideò ait Scriptura; *Et nō poterat ibi virtutem ullā facere propter incredulitatem eorū.*

16. Tertium est, Pontificios fingere multa fabulosa, ut statuas in Ecclesia progredi, animas ē purgatorio venire, Christum

aut B. Virginem apparere, & similia. Repeto, quod ante dis-
xi. Non est, quæstio, an Pontificij fingant & mentian-
tur (quod multo luculentius faciunt Nouatores) sed
hoc quæritur; an re ipsa in conspectu hominum exhi-
beant prodigia quædam & signa, quæ diuinitus fieri
videantur. Addo, statuas apud Nouatores non posse
progredi, sed claudicare, quia membra omnia con-
fracta sunt. Nec animas redire è purgatorio, quia nul-
la Nouatorum ibi sunt. Nec Christum aut B. Virgi-
nem illis apparere, quia nulla conuentio Christi ad
Belial, nec ulla societas lucis ad tenebras. 2. Corin. 6. 15.

17. Quartum est, *In libris dialogorum Gregorij Magni, hominis superstitionissimi, pro veris miraculis referri multas illusiones Sathanæ.* Cur vocatis hominem superstitionissimum, quem Lutherus sanctum vocat: & qui propter sanctitatem & doctrinā *Magnus* meritò appellatus est: Et vobis unde constat illusiones Sathanæ, & non vera miracula esse, quæ ab illo recensentur.

C A P V T X.

An Papa imprimat suis Characterem?

EX Scripturis constat; Antichristum omnes suos
asseclas signaturum certo quodam charactere, seu
externo signo, quo palam ab aliis discernantur; ut col-
ligitur ex illo Apocalypsis 13.16. Et faciet omnes pusillos &
magnos diuites & pauperes, liberos & seruos habere charac-
terem in dextra manu sua, aut in frontibus suis: Et ne quis pos-
sit emere aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen be-
stie, aut numerum nominis eius. Et c. 14. 9. Si quis adorauerit
bestiam & imaginem eius; & acceperit characterem in fronte
sua, aut in manus sua. Et alibi sæpe.

2. Nunc quæstio est. An etiam Pontifex imprimat
suis

suis subditis characterem? Affirmant aduersarij: sed dissentient in modo explicandi, quis sit ille character, H̄ericus Bullingerus vult esse unctionem Chrismatis, quo Christiani signantur in fronte, quando suscipiunt Sacramentum Confirmationis. Theodorus Bibianus dicit esse professionem Romanæ fidei. Chyträus addit alia 3. 1. Iuramentum fidelitatis, quod Pontifici præstatur. 2. Unctionem Sacerdotalem, quæ in vertice & in manu accipitur. 3. Procumbere ad statuas, & panem consecratum, & Missis funebris interesse. Similia habent Franciscus Iunius, Pouellus & alij id genus Nouatores.

3. Hi omnes facile refelluntur. Primò, ex ipso textu. Nam character Antichristi debet habere tres conditiones. Una est, ut sit communis omnibus, pusillis & magnis, diuitibus & pauperibus, liberis & seruis. Altera est, ut indifferenter possit imprimi vel in fronte, vel in dextra manu. Tertia est, ut nemo, nisi habens characterem, possit emere aut vendere. Hæc omnia patent ex Scripturis citatis. Atqui istæ tres conditiones non conueniunt unctioni Chrismatis in Sacramento Confirmationis, nec unctioni Sacerdotali, nec professioni fidei Romanæ, nec iuramento fidelitatis, nec inflexioni corporis ad statuas, ut per se patet. Nam unctionis Chrismatis in Sacramento Confirmationis sæpe non confertur omnibus, nec indifferenter in fronte, vel in manu dextra, nec requiritur ad emptionem aut venditionem. Quam multi Romæ in conspectu Pontificis emunt & vendunt, non modo Iudæi, sed etiam Christiani, qui Sacramentum Confirmationis nondum suscepserunt? Unctio Sacerdotalis multò minus confertur omnibus, nec ullo modo ad emendum aut vendendum necessaria est. Professio Romanæ fidei non imprimitur in fronte, aut in dextra manu; sed

lingua & ore perficitur. Idem est de iuramento fidelitatis. Inflexio similiter, non frontem aut manum : sed genua, aut totum corpus afficit.

4. Acedit, quod omnia ista, quæ à Nouatoribus assignantur pro charactere Antichristi, fuerint visitata in Ecclesia Romana ante tempora Gregorij Magni : At character Antichristi nō fuit visitatus in Ecclesia Romana ante tempora Gregorij Magni, Ergo character Antichristi non potest esse aliquid eorum, quæ à Nouatoribus assignantur. Maior nota est ex historiis, nec ab aduersariis negari potest. Minorem probo ex illorum concessione. Farentur enim aut Gregorium Magnum, aut aliquem ex successoribus eius fuisse primum Antichristum inter Pontifices Romanos : Atque character Antichristi non potuit esse in vsu ante ipsum Antichristum. Piget in re tam manifesta diutius hærere.

C A P V T X I.

An Papa sit Blasphemus?

1. **A**ntichristum fore Blasphemum constat ex illo Daniel. c.7. 25. Sermones contra excelsum loquetur. Et cap.ii.30. Aduersus Deum deorum loquetur magnifica. Et Apoc.13.5. Dñm est ei os loquens magna & blasphemias. Et paulo post; Aperuit os suū in blasphemias ad Deum, blasphemare nomē eius, & tabernaculū eius, & eos qui in cœlo habitat.

2. Hanc etiam notam aduersarij appingunt Pontifici. Aiunt, Pontificem multis modis blasphemum esse. 1. quia Deum in forma humana proponit in templis adorandum. 2. quia fingit Christum esse nouum legislatorem, qui perfectiores leges tulerit quam Moses 3. quia negat Deū habere perfectam iustitiam & misericordiam, astringendo merita & satisfactiones hominum

4. quia

4. quia contemnit & multis conuitiis incessit verbum Dei. 5. quia abutitur nomine Dei in suis incantationibus & exorcismis. 6. quia blasphemat doctrinam Ecclesiae reformatæ, dum eam nouam, incertam, & hereticam calumniatur ; cum tamen non sit noua, sed antiqua licet diu incognita; & sepulta iacuerit. 7. quia derogat existimationi eorum, quos pietas nobis deber reddere quam commendatissimos, quales sunt fideles Ministri Ecclesiae, Lutherus, Calvinus, Beza, Bucerius, & similes. Vide Pouellum lib. 1. cap. 33. vbi hæc omnia prolixè enumerat, ut probet Pontificem blasphemum esse.

3. Nescio, risu an indignatione potius digni sunt, qui talia proferunt. Videamus singula. Primum aiunt, Pontificem blasphemum esse, quia pingit Deum in humana specie. Nesciunt, quid sit Blasphemia. Est enim peccatum oris, non operis. Et cur non dicunt blasphemum esse Danielem, qui dicit se vidisse Deum in forma humana? *Ajpiciebam, inquit, donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedet, & vestimentum eius candidum, quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana.* Sanè, si Deus ostendit se Danieli in forma humana; & Daniel palam fatetur se vidisse eū in tali forma: cur non liceat eum pingere in tali forma?

4. Secundò, aiunt Pontificem blasphemum esse, quia singit Christum esse nouum Legislatorem, qui perfectiores leges tulerit, quam Moyses. Non video, quæ hic blasphemia sit. An non Christus legislator est? Omnis est. Isaias de illo dicit; *Dominus index noster, dominus legifer noster, dominus rex noster ipse saluabit nos.* Ipse de se ipso dicit. Ioannis 14.15. *Mandata mea seruare.* Quas ergo leges tulit? Audi, Ioannis 3.5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.* Matt. 28.19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine*

Patris & filij & Spiritus sancti, Lucæ 22. 19. Hoc facite in meam commemorationem. Hic aperte vides Christum tulisse leges Sacramentales, quæ à Mose latæ non fuerunt Solùm quæri potest, quomodo Christi leges fuerint perfectiores, quam Molis. Respondeo cum distinctione: Duplex est Lex. Altera naturalis; altera politiua. Lex naturalis summatim comprehenditur in Decalogo, quem Moyses promulgavit in monte Sinai, ut habetur Exodi 20. Christus autem rededit in compendium, cum ait; Matrh. 22. 37. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; & proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa Lex pendet, & Prophetæ. In hac lege naturali, quoad substantiam legis pares sunt Moses & Christus; at quoad explicationem, superior est Christus, qui ippe qui præcepta Decalogi perfectissimè explicauit, ut habetur Matth. 5. Iam si speiemus leges positivas, sine dubio leges Christi simpliciter præstantiores sunt, quam Mosaicæ: Sicut enim Sacraenta nouæ legis excellentiora sunt Sacramentis antiquæ legis; sic de ipsis legibus Sacramentalibus statuendum est. Miror Nouatores hoc non aduertere. Sed cæci sunt, & duces cæcorum.

¶ Tertiò, aiunt Pontificem blasphemum esse, quia hoc ipso, quod astruit merita & satisfactiones hominum, negat Deum esse perfectè iustum & misericordem. Cur non similiter dicunt, Apostolum blasphemum esse, qui etiam astruit merita & satisfactiones hominum? Rom. 2. 6. Deus reddet unicuique secundum opera sua 1. Cor. 3. 8. Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Col. 3. 23. à Domino accipietis retributionē hereditatis. 2. Ti. 4. 8. Deposita est mihi corona In-
stitia, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Index 2. Cor. 17. Sicut socij passionum eritis, sic eritis & consolationis. Rom. 8. 17. Si tamen compatimur, & ut conglorificemur.

Nec

Nec verò (ut falso putant aduersarij) minuitur Iustitia aut misericordia Dei , per nostra opera meritoria aut satisfactoria. Nam perfecta Dei Iustitia in eo elucet quod pro offensa humani generis infinita , non passus fit sibi satis fieri , nisi per satisfactionem Christi infinitam. Et similiter perfecta misericordia in eo, quod nullo nostro merito ex sola sua liberalitate & benignitate dederit nobis Christum Redemptorem, qui nos à seruitute peccati liberaret.

6 Quartò , aiunt Pontificem blasphemum esse, quia contemnit , & multis conuiciis lacescit verbum Dei, Mendacium est. Pontifex magni facit verbum Dei, & ex eo probat Lutheranos & Caluinistas hæreticos esse: Nec ullum haec tenus conuictum in libris Pontificum repertum est , quo verbum Dei incessat. Imò magno conatu & labore id operæ dat , ut verbum Dei quam correctissimè imprimatur & legatur. Nouatores potius blasphemii sunt , qui solo verbo scripto contenti, totum verbum Dei traditum reliquunt: Indò ipsum scriptum verbum multis partibus resectis mutilant ; & quod residuum est , prava interpretatione pervertunt, Huius rei specimen aliquod supra ostendi.

7 Quintò , aiunt Pontificem blasphemum esse , quia abutitur nomine Dei in suis incantationibus & exorcismis. Est ne hoc abuti Dei nomine , quando Diabolum in nomine Dei proscribimus, & facessere iubemus? Christus Marci 16.17. dixit : *In nomine meo Demonia eiiciant.* An Nouatores volunt in nomine alterius id facere?

8 Sextò , aiunt Pontificem blasphemum esse , quia blasphemat doctrinam Ecclesiæ reformatæ, dum eam nouam , incertam , & hæreticam vocat. Verum, hæc non blasphemia , sed veritas est. An doctrina illa noua censeri non debet , quæ à Luthero & Calvino

initium habet, & toti Patrum antiquitati contraria est: an incerta non est, quæ singulis penè horis ac momentis mutatur: an heretica non est, quæ à Catholica Christi Ecclesia ac doctrina dissidet? Exemplo res erit manifesta. Docet Caluinus Deum authorem esse peccati; Docet Christum desperationis vocem emisisse: docet Baptismum non esse ad salutem necessarium: docet peccata non tolli, sed regi: docet solos prædestinatos habere fidem: docet omnia iustorum opera esse peccata mortalia. An hæc dogmata heretica non sunt? an non toti Patrum antiquitati contraria? Alibi id latius ostensum est.

9. Septimò aiunt Pontificem blasphemum esse, quia derogat Luthero, Caluino, Bezæ, Bucero. Nihil illis derogat. Dicit hereticos esse, ut re vera sunt. An vos derogatis Arrio, Macedonio, Nestorio, Eutycheti, & similibus portentis, quando dicitis hereticos esse, & ab Ecclesia Catholica damnatos? Nullo modo. Similiter ergo in hac causa est statuere.

10. Ego, si libereret, hæc omnia in aduersarios facillime retorquerem. Dicerem multis modis blasphemos esse. 1. quia fingunt Deum authorem peccati. 2. quia negant Christum esse legitimum. 3. quia iustitiam Dei in crudelitatem vertunt, assérendo ipsum multos ad æternam pænam, sine villa illorum culpa prædestinare. 4. quia verbum Dei partim reiiciunt, partim male interpretantur. 5. quia ad nomen Iesu prohibent honorem ac reverentiam exhiberi. 6. quia antiquam Patrum & Ecclesiæ doctrinam contemnunt. 7. quia Pontificem vocant Antichristum. Hæc, inquam, & sexcenta alia possem illis obiicere, sed non lubet: Res enim nota est,

C A P V T X I I .

An Papa persecutur Sanctos?

DE Antichristo sic legimus Dan.7.25. *Sanctos altissimi conteret. Apoc.11.7. Bestia quæ ascendit de abyso, faciet aduersum eos bellum, & vincet illos, & occidet eos. Et cap. 13.15. Et faciet, ut quicunque non adorauerint imaginem bestie, occidantur.*

2. Hoc etiam quadrare in Pontificem Romanum docent aduersarij. Aiunt persecutum esse Vvaldenses, Albigenses, Hussitas: aiunt adhuc persequi Lutheranos & Caluinistas: aiunt ab eo esse excitatum bellum in Gallia, Belgio, & aliis regnis contra fideles Ecclesiæ ministros: multa hominum millia occisa: multam innocentis sanguinis factam profusionem. Et quid non? Quidquid malorum in Europa fit à Pontifice, & Pontificiis fieri asserunt. Vide Pouellum Caluinistam lib.1.c.32.

3. Sed primum demonstrare oportebat, Vvaldenses, Albigenses, Hussitas, Lutheranos, Caluinistas, esse viros sanctos, & Fideles Dei ministros. Hoc opus, hic labor est. Nos hæreticos esse dicimus. Hæreticos autem punire, nihil mali est. Imò lege diuina & imperatoria concessum. Moses iussit occidi multa millia Israëlitarum, eo quod à fide vnius Dei recedentes, idolum vituli adorarent. (Exodi 32.27.) Elias interfecit Prophetas Baal (3.Regum 18.40.) Idem fecit Iehu (4.Reg.10.25.) Mathatias trucidauit quemdam Iudæum idolis sacrificantem (1. Macch.2.4.) Taceo similia exempla quam plurima. Iam leges Imperatoriæ, quibus pœna capitis in hæreticos decernitur, plurimæ & notissimæ sunt, Nec opus est hic recitare.

4. Quantò nos æquius queri possumus de Nouatoribus,

ribus, qui carceribus, flammis, in usitatis suppliciis in Catholicos multis iam annis scuerunt in Anglia, Hollandia, Gallia, & alibi. Extant de hac crudelitate integra volumina. Et quid necesse est infandum renouare dolorum? Legatur theatrum crudelitatis Caluinisticæ. Sat videbis, omnem eos humanitatem exuisse, & penè in feras ferocissimas esse transformatos.

C A P V T X I I I .

An sit articulus Fidei, Papam esse Antichristum?


Risi, cum primum legerem in præfatione Pouelli Calviniste hæc verba; *Deum sancte testor, me tam certe scire, Pontificem Romanum esse magnum illum Antichristum, quam Deum ipsum esse in cœlo creatorum visibilium & inuisibilium, & Iesum Christum esse verum Messium.* Hic vides Calvinistam illum, hos tres articulos eadē certitudine tenere; nempe, *Deus est in cœlo, Christus est Messias, Papa est Antichristus.*

2. Hinc sequitur Primi. Symbolum fidei non esse perfectum secundum Calvinistas, quia unus è tribus præcipuis articulis illi deest. Vnde sicut Catholici annis superioribus correxerunt Calendarium; ita suadeo Calvinistis, ut corrigant Symbolum Apostolorum; Et quia Lutherus est decimus tertius Apostolus, sic illius nomine apponant hunc decimum tertium articulum: *Credo Papam esse Antichristum.*

3. Secundò sequitur, omnes Patres, quotquot à temporibus Apostolorum extiterunt, usque ad tempora Lutheri & Caluini, ignorasse unum ex præcipiis fidei articulis, quia nescierunt, Papam esse Antichristum. Merito igitur dubitari potest, an salutari potuerint cum sine

sine perfecta fide impossibile sit placere Deo. Non sit autem perfecta fides, quæ non credit omnes articulos fidei credendos.

4. Tertiò sequitur hunc articulum fidei (quod Papa sit Antichristus) in eo differre ab aliis articulis, quod alij habeantur in verbo Dei scripto; hic autem manifeste deducatur ex immotis Calvinistarum fundamentis præsertim ex illis tribus, nempe ex contemptu sanctorum Patrum antiquorum, ex falsa scripturæ interpretatione, & ex mendaciis apertissimis. Nescio, an indigat res maiori explicatione.



DE ECCLESIA Romana.

An Ecclesia Romana defecerit?

OPUSCULVM IV.

Sensus est, an Ecclesia Romana cū aliis Ecclesiis illi adhærentibus, ita defecerit & degenerauerit, ut desierit esse vera Ecclesia? Affirmat Calvinus lib. 4. Instit. cap. 7. §. 24. his verbis; *Fuerit sane olim Roma omnium Ecclesiarum mater; verum ex quo Antichristi sedes fieri cœpit, desit esse id. quod erat.* Hic duo asserit. Vnū, Ecclesiam Romanam fuisse aliquando veram Ecclesiam, & quod amplius est, omnium Ecclesiarum matrem, Hoc accipimus: Alterum, eam iam defecisse, & factam esse Antichristi sedem. Hoc disceptamus.

2. Potest autem dupliciter intelligi, eam defecisse. Primo, in moribus. Secundo, in doctrina fidei. Prior defectus non tollit rationem veræ Ecclesiae, sed posterior. Est ergo hic status controversiae, *An Ecclesia Ro-*

mana defecerit in doctrina fidei? Affirmat idem Calvinus. Nec aliter probat, quām crasso & aperto mendacio. Ait, Pontifices Romanos pridem docuisse tres grauissimos errores circa fidem: nempe, *nullum esse Deum, nullum Christum, nullam Resurrectionem.* Verba Calvini supra citata sunt.

3. Ego contra, non mendaciis, sed firmis argumentis demonstrabo, Ecclesiam Romanam, sicut olim fuit, ita nunc esse veram Christi Ecclesiam, neque à sua puritate jnqua defecisse: idque tribus modis. 1. ex Scripturis. 2. ex Patribus. 3. ex ipso Caluino, & principiis eius. Et ne longus sim, utrū potissimum hoc postremo probandi genere, præsertim cum multi alij iam pridem ex scripturis & Patribus idem argumentum copiosè traxerint. Ut autem tota res facilius percipiatur, eam per certas Conclusiones conabor deducere & explicare. Sit ergo.

I. CONCLVSI O.

Concedenda est aliqua visibilis Ecclesia in terris, quæ sit, & dicatur Catholica, Sancta, Sponsa Christi, Domus Dei, columna & firmamentum veritatis.

1. **H**Æc tota conceditur à Caluino lib. 4. Inst. cap. 1. Per multos §. §. vbi ex professo disputat de Ecclesia visibili. Et quidem §. 2. ait nos fide credere Ecclesiam visibilem, cum dicimus in Symbolo Apostolorum: *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam.* Itaque dari Ecclesiam visibilem, est articulus fidei, secundum Caluinum. Et recte, nam licet externis oculis videamus multitudinem eorum hominum, ex quibus conflata est Ecclesia visibilis: tamen, quod in ea multitudine sit vera doctrina Christi & Apostolorum, hoc non vide-

mus,

mus, sed credimus. Vnde visibilis Ecclesia partim cadit sub aspectum oculorum: partim sub fidem Externis oculis videmus homines, qui in Ecclesia sunt: interna fide credimus, veram Christi doctrinam apud eos tradi & conseruari.

2. Hinc soluitur sophisma illud Lutheranorum:
Quod fide credimus, hoc non est visibile: Ecclesiam fide credimus: Ecclesia ergo visibilis non est. Nam maior propositio sic debet intelligi: *Quod fide credimus, hoc non est visibile secundum id*, quod sub fidem cadit: licet visibile sit secundum aliquid aliud, quod sub fidem non cadit, Huius rei varia sunt exempla, Apostoli in Christo videbant humanitatem: credebant divinitatem. In Baptismo videmus externam aquam & ablutionem; credimus internam vim regenerandi & peccata remittendi. In codice bibliorum videmus chartam, scripturam; codicem ipsum, credimus quod in eo legitur, verbum Dei esse: Idem ergo iudicium est de Ecclesia. Est aliquid in ea, quod credimus; est aliquid, quod sensu percipimus.

3. Verum, ne quis erret, adhuc distinctione opus est. Nam duplicitet intelligi potest, nos fide credere Ecclesiam. Primo, ut fide credamus, singulos homines in ea existentes, esse verè fideles, & interno affectu sectari doctrinam Christi. Secundo, ut fide credamus, in ea tradi & conseruari doctrinam Christi. Prior sensus est falsus; posterior verus. Non enim credimus, quotquot nobiscum sunt in Ecclesia visibili, verè fideles esse, quoad internum affectum, quia constat multos esse in Ecclesia hypocritas, ut inferius ostendam. Credimus tamen, eam doctrinam, quam externa voce profitentur homines existentes in Ecclesia visibili, esse doctrinam Christi & Apostolorum, sine qua salus esse non potest.

4. Quod autem haec visibilis Ecclesia dicenda sit Catholica Sancta, Sponsa Christi, Domus Dei, columna & firmamentum veritatis, fatetur Caluinus §. 2.9.10. & sequentibus. Et res certa est. Nam scripturæ, Symbola, & Patres, passim ita docent. Dicitur autem Catholica seu vniuersalis tribus de causis. Primo, ratione loci, quia per vniuersum Orbem diffusa est. Marci, 16. 15. Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creatura. Secundo, ratione temporis, quia semper durabit, Dan. 2. 44. Suscitabit Deus cœliregnum, quod in aeternum non dissipabitur. Tertio, ratione hominum saluandorum, quia nullus extra Ecclesiam potest saluari. Hinc patet discrimen inter Ecclesiam Christi, & Synagogam Iudeorum. Haec enim nullo istorum modorum fuit Catholica seu vniuersalis, non primo, quia non fuit diffusa per totum Orbem; sed per solam Palæstinam. Nec secundo, quia non durauit, nisi certo tempore. Nec tertio, quia poterant saluari homines extra Synagogam, ut Iob, Niniuitæ, & alij.

5. Dicitur Sancta ob has causas. Primo, quia nemo in eam ingreditur, nisi per Baptismum ablutus & sanctificatus sit. Hoc sensu dixit Apost. Ephes. 5.26. Christum mundasse Ecclesiam suam iauacrum aquæ. Et 1. Cor. 6. 11. *Hæc quidem fuisti, sed abluti & sanctificati es.* Secundo, quia omnia illius instituta, cultus, ceremoniæ, Sacra menta ad sanctitatem ordinantur. Eo enim spectant, ut vel sancti efficiamur, vel in sanctitate crescamus & conseruemur. Tertio, quia extra eam nulla potest esse sanctitas. Quartò, quia caput eius est Christus, qui est sanctus sanctorum. Addit Caluinus §. 17. vocari sanctam, quia quotidie proficit in sanctitate, & ad metam sanctitatis adspirat.

6. Dicitur Sponsa Christi, quia Christus indissolubili vinculo eam sibi sociauit, ut docet Apost. Ad Eph. 5.31.

& 32.

& 32. Habet autem tria priuilegia. *Primum est*, quod sit fæcunda. *Alterum*, quod semper virgo. *Terium*, quod ex latere sponsi progenita. Hæc tria simul sumpta, nulli vñquam sponsæ obtigerunt. Maria Iosephi sponsa fuit quidem fæcunda, & semper virgo; non tamen ex latere sui Sponsi. Eua è contrario, fuit ex latere Adami, & fæcunda; non tamen semper virgo. At Christi sponsa simul omnia nacta est. Ac primo, quod fæcunda sit, patet ex illo Gal. 4. 31. *Non sumus Ancille filij, sed liberae.* Quod Virgo, ex illo 2. Corint. 11. 2. *Despendi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.* Quod ex latere Christi, colligunt plerique ex illo Ioan. 19. 34. *Vnus militum lancea latuus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua.*

7 Dicitur *domus Dei*, quia tametsi Deus vbique sit, vt ipse met fatetur apud Ierem. cap. 23. 24. *cælum & terram ego impleo*; tamen peculiari modo dicitur habitare in Ecclesia, tanquam in domo sua, per singularem assistentiam, gubernationem, & distributionem donorū ac charismatum supernaturaliū. Matth. 28. 20. Hanc domū ipse sibi ædificauit. Matth. 16. 18. In hac habet dispensationem familie suæ. Lucæ 12. 42. In hac gignit filios per Baptismum, instruit & educat per prædicationem, nutrit per Eucharistiam. In hac habet vasa omnis generis, aurea & argentea, lignea & fictilia. 2. Timoth. 2. 20. In hac celebrat coniuicia & facit nuptias filio suo. Matth. 12. 2. Extra hanc non sunt leges, nec miracula, nec Sacra menta, nec sacrificia.

8 Denique dicitur *columna & firmamentum veritatis*: tū, quia est fidia custos veritatis Dei, vt explicat Caluin. §. 10. tū quia non alibi habitat veritas Dei in mundo, nisi in Ecclesia visibili, vt interpretatur Beza 1. Timoth. 3. 15: tum denique, quia ipsa à veritate aberrare non potest, vt exponunt Catholici: Et haec tenus de prima conclusione.

II. CONCLVSION.

In hac visibili, & Catholica Ecclesia, de qua dictum est, sunt omnes illi, qui in Christi fidem, Baptismo initiantur, non solum boni; sed etiam mali; nec solum prædestinati, sed etiam reprobi.

1 **H**anc enim admittit Caluinus §. 7. his verbis: *In hac autem plurimi sunt permixti hypocrita, ambiosi, auari, inuidi, maledici: Et §. 13. Allegant Ecclesiam Christi sanctam esse: verū, ut simul intelligant esse ex bonis & malis permixtam, illam ex ore Christi parabolam audiant, in qua rei comparatur, quo pisces omne genus colliguntur: neq; seliguntur, donec in littore sint expositi.*

2 Consentient Catholici omnes. Augustinus tract. 6. in Ioannem: *Nos fatemur in Ecclesia Catholica e&r bonos & malos esse, sed tanquam grana & paleas. Et serm. 107. de tempore: Habet Ecclesia in se fortis, habet infirmos; habet iustos, habet & iniustos. Et in Ps. 47. Nunc populus Dei censetur omnes, qui portant Sacra menta eius: sed non omnes pertinent ad misericordiam eius. Omnes quippe Sacramentum Baptismi Christi accipientes, Christiani vocantur, sed non omnes dignè illo Sacramento vivunt.*

3 Similia habent alij Patres. Et meritò. Nam vt aduertit ipse Caluinus. Ecclesia Christi in Scripturis comparatur areæ, in qua non tantum triticum, sed etiam paleæ reperiuntur: comparatur sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium congreganti: comparatur conuiuio nuptiali, ad quod boni & mali vocati sunt: comparatur decē virginibus, quarum quinq; prudentes, rotidē fatuæ sunt: comparatur ouili, in quo sunt oves & hœdi: denique comparatur magnæ domui, in qua sunt vasa omnis generis, alia in honoré, alia in cōtumeliam,

III. CON

III. CONCLV SIO.

*Extra hanc visibilem & Catholicam Ecclesiam nemo
potest saluari, aut remissionem peccatorum consequi.*

1 **H**Aec tradit Caluinus. §. 4. his verbis : *Extra eius gremium nulla est speranda peccatorum remissio, nec illa salus. Et §. 20. Misericordia suam Dominus non promisit nisi in sanctorum communione. Et §. 23. Hoc beneficium (nempe remissio peccatorum) sic est Ecclesia proprium, ut non aliter eo fruamur, quam si permaneamus in illius communione. Et ibidem: Proinde unusquisque nostrum hoc officij sui esse cogite, non alibi querere remissionem peccatorum, quam ubi Dominus eam posuit: nempe in Ecclesia visibili.*

2 Idem docent Catholici. Cyprianus de unitate Ecclesiae: *Non habet Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem.* Greg. lib. 14. Moral. cap. 2. *Sancta universalis Ecclesia prædicat saluari veraciter nisi in ira se, non posse; afferens, quod omnes, qui extra ipsam sunt, minime saluabuntur.* August. epist. 50. ad Bonifacium Comitem sub finem; *Ecclesia Catholica sola corpus Christi est, cuius ille Salvator est. Extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus S.* Et ser. 181. de tempore; *Quisquis ille est, & qualiscunq[ue] ille est, Christianus non est. qui in Christi Ecclesia non est.*

3 Eius rei variæ assignantur causæ ab Augustino. 1. quia in sola Ecclesia immolatur hostia Redemptoris. 2. in sola vinea laborantes, mercedem denarij accipiunt. 3. omnes qui extra Arcam fuerunt, diluvio extinti sunt. 4. membrum quod non manet in corpore, vitam habere non potest. 5. ramus præcisus ab arbore, non potest germinare. 6. rizus à fonte separatus arescit. *Hæc & similia Augustinus serm. 181. de tempore.*

4 Eodem spectat vaticinium illud Isaiae 60. 11. *Aperte-
O 2 rientur*

rientur portæ tue iugiter; die ac nocte non cludentur, ut adserantur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur. Gens enim & regnum quod non seruerit tibi peribit. Quibus verbis duo prædicuntur. Alterum, Ecclesiam Christi fore visibilem, quæ pateat omnibus gentibus, si velint intrare. Alterum, omnes perituros, qui eam ingressi non fuerint.

IV. CONCLVSIO.

Qui hanc visibilem & Catholicam Ecclesiam deserunt, desertores sunt Religionis, & transfugæ, & sacri coniugij violatores.

¶ **T**ta Caluinus §. 10. cum ait; Tanti Ecclesia sua communionem facit Dominus, ut pro transfuga & desertore Religionis habeat, quicunque se à Christiana societate contumaciter alienarit. Et infra; Vnde sequitur, discessionem ab Ecclesia Dei & Christi abnegationem esse; quo magis à tam scelerato dissidio cauendum est. Et iterum; Nec ullum atrocius fangi crimini potest, quam sacrilega perfidia violare coniugium quod nobiscum unigenitus Dei filius contrahere dignatus est.

2 Similia habet Augustinus lib. de fide & operibus cap. 5. & l. 2. contra Cresconium cap. 34. vbi docet, Ecclesiam visibilem, etiamsi multi mali in ea sint, nullo modo deserendam aut diuidendam esse. Et inter cetera citat illud ex Cypriano; *Etsi videntur in Ecclesia esse Zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra, ut quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus.* Nobis tantummodo laborandum est, ut frumentum esse possimus, ut cum cœperit frumentū Dominicis horreis conditum, fructum pro opere nostro & labore capiamus. Apostolus in Ecclesia sua dicit: *In domo magna non solum vasā sunt aurea & argentea, sed & lignea & fictilia;* & quadam quidem

dem honorata, quædam inhonorata. Nos operam demus, ut vas aureum & argenteum simus.

3 Et ratio patet ex dictis; quia extra Ecclesiam nemo potest saluari. Ergo qui sponte deserit Ecclesiam; nullam salutis spem habere potest. Est enim similis membro quod à corpore abscessum est; aut palmiti à vite præciso; aut quiculæ extra ouile inter lupos aberranti; aut iis, qui extra Arcam aquarum diluvio rapiuntur.

V. CONCLV S I O.

*Hæc visibilis Christi Ecclesia non potest esse sine Pastori-
bus, Episcopis, Doctoribus aliisque Ministris legiti-
mè vocatis & ordinatis.*

1 Ta Calu. §. 11, vbi ait, *Nunc eadem improbitate incum-
bit satan ad labefactandum Ministerium, quod tamen
in Ecclesia Christus ordinavit, ut illo sublato huius ædificatio
pereat.* Et cap. 3. §. 4. sequuntur *Pastores & Doctores, quibus
carere nunquam potest Ecclesia.* Eodem modo loquuntur Patres Hieronymus libro contra Luciferianos; *Ecclesia
non est, que non habet Sacerdotes.* Et Cyprianus libro 4. epि-
stola 9. *Scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam
in Episcopo; & si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse.* Et ibidem: *Ecclesia est plebs Sacerdotii adunata: & Pastorii sug-
grex adhaerens.*

3 Et ratio triplex est. Prima, quia Ecclesia non po-
test esse sine fide: Fides autem ex auditu. Roman. 10. 14,
Quomodo inuocabunt; in quem non crediderunt? aut quomodo
credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine
predicante? quomodo verò prædicabunt, nisi missantur? Altera,
quia Ecclesia non est sine Sacramentis, quorum dispé-
latio pertinet ad Episcopos & Pastores. Tertia, quia in

Republica debet esse ordo, ut alij gubernent, alij obediunt: Ergo similiter in Ecclesia alij debent esse oues; alij Pastores. Hinc illud Actorum 20.28. *Attendite vobis, & uniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Et Ephes. 4. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in adificationem corporis Christi.* In quæ verba sic scribit Beza, Caluini discipulus; *Ex quibus satis perspicitur, hæc duo munera nempe Pastorum & Doctorum perpetua esse oportere in Ecclesia Dei.*

VI. CONCLVSION.

Hæc visibilis Ecclesia, tam firmiter à Christo fundata est, ut non possit deficere, aut perire.

1 **H**anc Caluinus negare non potest, quia evidenter sequitur ex illius principiis. Hoc ostendo his argumentis. Primo, nemo potest saluari extra visibilem Ecclesiam, iuxta tertiam conclusionem à Caluino concessam: Atqui semper aliqui saluantur: Ergo semper durat Ecclesia visibilis. Secundo, Christus coniunxit sibi Ecclesiam visibilem, tanquam Sponsam, indissolubili vinculo, iuxta primam conclusionem: Ergo Ecclesia à Christo separari aut diuelli non potest. Tertio est articulus fidei, dari Ecclesiam visibilem, iuxta eandem conclusionem: Atqui Articuli fidei semper sunt veri, ergo semper verum est, dari Ecclesiam visibilem. Hæc ex Caluino.

2 Accedit argumentum ex Scriptura; præsertim ex illo Matth. 16. 18. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Hic Christus duo promittit. 1. quod velit Ecclesiam suam ædfi

ædificare super petram. 2. quod portæ inferi non sint eam expugnaturæ. In vtroq; alludit ad id quod Matth. 7.24.dixerat ; sapientem esse , qui ædificat domum super petram, stultum, qui super arenam. Causam addit, quia quando oritur aliqua vehementior tempestas, corruit illa, quæ super arenam; non illa , quæ super petram fundata est. Christus ergo voluit imitari sapientem architectum , & ædificare Ecclesiam suam supra petram , ut nulla ventorum aut imbrium vi possit disturbari.

3 Hinc patet, eos, qui docent Ecclesiam Christi visibilem defecisse, aut deficere posse , magnam iniuriant Christo irrogare. Nam inde aperte sequitur, cum non super petram , sed super arenam ædificasse , ac proinde stultos, non sapientes architectos imitatu esse. Imò inedacem esse, quod promiserit, se super petram ædificatum; & non fecerit: quod dixerit portas inferi non præualituras, & præualuerint. Nec obiici potest, Christum loqui de Ecclesia inuisibili. Aperte loquitur de visibili, ut facetur Beza in illum locum, &c alij passim.

4 Idem confirmari potest ex illo Psal. 47. 9. *Dens fundauit eam in eternum, in quem locum Augustinus ita scribit; Sed forte ista ciuitas (loquitur de Ecclesia) quæ mundum tenuit, aliquando evenerit?* Absit, Deus fundauit eam in eternum. Si ergo Deus fundauit eam in eternum, quid times ne cadat firmamentum? Et in Psal. 101. concione 2. disputans contra Donatistas, qui totam Ecclesiam visibilem periisse dicebant, & in solis quibusdam iustis in Africa remansisse, sic ait; *Sed illa Ecclesia, quæ fuit omnium gentium, iam non est, periret. Hoc dicunt qui in illa non sunt. O impudenterem vocem. Illa non est, quia tu in illa non es?* Vide, ne in ideo non sis. Et infra; Ecclesiam ita loquentem introducit. *Quandiu ero in isto sæculo annuncia mihi propriez illos qui dicunt; Fuit & iam non est; apostatanit, & perit Ecclesia de*

omnibus gentibus: Et annunciauit; Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem seculi.

VII. CONCLUSIO.

Ecclesia Romana, primis quingentis annis post Christum, fuit illa visibilis & Catholica Ecclesia Christi, de qua hactenus dictum est.

1. **H**Æc Conclusio potest dupliciter intelligi. Primum, quod Ecclesia Romana, id est, sola illa Ecclesia, quæ erat Romæ, fuerit Catholica & vniuersalis. Hoc falsum est, & falsò nobis imponitur à quibusdam aduersariis. Secundò, quod Ecclesia Romana, id est, tota illa fidelium multitudo, quæ Romano Pontifici tunc adhærebat, fuerit Catholica & vniuersalis Ecclesia. Hoc verum est, & fatetur Calu. cum ait; *Romanæ Ecclesiam fuisse matrem omnium Ecclesiarum*: quia scilicet omnes particulares Christi Ecclesiæ, quæ tunc per orbem dispersæ erant, adhærebant Romanæ Ecclesiæ, seu Romano Pontifici.

2. Hoc sensu antiqui Patres pro eodem accipiunt Ecclesiam Romanam, & Ecclesiam Catholicam: ut D. Hiero. contra Rufinum apolog. i. circa initium, Ambr. de obitu Satyri fratris, & alij. Imò, cum volunt recensere & pertexere catalogum Episcoporum, qui in Ecclesia Catholica & Apostolica legitimè sibi inuicem successerunt: semper loquuntut de Ecclesia Romana & de successione Pontificum Romanorum, ut patet ex Irenæo, Optato, Augustino, Epiphanio, & Eusebio Cæsariensi. Hi enim cum ipsimet essent Episcopi, Irenæus Lugduni in Gallia, Optatus & August. in Africa, Epiphanius Salaminæ in Cypro, Eusebius Cæsaræ in Palestina: non tamen recensuerunt successionem suarum

particularium Ecclesiarum, sed tantum Ecclesiæ Romanae, cui tanquam matri, reliquæ particulares adhærebant.

3 Hoc ipsum dupliciter confirmari potest. Primo, quia post primos quingentos annos floruit Gregorius Papa, cui tanquam capiti, totus Christianus orbis coniunctus erat, ut patet ex ipsius epistolis, quas ad omnes prouincias, præsertim ad Episcopos Orientis, Africæ, Hispaniæ, Galliæ & Italiæ destinauit. Secundo, quia post obitum Gregorij celebratum est Concilium sextū generale, quod aduersarij ut Sacrosanctum recipiunt, ut patet tum ex aliis, tum ex confessione Tigurinorum, & ex Centuriis Magdeburgensium. Ex eo autem Concilio manifestè colligitur, totum Orientem & Occidentem eo tempore cum Romano Pontifice Agathone, tanquam membra cum suo capite conspirasse. Nam eius sententiam, quam per Legatos & epistolas ipsis explicabat, omnes secuti sunt, ut etiam prolixè describunt Magdeburgenses cent. 7. c. 9.

4 Habemus ergo Ecclesiam Catholicam, primis quingentis annis, fuisse illam ipsam fidelium multitudinem toto orbe dispersam, quæ Romano Pontifici in doctrina fidei adhærebat. Nunc videndum est, an interea temporis in hac re aliquid mutatum sit.

VIII. CONCLVSIO.

Ecclesia Romana nunquam hæc tenus defecit ab eo statu, in quo fuit primis quingentis annis; ac proinde, sicut tunc erat verè Catholica, & Apostolica, ita etiam nunc est.

¶ **H**æc Conclusio dupliciter probari potest; Primo directè in hunc modum; Ecclesia Romana

retinet nunc eandem doctrinam fidei, & successionem Episcoporum, quam habuit primis quingentis annis. Ergo non defecit ab eo statu, in quo tunc fuit. Secundo, indirecte, ad hunc modum; Visibilis Christi Ecclesia; & legitima successio Episcoporum non potest deficere in terris, ut supra ex Caluino probatum est: Ergo necesse est, nunc esse, & haec tenus fuisse visibilem Christi Ecclesiam in terris, cum legitima successione Episcoporum, quae in doctrina consentiat, aut consenserit cum primitiua Ecclesia, quae fuit primis quingentis annis: At nulla alia praeter Romanam Ecclesiam nunc est, aut haec tenus fuit, quae habeat aut habuerit legitimam successionem Episcoporum; & consentiat aut consenserit cum primitiua Ecclesia in doctrina fidei: Ergo Romana Ecclesia nunc est, & semper fuit visibilis Christi Ecclesia in terris. Vtrumque argumentum explicandum est.

Explicatio prioris argumenti.

¶ Rius argumentum continet duas partes; unam de doctrina fidei, alteram de successione Episcoporum. Aduersarij concedunt in Ecclesia Romana manere successionem Episcoporum; quia vident id negari non posse: negant manere eandem doctrinam fidei, quae fuit primis quingentis annis. Hoc ergo demonstrandum est. Non potest autem certius demonstrari, quam ex collatione veteris doctrinæ cum nostrate; quod sic facio.

¶ Quidquid Ecclesia Romana nunc docet de præcipuis mysteriis fidei; nempe præsentia Christi in Eucharistia, de necessitate Baptisimi infantium, de sacrificio Missæ, de iustificatione, de necessitate & merito bonorum operum, de invocatione Sanctorum de cœlibatu Sacerdotum, & iejunio & satisfactione, de traditionibus, hoc olim docuit primitiua Ecclesia, quæ floruit primis

primis quingentis annis: Ergo Romana Ecclesia non deficit à primitiua in doctrina fidei. Antecedēs dupliciter probari potest. 1. Inductione per singula membra enumerata. 2. Concessione Caluini. Vtrumque præstabo in sequentibus.

Explicatio posterioris argumenti.

4 **P**osterius argumentum habet varias partes; quam
rum duæ tantum indigent probatione. *Vna est*,
hoc tempore nullam esse in terris visibilem Ecclesiam,
præter Romanam, quæ habeat legitimam successio-
nem Episcoporum, & conspiret in doctrina fidei cum
Ecclesia primitiua, quæ fuit primis quingentis annis.
Alteria est, nec per mille annos à tempore Gregorij Pa-
pæ usque ad Lutherum, fuisse talem Ecclesiam, præter
Romanam.

5 *Priorem* partem sic probo: Si nunc esset talis Eccle-
sia in terris, præter Romanam, proculdubio esset Cal-
uinistica, at hæc non est: Ergo nulla est præter Roma-
nam. Maiorem libenter concedunt Calvinistæ, contra
quos disporto. Minorem probo dupliciter. Primò, quia
Ecclesia Calvinistica, quæ nunc est, neque habet ullos
legitimos Sacerdotes aut Episcopos: aut, si quos ha-
bet, non potest eorum successionem deducere ultra
tempora Lutheri: Ergo deficit in continua Episcopo-
rum successione: Vera autem Ecclesia debet habere
continuam & non interruptam Episcoporum suc-
cessionem, ut supra ex Caluino probatum est. Secundò,
quia Ecclesia Calvinistica non consentit in doctrina
fidei cum primitiua Ecclesia, quæ fuit primis quin-
gentis annis. Hoc iterum dupliciter ostendo. Pri-
mo, ex Concessione Caluini. Nam ipse aperte fatetur
se dissentire ab antiqua Ecclesia in his punctis sequen-
tibus.

- 1 De libero arbitrio. lib.2. inst.c.2. §.4.
- 2 De cooperatione liberi arbitrij cum gratia Dei lib. 2.c.3. §.7.
- 3 De iustificatione lib.3.c.11. §.15. *Nec Augustini quidem sententia recipienda est, &c.*
- 4 De persona Mediatoris, lib.2.c.14. §.3. *Atque hic excusari non potest veterum error, &c.*
- 5 De concupiscentia, lib.3.c.3. §.10. *Nec opus est mulier inuestigando laborare, quid hic veteres senserint.*
- 6 De satisfactione lib.3.c.4. §.38. *Parum autem me mouent, quæ in veterum scriptis de satisfactione passim occurunt.*
- 7 De oratione pro defunctis lib.3.c.5. §.10. *Cum mihi obiciunt aduersarij, ante mille & trecentos annos usu receptum fuisse, ut precationes fierent pro defunctis, &c.*
- 8 De merito lib.3.c.15. §.2. *Usi sunt, fateor, passim vetusta Ecclesia sc. ipso nomine meriti, &c.*
- 9 De traditionibus lib.4.c.12. §.23. *Hac prohibitio clare ostendit, quām pestiferæ sint omnes traditiones.*
- 10 De solenni pœnitentia lib.4.c.12. §.8. *Qua in parte excusari nullo modo potest immoda veterum austerioritas.*
- 11 De quadragesima lib.4. c.12. §.20. *Tunc passim inuulnerat supersticio quadragesimæ observatio, &c.*
- 12 De laicis Baptizantibus in necessitate. lib.4. cap.15. §.20. *Quod autem multis ab hinc saeculis, adeoque ab ipsa fere Ecclesia exordio, usu receptum fuit, ut in periculo mortis laici Baptizarent, non video, quam firma ratione defendi queat.*
- 13 Ostendi ex concessione Caluini, Ecclesiam Calvinisticam in doctrina dissentire ab Ecclesia primitiua. Idem nunc ostendam hac breui inductione.

Caluinistæ docent

- 1 **D**eum esse authorem peccati, Caluinus lib.1.instit.c.18. §.3. *Et iam satis aperte ostendi, Deum vocari*

erum omnium authorem, quæ isti censores volunt eius otioso
tanum permisso contingere. Et §.4. homo iusto Dei impulsu
agit, quod sibi non licet. Et §.1. Absalon incesto costitu patris tho-
rum polluens, detestabile scelus perpetravit; Deus tamen hoc opus
suum esse pronunciat. Et ibidem. Quidquid agitent homines,
vel satan ipse; Deus tamen clavum tenet. Et §.2. Dicitur sa-
tan excacare infidelium mentes; sed unde hoc, nisi quod à Dco
ipso manat efficacia erroris? Et lib.3.c.43.§.9. Excusabiles pec-
cando haberi volunt reprobi, quia evadere nequeunt peccandi
necessitatem, præsentim cum ex Dei ordinatione sibi iniiciatur
huiusmodi necessitas.

2 Deum solo suo arbitratu prædestinare homines ad
æternam mortem, sineulla ipsorum culpa. Calvin. lib.
3.c.21.§.1. Palam est Dei nutu fieri, ut aliis ultra offeratur
salus; alijs ab eius aditu arcantur. Et infra. Perplexa ut multis
videtur, quæstio quia nihil minus consentaneum putant, quam
ex communi hominum turba, alios ad salutem, alios ad interi-
tum prædestinari. Et §.5. Prædestinationem vocamus æternum
Dei decretum, quo apud se constitutum habuit, quid de uno-
quoque homine fieri vellet. Non enim pari conditione creantur
omnes: sed aliis vita eterna, aliis damnatio eterna præordina-
tur. Itaque prout in alterutrum finem quisque conditus est, ita
vel ad vitam, vel ad mortem prædestinatum dicimus. Et §.7.
Ubicunque vero regnat hoc Dei placitum, nulla in considera-
tionem veniunt opera. Et c.23.§.1. Minime consentaneum est,
præparationem ad interitum alio transferre, quam ad arcanum
consilium Dei. Et §.2. Homines nudo Dei arbitrio, citra pro-
prium meritum, in æternam mortem prædestinantur. Et §.5.
Dico esse à Domino creatos quos in exitium iuros sine dubitati-
one præsciebat, idque ita factum; quia sic voluit.

3 Corpus Christi non esse in Eucharistia, sed tan-
tum in cœlo. Calvinus in confessione cum Tigurinis
in re Sacramentaria; Tollenda est qualibet præsentia localis
imaginatio. Nam cum signa hic in mundo sint, oculis cernan-
tur,

sur, palpantur manibus; Christus quatenus homo est, non alibi, quam in cœlo, nec aliter quam mente, & fidei intelligentia querendus est. Quare peruersa & impia superstitione est, ipsum sub elementis huius includere. Proinde, qui in solennibus cœne verbis, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, præcisè litteralem, ut loquuntur, sensum urgunt, eos tanquam præposteros interpretes repudiamus. Nam extra controvèrsiam ponimus figuratè accipienda esse, ut esse panis & vinum dicantur id quod significant, Neque verò nouum hoc aut insolens videri debet, ut per metonymiam ad signum transferatur rei figuratæ nomen, cum passim in scripturis eiusmodi locutiones occurrant: & nos sic loquendo nihil afferimus, quod non apud vetustissimos quoque & probatissimos Ecclesie scriptores extet. Et infra: *Quia Corpus Christi finitum est, & cœlo, ut loco, continetur: necessè est a nobis tāto locorū interuallo distare, quanto cœlū abest à terra.*

4 Baptismum non esse infantibus fidelium necessariū ad salutem; eo quod huiusmodi infantes ab utero materno sint sancti, & hæredes vitæ æternæ, vi promissionis illius, Gen. 17.7. *Ero Deus tuus & seminis tui post te.* Cal. in Andidoto Concil. Trid. sess. 6. c. 5. Verum infantes à regno Dei arcere libuit, qui ante erepti sunt ex hac vita, quam offerri ad Baptismum potuerint. Quasi verò de nihilo dictum sit, eos nasci sanctos, qui ex fidelibus nascuntur? Nisi enim iam ante ad eos perineret viæ promissio, Baptismum profanaret, quisquis illis daret. Quod si Deus in regnum suum eos adoptauit, quanto iniuria fit promissioni, quasi per se ad eorum salutem non sufficiat? Inualuit contraria opinio, fateor: sed iniquum est hominum errore, quamvis diurno, obrui Dei veritatem. Inclusa est infantium salus in promissione, qua Deus fidelibus testatur, se fore illis & semini eorum in Deum. Hac ratione sibi nasci pronunciabat, qui ex Abraham ducebant originem. Non à Baptismo igitur initium habet eorum salus, sed quæ iam in verbo fundata erat, Baptismo ob-signatur.

5 Peccatum originale non tolli per Baptismum, sed in

in nobis manere quamdiu viuimus. Cal.lib.2.inst. c. 1.
§.8. Hæc peruersitas nunquā in nobis cessat. Et lib.4.c.15. §.10.
Iam perspicuum est , quam falsum sit per Baptismum solus
nos , & eximi ab originali peccato. Et in antidoto Concil.
Trid.sess.5. Manet verè peccatum in nobis , neque per Ba-
ptismum extinguitur.

6 Solam fidem iustificare , & sufficere ad salutem. Cal.
lib.3.inst. c.11. §.18. Dicimus hominem sola fide iustificari.
Et infra; An non satis solidè soli fidei tribuit omnia , quæ ope-
ribus adiunxit ? Et in antidoto Concil. Trid.sess.6. can.ii.
Vim iustificandi ac facultatem fidei in solidum vindicamus. Et
ibidei can. 20. Sciendum est , à mandatorum obseruatione
nequaquam pendere salutis fiduciam. Stat enim semper illud
Pauli,in eo differre à lege Euangelium , quia non sub conditio-
ne operum , sicut illa , sed ex fide vitam promittat.

7 Omnia opera iustorum esse inquinamēta & pecca-
ta mortalia. Cal.lib.3.inst.c.12. §.4. Omnia hominum opera
nihil sunt , nisi inquinamenta & sordes , & qua iustitia vulgo
habetur , ea apud Deum mera est iniquitas. Et c.14. §.9. Habe-
mus , ne vnum à sanctis exire opus , quod si in se censeatur , non
mereatur iustum opprobrii mercedem. Et §.11. Duobus his for-
titer insistendum , nullum unquam extitisse pīj hominis opus ,
quod si se uero Dei iudicio examinetur , non esset damnable. Ad
hec si tale aliquod detur (quod possibile homini non est) peccatis
tamen , quibus laborare authorem ipsum certum est , vitiatum ac
inquinalium , gratiam perdere. Et c.15. §.3. Nihil ab homine
exit , quantumvis perfecto , quod non sit aliqua macula inquinans.

8 Legem Dei esse impossibilem , nec ab ullo quan-
tumvis sancto , haec tenus seruatain esse , aut deinceps ser-
uandā. Cal.li.2.inst.c.7. §.5. Quod autem impossibilem legis
obseruationem diximus , id est paucis verbis explicandum , simul
& confirmandum. Et in antidoto Concil. Trid.sess.6.cap.
12. Mibi abundè sufficit , neminem extitisse unquam , qui le-
gi Dei satisficerit : nec ullum posse inueniri. Et infra Prophetas

& Patriarchas, & pios Reges, utcunque Dei spiritu adiumentur, ferendo legis iugo pares fuisse legis, observationem.

9 Fidem ac sanctitatem esse propriam electorum, & semel habitam amitti non posse. Caluin.lib.3.c.2.§.11.
Ergo, ut solos electos semine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, ut nunquam dispereat semen vita eorum cordibus insitum: ita solidè illis obsignat adoptionis sue gratiam, ut stabilis ac rata sit. Et §.12. Hoc interim tenendum est, quia in tumulis exigua sit ac debilis in electis fides, quia tamen Spiritus Dei certa illis arrha est ac sigillum sue adoptionis; nunquam ex eorum cordibus deleri posse eius sculpturam. Et c.2.§.6. Iam neque dubium est, cum orat Christus pro omnibus electis, quin idem illis precetur, quod Petro, ut nunquam deficiat fides illorum. Ex quo elicimus, extra periculum defectionis esse.

10 Deum vocare, quidem reprobos ad fidem, sed voce tantum externa; non autem per internam gratiam, neque serio, & animo iuuandi; sed simulacrum, & animo nocendi. Caluinus lib.3.inst. c.24.§.13. Vocem ad eos dirigit, sed ut magis obsurdescant: lumen accendit, sed ut reddantur caciore: doctrinam profert, sed qua magis obtupescant, remedium adhibet, sed ne sancentur.

11 Hæc & similia docent Calvinistæ. At nihil tale docuit Ecclesia primitua, primis quingentis annis. Imò, in omnibus contrarium asseruit, ut patet ex subiecta inductione.

Primitua Ecclesia docuit

D Eum non esse authorem peccati. Chrys. hom. 23. in acta Apostolorum; Nullus dicat: *Deus nobis autor malorum est.* Et infra, Satius fuerit sexcenties defodi, quam Deum audire talia per nos. Aug. lib.2. de peccatorum meritis c.17. Nullius culpa humana in Deum referas causam. Prosper in respōsione ad capitula Gallorū c.14. Bonorum

Deus

Deus author est, non malorum. Fulgent. li. 1. ad Monimum c. 19. Deus non est visor, cuius est author.

2 Deum non prædestinare quenquam ad mortem, nisi propter peccata. Aug. lib. 3. contra tulianum cap. 18. *Bonus est Deus, iustus est Deus: potest sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest sine malis meritis damnare, quia iustus est.* Et ad articulos falsos sibi impositos, art. 2. *Vt nascatur homines, est beneficium; ut autem pereant prævaricatoris est vitium.* Tertull. in lib. de resurrectione carnis; *Deus de suo optimus; de nos: o iustus.* Fulgentius lib. 1. ad Monimum c. 26. *Notum est, iram Dei dici non posse, nisi ubi creditur hominis iniquitas praecessisse.*

3 Corpus & sanguinem Christi esse verè in Eucaristia. Hilarius lib. 8. de Trinit. *De veritate carnis & sanguinis non est relatus ambigendi locus.* Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. *Cum Christus ipse sic affirmet, & dicat de pane, hoc est corpus meum; quis deinceps audeat dubitare?* Et ibidem; *Sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur sanguis.* Et infra. *Hoc pro certissimo habens panem hunc qui videtur à nobis, non esse panem, etiam si gustu panem esse sentiat; sed esse corpus Christi.* Ambros. lib. 4. de Sacramentis cap. 4. *Vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Et lib. de mysteriis initiandis cap. 9. *Fortè dicas, aliud video quomodo tu mihi asseris, quod Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest, ut probemus, &c.*

4 Baptismum esse infantibus necessarium ad salutem August. lib. 3. de anima & eius origine c. 9. *Noli credere, noli dicere, noli docere infantes, antequam baptizentur, morte præuentos, peruenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* Et epistola 28. ad Hieronymū. *Quis quis dixerit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramento eius participatione de vita excent, hic profectò totam condemnat Ecclesiam.* Audeant hoc Calvinistæ.

5 Peccatum originale tolli per Baptismum August. Concion. 1. in Ps. 115. Sicut Aegyptios in mari obrutus, ita in Baptismo delicta nostra demersa & extincta, luce clariss intimat Propheta dicens; Proscicet in profundum maris omnia peccata nostra. Ambros. lib. 2. de Sacram. cap. 4. Merito aqua dulcis est, in qua cuiuspa deuoratur, Lactantius lib. 3. c. 26. Vno lauacro malitia omnis abolebitur.

6 Fidem sine operibus & obseruatione mandatorum non sufficere ad salutem. Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum; Gratia saluamur; sed non absque bonis operibus. Nazianzen. orat. in sanctum lauacrum, operare bonum, quia fides sine operibus mortua est. Chrysost. homilia 3. in Ioannem; Nunquid satis est ad vitam aeternam, in fidem credere? minimè. Hieronymus in cap. 26. Isaiæ; Murus & antemurale ponetur in ea. Murus bonorum operum, & antemurale fidei. Non enim sufficit, murum habere fidei, nisi ipsa fides bonis operibus confirmetur. Aug. in lib. de fide & operibus c. 14. Iam illud videamus, quod excuiendum est à cordibus religiosis, ne mala securitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam sufficere solam fidem putauerint, &c.

7 Opera iustorum esse apud Deum meritaria. Aug. Ser. 162. de tempore; Deus pro meritis fidei atque bonorum operum dabit suis fidelibus regnum celorum. Basil. orat. in initia Prouerbiorum; Omnes qui viam Euagelicam incedimus, mercatores sumus, per opera mandatorum, nobis possessionem coelestium comparantes.

8 Legem Dei non esse impossibilem. Basilius orat. in illud, Attende tibi, Impium est dicere impossibilia esse praecpta. Chrysost. homil. 8. de poenitentia; Nequaquam Dominum accuses, haud mandat impossibilia. Hieron. lib. 3. contra Pelagianos; Deus possibilia mandauit; hoc nulli dubium est. August. libro de natura & gratia c. 43. Non igitur Deus impossibilia iubet.

9 Fidem & sanctitatem semel habitam amitti posse, nec

nec esse propriam electorū. August. in lib. de correptione & gratia c. 13. Credendum est, quosdam de filiis perditionis non accepto dono perseverantie usque in finem, in fide, qua per dilectionem operatur, incipere vivere, & aliquando fideliter ac inste vivere, & postea cadere.

10 Deum per internam gratiam omnes vocare ad fidem, etiam reprobos, & quererere illorum salutem, quantum in se est. Ambros. serm. 8. in Psal. 118. Sol iustitia omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus surrexit. Si quis autem non credit in Christum generali beneficio ipse se fraudat, ut si quis clausis fenestrarum radios solis excludat. Chrysost. hom. 7. in Ieremiam; Illuminat omnem hominem, quantum in ipso est. Si quis autem sponte sua, mentis oculis connuentibus, ad huius lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura, sed ex sua malitia, in tenebris persistenterunt.

11 Vides, opinor, aliud Caluinisticam, aliud primitiua Ecclesiam docere in rebus fidei. Fatetur hoc Calvinus; & manifestè apparet ex iis paucis, quæ allata sunt. Vnde concludo, quod probandum erat. Ecclesiam Caluinisticam hoc tempore non esse veram Christi Ecclesiam, eo quod dissentiat à primitiua Ecclesia, quam constat fuisse veram Catholicam, & Apostolicam. Romana igitur Catholica est.

12 Hactenus de priori parte, Posterior est, per mille annos à Gregorio Papa usque ad Lutherum, non fuisse Ecclesiam visibilem, praeter Romanam, quæ habuerit legitimam successionem Episcoporum, & consenserit cum Ecclesia primitiua in doctrina fidei. Hęc non indiget probatione, quia Calvinistæ non possunt ullam talēm Ecclesiam, praeter Romanam assignare. Aut si putant se posse dicant quælo, qui fuerint Doctores illius Ecclesiæ? qui Episcopi & Pastores? qui martyres? qui Reges & Imperatores illi adhaeserint? qui heretici ab

illa electi? quæ Academiæ ab illa confirmata? quæ templa ædificata? Ad nihil horum respondere possunt aliud quam se ignorare.

10. Sed vigeo. Si istis mille annis fuit aliqua Ecclesia visibilis, vel fuit cognita hominibus, vel incognita. Si cognita, nominate Doctores & Episcopos illius; nomine prouinciam, ciuitatem, castellum, in quo fuit. Si incognita, vnde vobis de illa constat? quis vobis reuelauit? Nemo vestrum vixit illis temporibus. Qui autem tunc vixerunt, illis incognita fuit, ut dicitis. Vnde ergo habetis, eam fuisse? Hic heretis. Et ego sisto; donec respondeatis. Interim conciudo, neque iam esse, neque haecenus fuisse Ecclesiam ullam visibilem in terris, praeter Romanam, quæ cum primitua in rebus fidei consenserit, & legitimam Episcoporum successionem habuerit.

DE TRIPLO COENA
CALVINISTICA CATHO-
LICA LUTHERANA.
OPUSCULVM V.

TOTA controvèrsia de Cœna Eucharistica potest generitim reuocari ad hæc capita. 1. An Christus sit verè præsens in Eucharistia? 2. An fiat præsens per transsubstantiationem, id est; per conversionem substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi; an alio modo? 3. quādiu maneat ibi præsens; an eo solum tempore, quo sumitur & manducatur, an etiam extra sumptionem & manductionem, toto illo tempore, quo durant species sacramentales? 4. An totus

totus Christus sit ibi præsens secundum carnem, sanguinem, animam rationalem, & diuinitatem? 5. An dum ibi præsens est, possit ac debeat adorari?

2 In his capitibus præcipua disceptatio est; omissa quæstione de communione sub utraq; specie, quæ peculiarem tractationem requirit. In primo capite dissentient à nobis Calvinistæ, in secundo Lutherani. Illi negant Christum præsentem esse in Eucharistia. Hi fatentur quidem præsentem esse, non tamen p. transubstantiationem, sed alio modo. Contra utroque disputandum est. Primò, contra Calvinistas, de præsentia Christi in Eucharistia. Secundò, contra Lutheranos, de Transubstantiatione. Tertiò explicabitur sententia Catholicorum, non solum de illis duobus, sed etiam de aliis capitibus, quæ paulò ante proposita sunt.

De Cœna Calvinistica, seu de præsentia Christi in Eucharistia.

INcipiam à Calvinistis. In iis refutandis hic ordo seruabitur. 1. explicabo statum quæstionis de præsentia Christi in Eucharistia. 2. ostendam, Calvinistas negare præsentiam Christi. 3. Calvinistas iugulare seipso. 4. Non intelligere, quid dicant. 5. Scripturam corrumpere. 6. Repugnare Patribus. 7. Diuinis miraculis confutari. 8. Nullo fundamento subnixos esse. 9. Merito suspectos esse debere.

C A P V T I.

Status Quæstionis de Præsentia Christi in Eucharistia.

Potest aliquid. 4. modis esse præsens alicubi. Primò, per signum, figuram, vel imaginem sui, quo pacto

Imperator est præsens in effigie, quæ illum repræsentat. Secundò, per apprehensionem; quo pacto amicus amico præsens est, quando de illo re ipsa cogitat. Tertiò, per effectum vel operationem, quo pacto sol est nobis præsens per lumen & calorem, quem in terris producit. Quartò, per seipsum, quo pacto sol est præsens in cœlo.

2 Hoc posito, certum est apud omnes, tam Catholicos, quam aduersarios, Christum præsentem esse tribus prioribus modis in legitimo usu Eucharistiae. Primò, quia per externas species panis & vini, tanquam per signa quædam diuinitus instituta, Christi caro & sanguis repræsentantur, Secundò, quia ex illa repræsentatione, Christum fide apprehendimus. Tertiò, quia per illa signa operatur in nobis effectū gratiæ & refectio-nis spiritualis. Est igitur præsens repræsentatiōne, obiectiuē, & effectiuē seu virtualiter. Iisdem modis fuit præsens in sacramentis & sacrificiis antiquis legis. Primò, quia illa Christum figurabant. Secundò, quia Iudei per fidem in Christum venturum eredebant. Tertiò, quia per Christi futura merita gratiam consequerantur.

3 Tota difficultas est de quarto modo, an scilicet Christus, non solum per figuram, & per apprehensionem, & per effectum; sed etiam per seipsum sit præsens in Eucharistia? Calvinistæ negant, ut paulò post videbimus. Vnde sequitur, Christum ex illorum sententia non aliter præsentem esse in Eucharistia, quam olim fuerit in sacrificiis Mosaicis, nempe sacramentaliter, obiectiuē & effectiuē, non autem per seipsum, Catholicis plus tribuunt Eucharistiae. Volunt Christum omnibus modis ibi præsentem esse. Hoc in Concilio Tridentino explicant per illas tres particulias, *Verē, realiter, substantialiter*, quasi dicat Christum nō solum secun-

secundum figuram, sed etiam secundum veritatem; neque solùm per apprehensionem, sed etiam re ipsa, neque solum per effectum & operationem, sed etiam per se ipsum & substantiam suam, in Eucharistia præsentem esse.

4 Vnde patet, hunc esse statum quæstionis: An Christus per se ipsum & per substantiam suam sit præsens in Eucharistia, necne? Vel, an verè, realiter & substancialiter sit ibi, necne? Vel an caro & sanguis Christi sit in Eucharistia, & non tantum figura, vel apprehensio, vel operatio carnis & sanguinis? Hæc enim eodem recidūt. Nunc ergo videndum est, quid Caluinistæ de hac resentiant, & quomodo refutari possint.

C A P V T II.

Caluinistæ negant præsentiam Christi in Eucharistia.

1 **H**oc apertè constabit ex tribus illorum propositionibus, quas hic subiungam. Prima est, corpus Christi, non esse alibi, quam in cœlo, ac proinde tanto interuallo distare ab Eucharistia, quanto distat cœlum à terra. Ita Caluinus in consensione de re sacramentaria, ubi in fine sic ait; *Tollenda est qualibet localis præsentie imaginatio. Nam cum signa hic in mundo sint, oculis cernantur, palpantur manibus; Christus, quatenus homo est, non alibi, quam in cœlo querendus est.* Et ibidem; *Quia tamen corpus Christi finitum est, & cœlo ut loco continetur, necesse est, à nobis tanto locorum interuallo distare, quanto cœlum abest à terra.*

2 Altera propositio est, verba illa Christi, *Hoc est corpus meum, non propriè, sed figuratè intelligenda esse,*

ut sensus sit; *Hoc est corpus meum*, id est, *hic panis est signum seu figura corporis mei*. Similiter, *Hic est sanguis meus*, id est, *Hoc vinum est signum seu figura sanguinis mei*. Hæc propositio sequitur ex præcedenti. Nam si corpus Christi nō aībi, quam in cœlo est, nō potest verè ac propriè esse in Eucharistia, sed tantum figuratè; ac proinde verba illa. *Hoc est corpus meum*, non possunt intelligi, quasi corpus Christi verè ac propriè sit præsens in Eucharistia, sed quod ibi sit præsens figura, seu Sacramentum corporis Christi. Ita Caluinus lib.4. Inst. cap. 17. §. 21. Plessæus lib. 4. de Eucharistia cap. 1. & alij Caluinistæ passim. Verba Plessæi sunt hæc; *Panis significat corpus Christi: Panis est signum corporis Christi: Panis est corpus Christi in signo.*

3. *Tertia*, propositio est, corpus Christi, cum tantum sit in cœlo non aliter percipi & manducari à nobis in Eucharistia, quam sola fide; neque opus esse ad hanc manducationem, ut per seipsum præsens sit, & è cœlo ad nos descendat, sed sufficere, ut per fidem nos sibi præsentes faciat in cœlo. Nam per fidem in cœlum ad Christum assurgimus. Ita Caluin.lib.4. Inst.c.17. §. 5. his verbis; *Interim vero, hanc non aliam esse, quam fidei manducationem fatemur, et nulla alia fingi potest*. Et §. 31. *Christus præsens illis non videtur, nisi ad nos descendat*. Quasi vero, si ad se nos euehat (nempe per fidem) non aquæ potiamur eius præsentia. Et infra. *Necesse non est, Christum elicere in terras, ut nobis sit coniunctus*: quia scilicet sola fide sufficiēter nobis coniungitur. Hinc Pless.li.4. de Eucharistia c. 1. disertè fatetur, Christum non aliter manducari & bibi in Eucharistia, quam in Baptismo, aut in verbo Dei, seu Euangeliō, quia non aliter manducatur & bibitur, quam sola fide.

4. In his 3. propositionibus continetur doctrina Caluinistarum, in qua ipsi cum Berengario, Vviclefo &

Zvvinglianis consentiunt ; & à Catholicis discrepant. Catholici sic docent. Primò, Christum non tantum in cœlo, sed etiam in Eucharistia verè, realiter & substantialiter præsentem esse. Secundò, verba illa, *Hoc est corpus meum*, propriè, non figuratè intelligenda esse. Tertiò, non sola fide, sed verè, realiter & substantialiter Christum in Eucharistia manducari.

C A P V T I I I .

Caluinistæ seipsoſ iugulant?

Hoc breuiter ostendam, discurrendo per singulas propositiones iā allatas. Prima est, corpus Christi nō alibi esse, quā in cœlo, ac proinde tāto interuallo distare ab Eucharistia, quanto cœlum abest à terra. Hāc euertit Caluinus lib.4.instit.c.17.§.10.his verbis ; *Omnino isthac piis tenenda est regula, ut quoties symbola vident à Deo instituta, illic rei signatae veritatem adesse certo cogitent ac sibi persuadeant.* Et in cap.11. prioris ad Corinthios; *Christus visibile illud symbolum nobis porrigeendo, una dat etiam nobis suum corpus.* Neque enim fallax est, qui vacuis figuris nos ludat : *Proinde illud mihi est extra controuersiam, veritatem hic cum suo signo coniunctam esse.* Quid clariū? Ait veritatem cum suo signo, id est, corpus Christi cum symbolo panis coniunctum esse, ac proinde, quando symbolum illud nobis porrigitur, simul porrigi corpus Christi, quod per illud repræsentatur. Euertit ergo, quod antea dixerat, corpus Christi non esse coniunctum, cum pane, sed tanto interuallo ab eo distare, quanto abest cœlum à terra.

2 Altera propositio est, verba illa Christi, *Hoc est corpus meum*, non propriè, sed figuratè intelligenda esse, ut sensus sit ; *Hoc est corpus meum*, id est, *Hic panis est signum seu figura corporis mei.* Hanc etiam euertit Cal-

uinus: Nam cum antea docuisset cum Zwinglio, pā nem esse signum seu figuram corporis Christi absen-
tis, id est, in cælo, & non alibi existentis; postea oppu-
gnans Zwinglium, afferuit, panem esse signum corpo-
ris Christi præsentis, & sic incautè seipsum iugulauit.
Hoc partim patet ex locis iam citatis; ex libello de
cœna Domini in fine, vbi cōtra Zwinglium & Oecolampadiūm sic ait: *Dum nimis studiosè ac diligenter in
hoc toti incumbebant, ut affererent panem & vinum corpus
& sanguinem Christi vocari, quod ipsorum signa sint; non
cogitarunt sibi hoc interea simul agendum, ut adiungerent, ita
signa esse, ut nihilominus veritas cum eis coniuncta sit.* Vbi
nota Caluinum agnoscere duplex signi genus. Quod-
dam nudum seu vacuum, quod rem signatam repræ-
sentat tantum, sed non exhibet; quo pacto imago Cæ-
saris repræsentat Cæsarem, sed non exhibet: Et figuræ
veteris testamenti repræsentabant, sed non exhibebant
Christum. Aliud non nudum & vacuum, sed coniunctū
cum re signata: quia non tantum repræsentat illam, sed
etiam exhibet. Et huius generis signum vult esse panem
Eucharisticum. Huc spectat, quod lib. 4. c. 17. §. 21. ait:
*Et si symbolum à re signata differt, quia tamen rem, cui repræ-
sentandæ consecratum est, non figurat tantum, cū nuda &
inanis tessera, sed etiam verè exhibet: cur non eius appellatio in
ipsum iure comperat? Quod si humilitus excogitat a symbo-
la, quæ imagines sunt rerum absentium potius, quam notæ præ-
sentium, quas etiam ipsas fallacuer sape adumbrant, earum
tamen titulis interdum ornantur: quæ à Deo sunt instituta,
multo maiori ratione, rerum nomina mutuantur, quorum cer-
tam minimeque fallacem significationem semper gerunt, &
adiunctam habent secum veritatem. Hoc loco probat Cal-
uinus, panem rectè vocari corpus Christi, tali argumé-
to: Quando signum non tantum repræsentat, sed etiam
verè exhibet rem signatam, tunc rectè vocari potest
nomi*

nomine rei signatæ: At panis Eucharisticus non solum
repræsentat, sed etiā verè exhibet corpus Christi: Ergo
panis Eucharisticus recte vocari potest corpus Christi
præsens esse in Eucharistia, quod tamen Caluinus an-
te negauerat: Ergo seipsum destruit.

3 Tertia propositio est, corpus Christi non aliter per-
cipi & manducari, quam sola fide. Hac dupliciter euer-
tit Caluinus. Primo, quia oppugnat Zwingianos, qui
fidei manducationem admittunt. Sic enim de iis loqui-
tur lib. 4. c. 17. §. 5. Sed hoc non perinde conuenit inter omnes,
qualis sit eius participandi ratio. Sunt enim, qui manducare
Christi carnem, & sanguinem eius bibere uno verbo definiunt,
nihil esse aliud, quam in ipsum Christum credere. Sed mihi ex-
pressius quiddam ac sublimius videtur voluisse docere Christus
in præclara illa Concione, ubi carnis sua manducationem nobis
commendat. Secundo, quia expressè docet cum Plessæo,
corpus Christi verè, realiter, & substantialiter à nobis
manducari, ac proinde non sola fide. Sic enim habet in
libello de cœna Domini; Necesse est, nos in cœna verè cor-
pus & sanguinem Christi recipere. Et infrà; Intelligimus Christum
nobis in cœnam veram propriamque corporis & sanguinis
substantiam donare. Et in cap. 11. prioris ad Corinthios;
Concludo, realiter, ut vulgo loquuntur, nobis in cœna dari cor-
pus Christi. Et lib. 4. inst. c. 17. §. 32. in sacra cœna iubet me
sub symbolis panis ac vini corpus & sanguinem suum sumere,
manducare ac bibere. Nihil dubito, quin & ipse verè porrigit,
& ego recipiam. Et Plessæus lib. 4. de Eucharistia c. 2. Dum
sacra cœna ex præscriptio Christi celebratur, Christum realiter
& substantialiter recipimus.

4 Vides opinor, Caluinum Caluino contrarium esse,
& quod uno loco affirms cum Zwinglio: altero
negare contra Zwinglium, & consequenter contra
seipsum. Neque hoc nouum est. Iampridem hoc vitium
in illo notaui, præsertim in questionibus Calvinisticis.

q.2.vbi è multis collegi has contradictiones ex Caluino.1. Fide credimus solam Ecclesiam inuisibilem ; fide credimus, non solam inuisibilem, sed etiam visibilem 2. Nemo potest saluari extra Ecclesiam visibilem : Filij fidelium, qui sine Baptismo decedunt, saluantur extra Ecclesiam visibilem, quām ingressi non sunt.

3. Vnasquisque fidelis est certus certitudine fidei de sua iustitia & prædestinatione ; Nemo est certus se habere fidem. 4. Fides habet vim iustificandi: Fides, quoad iustificationem, est res mercè passua. 5. Nulla datur iustitia inhærens : Semper donamur iustitia inhærente, quando Dœ reconciliamur. 6. Homo in statu innocentiæ liberè peccauit & poterat non peccare: Omnia sunt Deo volente, & Dei voluntas est rerum necessitas. Hæ & similes contradictiones propè infinitæ sunt in Caluino. Rectè in illum conuenit illud Christi : *Omne regnum contra se diuisum desolabitur.*

C A P V T I V.

Caluinistæ non intelligunt, quid dicant.

1. **I**pse Caluinus hoc fatetur, ut iam ostendam. Dixit prius cum Zwinglio, panem esse symbolum Christi absentis, eo quod tanto interuallo abesseret Christus ab Eucharistia, quanto abest cœlum à terra. Postea asservunt contra Zwinglium, & contra scipsum, panem esse symbolum Christi præsentis, ita ut non solum repræsentaret, sed etiam re ipsa Christum nobis exhiberet. Videbat hæc duo non cohærere. Et tamen, ut superbum est hæretorum genus, nec hoc, nec illud voluit reuocare; aut ullam repugnantiam in suis verbis agnoscere. Quid ergo? Prætendit rem esse difficultem & mysterij plenam, quæ nec verbis explicari, nec ingenio com-

comprehendi possit. Audi, quid dicat lib.4.inst.c.17.§.7. *Nihil restat, inquit, nisi ut eius mysterij admirationem prorumpam, cui nec mens planè cogitando, nec lingua explicando par esse potest.* Et infra §.10. *Etsi autem incredibile videtur, in tanta locorum distantia penetrare ad nos Christi carnem, ut nobis sit in cibum; meminerimus, quantum supra sensus omnes nostros emineat arcana spiritus sancti virtus, & quam stultum sit, eius immensitatem nostro modo velle metiri. Quod ergo mens nostra non comprehendit, concipit fides.* Et Beza in tractatu de re Sacramentaria q. 9. *Fatemur incomprehensibile esse mysterium Dei, quo sit, ut quod est, & manet in cœlis, & non alibi: verè communicetur nobis, qui in terra sumus; & non alibi.*

2 Hic iterum vides morem & ingenium hæreticorū. Cùm in aperta contradictione deprehensos se vident, non contradictionem, sed mysterium interpretantur. Quæ potuit esse manifestior contradictione, quàm uno loco asserere, corpus Christi nusquā esse, nisi in cœlo; & alio corpus Christi coniunctum esse in symbolo panis in Eucharistia? At Caluino & Beza, & non contradictione, sed mysterium est, quod intelligi nequeat. Audi simile exemplum in eodem Caluino. Docuit quodam loco peccata omnia Deo volente & decernente perpetrari. Obiiciebant Catholici, hoc consistere non posse cum scriptura, quæ ait, peccata fieri Deo nolente & prohibente: Non posse contrarias esse in Deo voluntates, quarum una velit, altera non velit peccata ab hominibus committi. Quid Caluinus? Ait mysterium esse, quod à nobis capi aut intelligi non possit. Sic enim habet lib.1.instit.c.18.§.3. *Quod obiiciunt, si nihil eueniatur, nisi volente Deo, duas esse in eo contrarias voluntates, quia occulto consilio decernat, quæ lege sua palam vetuit; facile diluit, quā facile audiamus. Pergit igitur post pauca, & sic diluit; Quomodo Deus diverso modo idem nolit fieri & velit,*

non

non capimus. Sanè, illa diluendi ratio est omnium facili-
ma. Implica te mille contradictionibus; affirma, & ne-
ga, quod vis; vrgeant aduersarij; facile te expedes cum
Caluino, hac voce; *Non capimus.* Mysterium est.

3 Porrò, ex dictis animaduerte, Caluinum labi in nō-
niam contradictionem. Nam in hac ipsa materia, de qua
agimus, obiicit impossibile esse, ut idem corpus simul
existat in diuersis locis. Vnde infert contra Catholicos,
Christum non posse in cœlo simul esse, & in Eu-
charistia. At, si hoc impossibile est, quomodo erit
possibile, quod Caluinus docet, Christum esse in cœ-
lo, & non alibi; & tamen simul esse in Eucharistia?
Nam hinc sequitur aperta haec contradictio; *Christus*
in cœlo tantum; *Christus non est in cœlo tantum.* Talis au-
tem contradictio non sequitur ex Catholicorum assertione.
Bis ergo peccat Caluinus. Primò, quod in suo
dogmate manifestam contradictionem committat. Se-
cundò, quod velit suum dogma esse possibile, nostrum
impossibile, cum tamen in nostro non appareat con-
tradiccio.

C A P V T V.

Caluinistæ scripturam corrumpunt.

1 **N**E longus sim, uno verbo ostendam. Catholici è
scriptura producunt quatuor potissimum ar-
gumenta, quibus probat Christum in Eucharistia præ-
sentem esse. Caluinistæ nullum nisi corrumpant scri-
pturam, possunt dissoluere. Primum petunt ex figuris
Eucharistiae. Alterum ex promissione Ioannis 6. 51.
Panis, quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Tertium,
ex institutione, Matth. 26. 26. *Hoc est corpus meum, quod pro
vobis datur.* Quaratum ex vñu 1. Cor. 10. 16. *Panis quem
fran-*

*frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Et cap. 11.
27. Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem
Domini indignus, reus erit corporis & sanguinis Domini. Hæc,
inquam, sunt argumenta Catholicorum, quæ doctè &
copiosè persequitur Bellarminus lib. 1. de Eucharistia
cap. 3. & sequentibus.*

2 Ego relictis aliis, uno solo, quod ex institutione sumitur, contentus ero, cuius vim Calvinistæ, nisi corrupto textu, nunquam effugient. Est autem tale. Christus instituit Eucharistiam his verbis; *Hoc est corpus meum,* quod pro vobis datur i. *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur.* At hæc verba debent propriè, non autem figuratè intelligi: Ergo corpus & sanguis Christi proprie, &c non figuratè sunt in Eucharistia. Minor, in qua tota difficultas est, probatur ex illis verbis LUC. 22. 20. *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis funditur.* Vbi illud relatum, *Qsī, refertur ad calicem,* ut patet ex Græco textu, qui sic habet: τὸ τοῦ οὐτίρεον, ἣ νεών Διατάνει τῷ αἵματι με, τὸ ὑπὲρ ὄμῶν ἐκχυνόμενον. id est; *Hoc poculum nouum testamentum est in meo sanguine,* quod pro vobis effunditur. Ex quo loco sic argumentor: In illo poculo, quo Christus tradidit Apostolis bibendū in cœna Eucharistica, vel erat propriè & verè vinum, vel propriè & verè sanguis Christi. Nam potuit propriè & verè esse vinum, quia poculum vino non est effusum pro salute nostra. Christus autem loquitur de poculo, quod pro salute nostra effusum est. *Hoc, inquit, est poculum in meo sanguine,* (vel poculum mei sanguinis) quod pro vobis effunditur. Necesse ergo est, in illo poculo fuisse verè & propriè sanguinem Christi.

3 Hic omnino premuntur Calvinistæ. Nec appetet ullum effugium. Vedit hoc Beza Caluini discipulus, & præ desperatione, cum aliud non posset, maluit textum deprauare, quam errorem deferere. Sic igitur verba Christi

Christi mutauit: τότε τὸ ποτύριον, οὐ γάρ Διαθήκη εἰ τῷ
ἄμφατι με, τῷ ωπερ ὑμῶν ἐκχυνούμενῳ. id est, *Hoc poculum
nouum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis effunditur*, Audax facinus. Ipse met Beza fatetur, in omnibus
Græcis codicibus habeti; *Hoc est poculum in meo sanguine, quod pro vobis effunditur*: & tamen omnibus refragantibus, reponit hæc verba, *Hoc est poculum in meo sanguine, qui pro vobis effunditur*. Bezam sequuntur alij Caluinistæ. Sed plerique non aduertunt fraudem. Si aduerterent, nihil dubito, ad saniorem mentem redirent potius, quam in errore tam manifesto persisterent.

4. Nimirum hic est candor Caluinistarum in tractandis & exponendis scripturis. Et ut omnia impunè ipsis liceant, non admittunt ullum Iudicem in terris. Quisq; suo spiritu ducitur. Hinc tot nouæ, inauditæ & monstrosoe verbi Dei interpretationes. Et quod hodie placet vni, cras displaceat aliis. Nusquam certo vestigio consistunt. Sed de hac re alias. Nunc satis sit monuisse, Caluinistas non modo interpretari, sed etiam corrumperе scripturam pro suo arbitrio solere.

C A P V T VI.

Caluinistæ repugnant Patribus.

1. **S**anè, qui scripturam tam indignè tractat, non reuerebuntur autoritatem Patrum. Video autem Caluinistas dupliciter in hoc genere peccare. Primò, quod aperte repugnat Patribus. Secundò, quod nihilominus populo persuadeant, Patres ipsis patrocinari. Sic enim loquitur Caluinus in ultima admonitione ad Vestphalium; *Constat vetustos omnes scriptores, qui totis quinque saeculis post Apostolos vixerunt, uno ore nobis patrocinari. Verius dixisset; uno ore nobis refragari, Audiamus illos scriptores.*

2. Origines Homilia 5. in diuersa loca Euangelij sic scribit; *Quando manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuū ingreditur. Et tu ergo humili ins teipsum, imitare hunc Centurionem, & dicit, Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Caluinus diceret; *Domine, cum sis tamen in cœlo, non potes intrare sub tectum meum.*

3. Hilarius lib. 8. de Trinitate. *De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus, (nisi apud Calvinistas. Nunc etiam & ipsius Domini professione & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est.* Caluinistæ depravant Domini professionem, vt paulo ante vidimus; & fidem nostram oppugnant, asserentes non verè, sed figuratè carnem esse; nec verè, sed figuratè sanguinem esse.

4. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi. 4. mystagogica; *Cum Christus ipse dicat, Hoc est corpus meum, quis deinceps audiat dubitare? Et infra; Aquam aliquando mutauit in vinum; & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutauit?* Et iterum, *Christophori erimus. hoc est, Christum ferentes, cum eius corpus & sanguinem in membra nostra receperimus.* Itemque; *Hoc sciens & pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non esse panem, etiam si gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi. Et vinum, quod à nobis conspicitur, tametsi gustui vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sanguinem Christi esse.* Quis dicat Cyrilum Caluino patrocinati? Nemo sane, qui haec legerit.

5. Ambrosius lib. 4. de Sacramento c. 4. *Panis est ante verba sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Et in libro de mysteriis initiandis c. 9. *Forte dicas, Aliud video; quomodo tu mihi asseris, quod Christi corpus accipiā? Et hoc nobis superest ut adhuc probemus. Quantis viimur exemplis, ut probemus non hoc esse, quod natura formauit, sed Opus. To. II.*

Q

quod

quod benedictio confetravit: maioremque vim esse benedictionis.
quam natura, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur? Vide ibidem, quae sequuntur. Tandem post multa sic concludit; Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat; non potest ea, quae sunt, in id mutare, quod non erant? Vbi operre loquitur de reali mutatione panis & vini in carnem & sanguinem Christi, quam Calvinistæ oppugnant.

6. Optatus Mileuitanus lib. 6. contra Parmenianum.
Quid est altare, nisi sedes corporis & sanguinis Christi? Et infra
Hoc tamen immane facinus geminatum est, dum fregisti etiam calices Christi sanguinis portatores. Audite Calvinistæ. Calices, quos frangitis, Christi sanguinis sunt portatores, ut ait Mileuitanus. An is vobis patrocinatur? Non opinor.

7. Augustinus concione 1. in Psal. 33. Ferebatur Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait; Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis. Non solam figuram corporis, ut putant Calvinistæ. Contra quos videtur Damascenus scripsisse li. 4. de fide c. 14. Non est, inquit, figura corporis & sanguinis Christi; absit enim hoc, sed est ipsum corpus Domini deificatum. Et Theophylactus in c. 26. Matth. Non dixit, Hoc est figura, sed, Hoc est corpus. Ineffabili enim operatione transformatur, eu am si nobis rideatur esse panis.

8. Nolo esse prolixior in citandis Patribus. Satis iam constat, non omnes uno ore Calvinistis patrocinari. Nisi patrocinari idem sit, quod refragari: Nihilominus in tanta luce, tam impudentes sunt aduersarij, ut quorundam Patrum autoritatem obiectare nobis audeant. Aiunt quosdam docere Christum esse in Eucharistia tanquam in signo. Sed facilis responso est. Dixi supra Christum 4. modis presentem esse in Eucharistia. 1. per signum seu figuram sui 2. per apprehensionem. 3. per effectum & operationem. 4. per seipsum. Patres ergo, qui dicunt

dicunt præsentem esse per signum, non negant præsentem esse per se ipsum. Vbi nota has duas loquendi formulas distinguedas esse ; *Christus est in Eucharistia præsens per signum & figuram sui*; Et, *Christus est in Eucharistia præsens per signum & figuram sui tantum*. Prior vera est ; posterior falsa.

C A P V T V I I .

Calvinistæ diuinis miraculis confutantur.

1. **D**uplicia sunt miracula, ut notat D. Thomas 3.p. q.29.art.1.ad 2. Quædam sunt obiecta fidei quia creduntur. Quædam testimonia seu motiva fidei, quia iuvant vel confirmant fidem. Priora solent esse occulta, ut fides eorum sit magis meritoria. Posteriora debent esse publica & nota, ut possint fidem nostram testari & confirmare.

2. Vtrumque miraculorum genus reperitur circa Eucharistiam. Et quidem miracula prioris generis sunt potissimum quatuor. Primum est, quod substantia panis & vini conuertatur in carnem & sanguinem Christi. Secundum, quod accidentia panis & vini maneant sine subiecto. Tertium, quod corpus Christi existat sine extensione locali. Quartum quod existat in diuersis locis. Hæc occulta sunt, neque sub sensu cadunt.

3. Miracula posterioris generis, quibus confirmari potest præsentia Christi in Eucharistia, sunt varia; Quædam contigerunt ante exortam hæresim Berengarij, ut videre est apud Cyprianum sermone de lapsis, Nicephorum l. 13.c. 7. Sozomenum l.8.c.5. Prosperum in libro de prædictionibus p. 4.c.6. Gregorium l. 2. Dialogorum cap.24. & l.3.cap. 3. Petrum Diaconum in vita

Q. 2 eiusdem

eiudem Gregorij. Alia contigerunt post exortam hæresim Berengarij, de quibus scribit Paschasius in libro de corpore & sanguine Domini cap. 14. Et Guidmundus l.3. de sacramento. Et his miraculis ipse quoque Berengarius ad eiurandam hæresim permotus est. Alia contigerunt post Ioannem VViclefum, qui Berengarij hæresim renouauit, ut constat ex Thoma VValdensi tom. 2. de sacramentis capite 63. vbi refert, se præsente Londini in Ecclesia S. Pauli quemdam Vicclefistam ab Episcopo Cantuariensi iussum esse adorare Eucharistiam & confiteri præsentiam Christi. Hunc cum facere recusaret, respondisse: araneam esse digniorem veneratione, quam Eucharistiam. Mox horribilem araneam ex summo templi tecto in os blasphemi descendisse, & vix multorum manibus prohibiti potuisse, quo minus ad linguam & fauces penetraret.

4. Porro haec miracula possunt ad tria capita reuocari. Quædam continent singularia Dei beneficia, quæ ex fide præsentia Christi in Eucharistia, conferuntur fidelibus, ut sunt restitutio sanitatis, expulsio dæmonum, liberatio à naufragio vel incendio, & similia. Quædam continent pœnam seu vltionem eorum, qui non credunt, vel rident præsentiam Christi in Eucharistia. Exempla passim obuiia sunt. Quædam denique continent visiones, quibus Christus in Eucharistia sub forma pueri vel carnis apparuisse legitur, ut patet ex Algero lib. 1. de sacram. c. 3. & ex aliis. Et quidem prima fiunt potissimum propter fideles: media propter infideles: postrema propter dubios.

5. Hinc sumo tria argumenta contra Caluinistas. *Primum est:* Illa fides non potest esse falsa, quam Deus confirmat miraculosis beneficiis: at fidem præsentia Christi in Eucharistia confirmat miraculosis beneficiis: Ergo illa fides non potest esse falsa. Maior per se nota est,

est, quia Deus, cum sit prima veritas per essentiam, non potest confirmare falsitatem seu mendacium. Minor patet ex Cypriano, Nicephoro & aliis authoribus supra citatis, qui scribunt multos inuocando Christum in Eucharistia impetrasse ab eo sanitatem & alia beneficia miraculosa: quæ proculdubio non impetrassent, si Christus in Eucharistia præsens nō esset. Faciamus aliquem esse, qui putet Christum esse præsentem in lapide, & ex illa priuatione imploret sanitatem à Christo tanquam in lapide existente. An impetrabit? Nemo dixerit. Cur ergo impetrat, qui in Eucharistia præsentem putat, nisi quia reuera præsens est?

6. *Alterum argumentum est*; Deus non solet eos miraculosè punire; qui aliquid dicunt, vel faciunt ex vera fide: at miraculosè punit illos, qui negant, vel rident præsentiam Christi in Eucharistia: Ergo eam negando vel ridendo; non agunt ex vera fide. Minor patet ex Thoma VValdensi, & aliis authoribus citatis: Refert Optatus Mileuitanus, quosdam suis canibus Eucharistiam obiecisse, & mox ab ipsis canibus, quasi iniuriam Christo factam vindicantibus dilaniatos ac discerptos esse. Similia passim occurrūt apud alios scriptores.

7. *Tertium argumentum est*; Qui reuera in fide dubi sunt, & à Deo veritatem in simplicitate quærunt, non solent à Deo illudi falsis apparitionibus: Ergo quando apparet illis Christus in Eucharistia sub forma pueri vel carnis, non est falsa apparitio: Ergo per eam significat Deus, non amplius dubitandum esse, quin Christus secundum carnem & sanguinem præsens sit in Eucharistia.

8. Facilè video, quid responsū sint Calvinistæ. Dicent, falsum esse, miracula illa à Deo fieri, nec esse vera miracula, sed præstigias dæmonum, & meras illusio-

nes. Nimirum Phariseis similes sunt qui cum Christus ficeret miracula, & turbæ mirarentur; dicebant, *In Belzebub dæmoniorum principe eieit dæmonia.* Et sane alia responsio à Calvinistis expectari non poterat. Qui enim, desperata causa, scripturæ textum audent depravare, & sanctorum Patrum testimonia aspernari; quomodo verisimile est, de miraculis bene loqui & sentire eos posse? Nihilominus prudens lector facile aduertit, quid de tali hominum genere existimandum sit, qui omne præsidium suum in impudentia, & negandi libidine collocatum habent.

CAPUT VIII.

Calvinistæ nullo fundamento subnixi sunt.

1. **O** Stendi hactenus, Calvinistas & apertis scripturæ testimonis, & auctoritate Patrum, & diuinis miraculis confutari: Imò & sibi ipsis contrarios esse. Vnde facile apparet, nihil solidi fundamenti pro sua opinione stabiliēda habere eos posse, Nihilominus, qui, omnium hæreticorum mos est, hinc inde corradunt aliquot argumenta, præsertim ex scripturis, Patribus, & ratione naturali, quæ quanti momenti sint, paucis examinandum est.

2. Ac primò contendunt hæc verba, *Hoc est corpus meum*, non posse propriè, sed debere figuratè accipi. Hoc autem probant à simili, quia hæ locutiones figuratæ sunt: *Agnus est phasæ*, *Petra erat Christus*, *Ego sum viuis*, *Septem boues sunt septem anni*; Ergo etiam hæc est figura ta; *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*. Respondeo. Quidquid sit de antecedente neganda est consequen tia. Nam si ille modus argumentandi valeret, totum argumentum retorqueri posset in aduersarios, hoc modo;

modo; Hæ locutiones sunt propriæ; *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cōplacui: Paulus est doctōr gēniū; Petrus est Apostolus, Iudas est proditor:* Ergo etiam hæc est propria; *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Nunc quæro ex Calvinistis, an hæc mea consequentia sit bona, nec ne? Si bona est, iam vicimus. Si mala est cum suam volunt esse bonam? Est enim eiusdem generis & valoris.

3. Sed vrgent; Hæc verba, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* debent eodem sensu intelligi, quo ista; *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine;* sed hæc intelliguntur figuratè: Ergo & illa. Minor probatur, quia duplex figura est in illis verbis, Vna in nomine calicis, altera in nomine testamenti. Nam calix sumitur pro vino tanquam continens pro contento per metonymiam. Similiter testamentum sumitur pro signo vel figura testamēti. Non enim vinum aut sanguis, est propriè testamentum, sed signum testamenti. Vnde Matth. dixit; *Hic est sanguis meus noui testamenti,* non autem, *Hic est sanguis meus nouum testamentum.* Confirmatur primò, quia si vinum aut sanguis esset propriè testamentum, iam singulis diebus renouaretur testamentum Ch̄risti, & præcedens antiquaretur. Secundò, necesse esset Christum s̄æpe mori, testamentum enim non valet, nisi intercedente morte testatoris.

4. Respondeo. Dupliciter peccat hoc argumentum. Primò, quia malè infert. Tametsi enim daremus hanc locutionem esse figuraram, *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine;* non tamen sequeretur, hanc etiam figuratā esse, *Hic est sanguis meus.* Patet in exemplo domestico. Nam hæc propria est, *Bibe hoc vinum phenanum,* Hæc figurata, *Bibe hunc calicem.* Non ergo licet ab una argumentari ad aliam. Secundò, nego ullam figuram esse in illis verbis; *Hic calix nouum testamentum est in meo*

sanguine. Ac primò, quod in nomine calicis non sit, sic ostendo. Nam illa verba, *Hic calix in meo sanguine, Hebraismum sonant, & perinde valent, ac si dicas, hic calix mei sanguinis, ut habemus in Canone Missæ.* Atqui in his verbis nulla planè est figura. Sicut enim propriè dicimus. *Hoc est vas aquæ, Hac est amphora vini: ita similitet Hoc est calix sanguinis.* Item sicut propriè dicimus, *Bibite ex illo vase, vel ex illa amphora;* Ita etiam propriè, *Bibite ex illo calice.*

5. Nec in nomine Testamenti est vlla figura. Nam testamentum propriè dictum duo significat. Primò, voluntatem, seu dispositionem, seu promissionem & pactum testatoris. Secundò, authenticum instrumentum, quo continetur voluntas, dispositio, vel promissio testatoris; aut quo applicatur nobis ius ad hæreditatem à testatore promissam. Hoc modo propriè vocari possunt testamenta, non solùm Biblia, quibus continetur voluntas Dei testantis & promittentis; sed etiam sacramenta, quibus applicatur nobis ius ad hæreditatem à Deo promissam. Vnde Circumcisio, quæ erat sacramentum veteris legis, per quod dabatur Iudæis ius ad terram promissionis, propriè vocatur testamentum, vt patet ex illo Ecclesiast. 44. 21. *In carne eius stare fecit testamentum.* Eadem Circumcisio dicitur etiam fœdus & signum fœderis, Gen. 17. v. 10. & 11. Et virumque propriè. Erat enim signum fœderis: vt fœdus accipitur pro diuina promissione. Et simul erat fœdus, vt fœdus accipitur pro instrumento, quo applicatur promissio: Inter omnia autem sacramenta præcipue Eucharistia dicitur testamentum, tum quia est authenticum instrumentū, quo confertur nobis ius ad æternam hæreditatem; tum etiam, quia continet apertissimā representationem effusionis sanguinis Christi, quo sanctum est nouum testamentum, & à quo suam vim habet.

6. Ex his patet , quomodo propriè dictum sit , non solum à Mathæo & Marco , *Hic est sanguis meus noui testamenti*; sed etiam à Luca & Paulo , *Hic calix nouum testamentū est in meo sanguine*. Nam illi sumunt nomen testamenti pro voluntate & promissione testatoris ; hi pro instrumento illius promissionis. Vnde sensus Matthæi & Marci est; *Hic est sanguis meus noui testamenti*, id est, *Hic est sanguis, quo sanctiur voluntas, pactū & promissio Dei*, Sensus autem verborum Lucæ & Pauli est , *Hic calix sanguinis mei est nouum testamentum*, id est, Hoc sacramentum Eucharistiæ sub specie vini , est authenticum instrumentum, quo applicatur nobis ius ad hæreditatem à Deo promissam.

7. Solutum est argumentum. Ad 1.confirmationem dico, sanguinem Christi sub specie vini contentum esse quidem propriè dictum testamentum , iuxta sensum iam explicatum; non tamen sequi inde , singulis diebus renouari testamentum sed tantum repeti. Nam celebratio Eucharistiæ , quæ quotidie fit , non est noua institutio testamenti, sed eiusdem repetitio. Vnde sicut unum idemq; testamentum ciuile, quod in charta scriptum est, potest sæpe describi , sine villa sua mutatione, sic Eucharistia potest sæpe repeti , & tamen non ideo mutari. Ad 2.dico non esse necesse, Christum quotidie mori , etiam si quotidie repetatur testamentum. Non enim requiritur mors testatoris ad repetendum, sed ad fisciendum & confirmandum testamentum.

8. Secundum argumentum sumunt aduersarij ex illis verbis Matt. 26.29. *Non bibam amodo de hoc genimine viti usque in diem illum cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei*. Hæc enim verba dicta sunt à Christo post consecrationem calicis : Ergo post consecrationem fuit vinum in calice: Ergo non fuit sanguis Christi , nisi figuratè. Respondeo. Christus duo dixit disci-

pulis. Primo, se non amplius manducaturum Pascha cum ipsis. Secundo, nec amplius bibiturū vinum. Vtrūque dixit in cœna Paschali ante institutionem Eucharistiae. Hoc patet ex Luca, qui ca. 22. v. 15. sic scribit; *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc nō manducabo illud donec impleatur in regno Dei.* Et accepero calice gratias egit & dixit; *Accipite & diuidite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.* Hæc Lucas; qui deinde subiungit institutionem sacramenti Eucharistiae, Vnde patet, alium fuisse calicem vini, de quo Christus dicebat se non amplius bibiturum; & alium fuisse calicem sanguinis, de quo nihil tale dixit. Vtriusque calicis meminit Lucas loco citato Obiicies; Matthæus & Marcus narrant, Christum post institutionem Eucharistiae dixisse, se non amplius bibiturum de vino. Respondeo. Lucas narrat, dixisse ante institutionem. Constat autem Lucam narrare rem eo ordine, quo contigit; reliquos non item. Primo, quia sicut Christus dixerat se non amplius bibiturum de vino, sic dixerat, non amplius manducaturum Pascha: Hoc autem dixit ante institutionem Eucharistiae: Ergo & illud. Secundo, quia illa verba, *Donec illud bibam nouum in regno Patris mei,* non possunt intelligi nisi de cœlo: At in cœlo non erat bibitirus sanguinem suum, nec verè, nec metaphorice; vinum autem metaphorice bibitirus erat iuxta illud Lucæ 22.20. *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Ergo non de sanguine, sed de vino dixit, *Non bibam modo de genimine vitis.*

9. Tertium argumentum sumunt ex illo, I. Corint. 10,
 3. *Omnis eandem escam spiritualem manduauerunt & omnes eundem potum spiritualem biberunt.* Hinc colligunt, Iudeos manducasse eandem escam spiritualem, quam nos

nos manducamus: at illi manducauerunt corpus Christi tantum in figura, idq; per solam fidem: Ergo nos eodem modo manducamus. Respondeo, Dupliciter hic peccant Calvinistæ. Primo, quia Apostolus non dicit, Iudæos manducasse nobiscum eandem escam, sed ipsos inter se eandem manducasse. Sic enim habet; *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transferunt, & omnes in Mose baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt.* Ex quibus verbis patet, Apostolum non conferre Iudæos nobiscum, sed illos ipsos inter se. Vult enim ostenderet tametsi omnes tam boni quam mali perceperint eadem Dei beneficia: non tamen omnes placuisse Deo. Vnde mox subdit; *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo.* Secundò peccant Calvinistæ, quia volunt Apostolum loqui de manducazione spirituali per fidem quæ secundum, ipsos est propria electorum. Hoc autem falsum est, quia loquitur de manducazione, quæ communis erat bonis & malis, ut ex dictis patet.

10. *Quartum sumunt ex illo Ioannis 12. 26. Vbi sum ego, illic & minister meus erit.* At ministri Christi non sunt in Eucharistia: Ergo nec Christus. Respondeo. Aduersarij videntur mihi nugari in citandis scripturis. Quid si retorqueam argumentum hoc modo; *Vbi sum ego, illic & minister meus erit:* At ministri Christi non sunt in cruce inter duos latrones: Ergo nec Christus. Sed ad rem. Sensus verborum Christi est hic; Ministri mei erunt mecum in regno cœlorum. & videbant gloriam meam, ut clare exprimitur cap. 17. 24. *Pater volo ut vbi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meā.*

11. Eiusdem notæ sunt multa alia, quæ omitto, ne in re sevia ludere videamur. Ex Patribus nihil adferunt aduersarij, quod responsione indigeat. Videantur, quæ dicta sunt cap. 6. circa finem. Vnum superest argumentum

mentum ex ratione naturali petitum , quod est tale : **I**mpossibile est, ut idem corpus simul existat in diuersis locis: at qui corpus Christi post ascensionem est in cælo , & ibi mansum est: Ergo non potest simul esse in altari. Respondeo. Major propositio neganda est. Nec aduersarij possunt illa probare , nisi emendicando rationes quasdam probabiles ex scholasticis Theologis , & earum solutiones omittendo. Quæ autem sint illæ rationes, & quomodo dissolui debeant , commodius explicabitur inferius, cum sententia Catholicorum de hac tota re ponetur.

C A P V T I.

Caluinistæ merito suspecti esse debent.

1. **E**X dictis colligi possunt hæ causæ , cur merito suspecta esse debeat Caluinistarum de Eucharistia sententia. 1. quia seipsum destruit. 2. quia tam obscura & implicata est, vt ne ab ipsis quidē Caluinistis explicari aut intelligi possit. 3. quia defendi nequit, nisi corrupendo & depravando sacram scripturam. 4. quia repugnat Patribus , & toti antiquitati. 5. quia diuinis miraculis confutata est. 6. quia nullo firmo fundamento est subnixa.

2. Addo alias duas causas. *Vna est*, quòd Zwinglius fateatur se eam accepisse à nocturno spiritu. Hic autem spiritus merito suspectus est. Primò , quia ipsemer Zwinglius, cui apparuit, de eo sic loquitur; *Ater fuerit, an albus, nihil memini*. Secundò , quia Gretzerus noster in disceptatione de sôno Zwinglii, prolixè probat , fuisse dæmonem. Idem affirmant Lutherani. Nec Caluinistæ omnino id negant. Hoc patet ex Dauide Paræo, Caluinista Heidelbergensi , in prælectionibus catechisticis in solutione cuiusdam argumenti Lutheranorum, Lutherani

therani sic argumentantur: *Doctrina Caluinista de Eucharistia, profecta est à demone, qui eam Zwinglio inspiravit: Ergo non potest esse vera.* Respondet Paræus, retorquendo argumentum hoc modo: *Doctrina Lutherana de abroganda Missa est etiam à demone inspirata: Ergo similiter non potest esse vera.* Perinde agunt, ut Poëta cecinit: *Væ tibi tu nigra dicebat cacabus olla.*

3. Altera est, quod Iudas proditor credatur fuisse primus author huius doctrinæ Caluinistarum, ut plerique colligant ex Euangelio Ioannis cap. 6. Nam cum Christus dixisset: *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt, (nempe præsentiam corporis mei in Eucharistia,) cōtinuo subiungit Ioannes: Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum.* In quem locum ita scribit Augustinus tract. 27. in Ioannem: *Sunt quidam, qui non credunt; & ideo non intelligunt, quia non credunt.* Et paulo post: *Ibi erat & Iudas, qui mansit ad insidianum, non ad intelligendum.* Et Chrysostomus Hom. 46. in Ioannem: *Intuere Christi sapientiam.* Neque Iudam manifestauit, neque latere voluit. Illud, ne impudentius contenderet. Hoc ne latere arbitratus, licentius auderet. Prins ergo eum non credentibus annumerauit, cum diceret; *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt.* Cum autem in malitia perseveraret, vehementius arguit. *Vnus, inquit, ex vobis diabolus est.* Ecce quem ducem sequantur Caluinistæ. Eum, qui Christo teste, diabolus est. Eum, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Iesum, Act. 1. 16.

De Cœna Lutheranorum, seu de transubstantiatione.

Hactenus contra Caluinistas ostensum est Christū esse præsentem in Eucharistia. Nunc inter Catholicos & Lutheranos manet disceptatio, quomodo fiat præsens.

præsens, Catholici docent fieri per transubstantiationem, id est, per conuersionem totius substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi. Lutherani volunt manere substantiam panis & vini cum corpore & sanguine Christi; ideoque negant haec conuersionem afferentes Christum fieri præsentem, vel per ubiquitatem, vel per vniōnem hypostaticam Christi cum pane & vino, vel certè per simplicem coiunctionem vnius cum altero. Hæc omnia examinanda sunt hoc ordine 1. An Christus fiat præsens per ubiquitatem. 2. An per vniōnem hypostaticam. 3. An per simplicem coiunctionem. 4. An per transubstantiationem Reliqua quæ subtiliter disputari solent de transubstantiatione, commodius tractabimur infra, cum Catholicorum doctrina explicabitur.

C A P V T I.

An Christus fiat præsens in Eucharistia per ubiquitatem?

1. **A**ffirmat Lutherus in libello, qui inscribitur, *Confessio Martini Lutheri de coena Domini*, Brentius in apologia pro confessione VVirtembergensi, in tractatu de coena Domini, Illyricus in libro de ascensione Domini, Smidelinus in thesibus de maiestate Christi hominis, & plerique alij Lutherani, qui defendunt ubiquitatem, excepto Kemnitio, qui licet ubiquitarius sit in libro de duabus Christi naturis, tamen in examine Concilij Trident. Sess. 13. cap. 4. dicit, fundamentum præsentiae corporis Christi non esse ubiquitatem.

2. Hi authores nituntur his fundamēntis. Primo, quod humanitas Christi hypostaticè unita sit personæ verbi.

verbi. Secundò, quod hæc vnio hypostatica sit idem, quod communicatio idiomatum; Et in eo consistat, quod attributa diuina realiter vnta & communicata sint humanitati Christi. Tertio, quod ex hac reali cōmunicatione fiat, vt humanitas Christi verè sit omnipotens, omniscia, vbique p̄sens. Vide Brentiū in l. de maiestate Christi hominis, & Smidelinum loco citato.

3. Primum fundamentum verum est; reliqua falsa. His oppono has propositiones, quæ verissimæ sunt. *Prima est.* Vnio hypostatica distinguitur à communicatione idiomatum seu attributorum diuinorum, & consistit in communicatione subsistentiæ Verbi. Probatur priuò, quia in Christo sunt duæ naturæ, & una persona: Ergo una subsistentia: Ergo vel ambæ naturæ subsistunt per subsistentiam verbī, vel ambæ per subsistentiā humanam creatam: Non posterius: Ergo prius. Ergo verbum diuinum communicauit suam subsistentiam humanitati, & in eo consistit vnio hypostatica. Secundò, probatur argumento Concilij Toletani 6. c. i. quia solus filius Dei est incarnatus: ergo vnio facta est per excommunicationem eius, quod est proprium filij; non eius, quod est commune aliis personis: sed sola subsistentia filij est propria filio; attributa autem omnia essentialia sunt cōmunia tribus personis: Ergo vnio hypostatica facta est per communicationem solius substantiæ. Tertiò, quia Pater æternus communicauit filio omnia attributa perfectissimè; & tamen quia subsistentiam suam non communicauit, non sunt vnti hypostaticè, sed potius distincti hypostaticè: Ergo vnio hypostatica non consistit in communicatione attributorum, sed solius subsistentiæ.

4. *Secunda propositio.* Ex vnione hypostatica sequitur communicatio idiomatum, quæ non consistit in reali communicatione attributorum diuinorum facta

facta humanitati; sed tantum in eo, quod ratione vniōnis hypostaticæ diuina & humana prædicata de eadem persona verè prædicentur. Hæc propositio habet tres partes. Prima est, quod communicatio idiomatum sequatur ex vniōne hypostatica. Hæc pāttim ex dictis, partim ex dicendis erit manifesta. Altera est, quod cōmunicatio idiomatum non consistat in reali communicatione attributorum diuinorum facta humanitati. Ratio est, quia dupliciter intelligi potest, attributa diuina cōmunicari humanitati. Primò, quod vniāntur illi, tanquam instrumento, per quod diuina omnia operantur. Secundò, quod sic vniāntur illi, ut illam constituant formaliter sapientem, omnipotentem, vbiique præsentem. Prior modus non sufficit. 1. quia propria perfectio principalis agentis non potest propriè & verè prædicari de instrumento: Ergo si humanitas est tantum instrumentum diuinitatis, non licebit dicere, humanitatem esse omnipotentem & vbiique præsentem, quod tamen dicunt aduersarij. 2. quia verbum diuinum non operatur per humanitatem, tanquam per instrumentum, secundum omnia attributa, sed tantum secundum aliqua: Ergo hic modus non sufficit ad communicationem omnium attributorum, & præsertim omni præsentiæ, quæ non est principium operandi. Posterior modus est falsus & impossibilis. 1. quia attributa essentialia pertinent ad naturam & essentiam Dei: at vniō non est facta in natura & essentia: Ergo nec in attributis. 2. quia vnum attributum est de essentia alterius: at impossibile est omnia formaliter esse communicata humanitati, cum humanitas formaliter non sit infinita, nec æterna, nec actus purus, nec ens per essentiam: Ergo etiam impossibile est, aliqua formaliter cōmunicata esse. 3. quia Patres & Concilia agnoscunt tantum triplicem vniōnem, nempe essentialē, accidentalē,

talem & personalem. Essentialēm constituant Eutychiani, accidentalem Nestoriani; personalem Catholicī. Si ergo Lutherani volunt attributa diuina communicata esse humānitati, vel id volunt factum esse per vniōnem essentialēm, & tunc sunt Eutychiani: vel per accidentalem, & tunc sunt Nestoriani, vel per personalem; & tunc debent nobiscum dicere, factam esse vniōnem in persona, non autem immediatē in natura. Tertia pars est, communicationem idiomatum in eo consistere quod ratione vniōnis hypostaticæ, diuina & humana prædicata de eadem persona verē prædicentur. Hæc est communis sententia Patrum & Conciliorum. Et probatur ratione, Quia quando duæ formæ vel naturæ in eodem supposito realiter vniuntur, de eodem possunt verē prædicari in concreto; quo pacto rectè dicimus, Petrus est intelligibilis, sensibilis, corruptibilis, coloratus, calidus, & sic deinceps. Atqui in Christo duæ naturæ substantialiter vniuntur eidem supposito; nempe diuina & humana: Ergo possunt de eodem supposito verē prædicari: Ergo rectè dicimus, Christus est Deus, Christus est homo. Item Christus est mortalis, Christus est immortalis.

5 Tertia Propositio. Humanitas Christi non est vbiique præsens per omnipræsentiam seu immensitatem diuinam & increatam. Sequitur ex dictis, quia attributa diuina non possunt formaliter communicari humanitati Christi: Ergo sicut humanitas Christi non potest esse formaliter æterna & infinita; ita nec formaliter immensa & vbiique præsens. Adde, si Christus secundum humanitatem esset vbiique, quomodo defendi posset, Christum verē descēdisse ad inferos, resurrexisse, ascendiisse, venturum ad iudicium? Respondent Lutherani Christum non esse vsum omnipræsentia, nisi post resurrectionem. Vel, vt loquitur Smidelinus, fuisse vbiq;

præsentem in actu primo, non in actu secundo. Sed in aliis est responsio. Primò, quia formales perfectiones non possunt re ipsa alieni conuenire sine actu secundo. Non enim fieri potest, ut albedo sit in pariete, & tamē paries non sit albus : vel ut existentia sit in Petro, & tamen Petrus non existat, vel ut immensitas sit in Deo & tamen Deus nō sit immēsus: Ergo similiter fieri non potest, ut humanitas Christi ante resurrectionem haberit immensitatem & omnipræsentiam, & tamē non fuerit immensa, nec ubique præsens. Secundò, quia Lutherani docent ideo humanitatem Christi esse ubique, quia est unita personæ Verbi, quæ est ubique: sed semper in actu secundo est unita personæ Verbi secundum ipsos. Ergo semper in actu secundo deberet esse ubique. Tertiò, quia Christus ante resurrectionem consecravit panem Eucharisticum, dicendo, *Hoc est corpus meum*: Vel ergo tunc erat ubique in actu secundo ratione unionis hypostaticæ, vel non erat. Si erat falsum est, cepisse post ascensionem: Si non erat, ergo vi consecrationis fuit in Eucharistia, & non per ubiquitatem, quod est contra Lutheranos.

6. *Quarta Propositio.* Christus non est præsens in Eucharistia, per ubiquitatem. Hæc est principalis cōclusio huius quæstionis; Et manifestè conuincitur ex diuis. 1. quia ubiquitas iam explosa est. 2. quia ante ascensionem fuit Christus in Eucharistia, & tamen non fuit per ubiquitatem. 3. Hæc ubiquitas destruit Eucharistiā, & necessitatem eius. Si enim corpus & sanguis Christi est ubique, quid necesse est consecrare hostiam? quid opus est ire ad templum pro Eucharistia? quid conqueruntur aduersarij de subtræcto calice? quid tantopere vrgent utramque speciem? Hoc argumentum obiicit sibi ipsi Lutherus in libello, qui inscribitur, quod verba Christi, *hoc est corpus meum*, adhuc firma stent. Sic enim

enim habet; *Si corpus Christi est in omnibus locis, agendum deuorabo & belluabor ipsum in omnibus hospitiis, & in omnibus scutellis, poculis, cantharis.* Postea sic responderet; *Audi tu porce, canis fanaticus, aut quisquis fueris insulse astine etiam si corpus Christi sit in omnibus locis, non tamen tu statim ipsum deuorabis vel belluaberis.* Et infra; *Ablego te in haram tuam pororum, vel in tuum sterquilinium.* Summa responsionis est, licet corpus Christi sit ubique, non tamen posse ubique capi. Addunt alij non posse ubique efficaciter & utiliter capi, sed in sola Eucharistia. Vnde aiunt hoc discrimen esse inter panem Eucharisticum, & panem domesticum quod licet Christus in utroque sit aquae praesens non tamen aquae prospicit nobis in utroque, quia in pane Eucharistico confert aliquem fructum spiritualem, quem non confert in pane communi & domestico. Sed quare, quis sit ille fructus spiritualis; Sane, secundum Lutheranos, duo spectari possunt in hac re, unum est, ut quis excitet in se fidem iustificantem, & actu credat peccata sibi esse remissa per merita Christi. In hoc enim consistit ratio fidei iustificantis secundum aduersarios. Alterum est, ut reuera consequatur hunc fructum remissionis peccatorum. Sed utrumque fieri potest in cibo & potu domestico extra Eucharistiam. Hoc ostendo quia Lutherani creditur Christum esse ubique: Ergo credunt illum esse in cibo & potu domestico. Ergo cum manducant cibum domesticum, possunt excitari ad fidem iustificantem, ut credant sibi remissa esse peccata per merita Christi, qui ibi praesens est. Haec autem fides est certa & infallibilis, ut ipsi volunt; Ergo re ipsa consequuntur fructum remissionis peccatorum. Quid ergo necesse est, ad hunc fructum consequendum, ire ad Ecclesiam, & Eucharisticum panem manducare? Vides, tolli necessitatem Eucharistiæ, si admittatur ubi quitas.

CAP V T II.

An Christus fiat præsens in Eucharistia per vniōnem hypostaticam?

1 **H**OC dupliciter intelligi potest. Primò, ut Christus fiat præsens per vniōnem hypostaticam personæ Verbi cum pane, Secundò, ut fiat præsens per vniōnem hypostaticam corporis Christi cum pane, accipiendo corpus Christi pro altera parte compositi. Hoc posterius videtur sentire Lutherus in libro de captiuitate Babylonica, vbi dicit, hanc propositionem, *Panis est corpus Christi*, veram esse propter vniōnem panis cum corpore.

2 Vtraque vnio explicanda & refellenda est. Primum asseruit Rupertus Tuitiensis libr. 6. in Ioannem, circa illa Christi verba, *Panis quem ego dabo, caro mea est*, vbi dicit, Verbum æternum per incarnationem factum hominem, non destruendo, vel mutando, sed assumendo personaliter humanitatem. Et eodem modo, per consecrationem, idem verbum fieri panem, non destruendo, vel mutando, sed assumendo personaliter panem, vbi aperte facetur, Christum esse panem post consecrationem, sicut est homo post incarnationem. Idem author lib. 2. de diuinis officiis cap. 2. & 9. de eadem re multa dicit. Primò, panem fieri corpus Christi, non quod conuertatur in carnem Christi, sed quia assumitur à persona Verbi. Vnde sequitur, panem esse corpus Christi, non humanum & carneum, sed panaceum, & longè diuersum ab illo, quod de virgine sumptum est. Secundò, haec duo corpora posse dici vnuū, quia est vnum suppositorum viriusque. Est enim vna persona, quæ utrumque assumpsit. Tertiò, haec duo

duo corpora, panaceum & carneum, esse vnum, quia idem Christus est in carne sursum, & in pane deorsum, id est, idem Christus habet duo corpora, vnum carneum in cœlo, & alterum panaceum in altari. Quartò, impios in Eucharistia nihil accipere, nisi corpus panaceū; pios autem accipere utrumque. Nam quia idem Christus est sursum in carne, & deorsum in pane, ideo solum in pane sumitur ore corporali, quod est communione piis & impiis: in carne autem, quæ est sursum, non sumitur nisi ore spirituali, quo carent impij.

3 Hæc vno sic explicata, facile refellitur. Primo, quia licet non sit impossibilis, tamen non potest probari, factam esse. Nullus enim ante Rupertum illam defendit, nec ex scripturis demonstrari potest. Secundo, quia pugnat cum illis Christi verbis; *Panis quem ego dabo, caro mea est.* Nam secundum Rupertum, panis, quem dat Christus in Eucharistia, nō est caro Christi, sed corpus panaceum. Ergo si verba Christi sunt vera, Ruperti sententia est falsa. Tertio, pugnat cum illis verbis, *Hic est sanguis meus.* Quamvis enim panis & vinum hypotheticè vnta essent Verbo, sicut eidem Verbo vnta sunt caro & sanguis Christi; non tamen liceret dicere, *Hoc vinum est sanguis Christi;* sicut non licet dicere, *haec caro est sanguis Christi.* Nam communicatio idiomatum debet fieri in supposito, ac proinde termini propositionis debent significare suppositum, & non aliquam partem suppositi. Quartò, pugnat cum præsentia carnis & sanguinis Christi in Eucharistia. Vnde omnia argumenta, quibus probari solet, carnem & sanguinem Christi esse in Eucharistia, euidenter procedunt contra opinionem Ruperti.

4 Posteriorem vniōnē asseruit quidam apud Thomam Waldensem Tomo 2. de sacramentis cap. 65. & Lutherus loco supra cit. Hæc enim facile refellitur,

Nam vnio hypostatica non sit in natura, sed in persona seu subsistentia. At in Christo homine non est vlla persona, nisi Verbi: Ergo si panis hypostaticè vnitur Christo, non vnitur illi in natura humana, vel aliqua illius parte, sed in persona Verbi. Hæc autem vnio iam refutata est.

CAPUT III.

An Christus fiat præsens in Eucharistia per simplicem coniunctionem?

1 **H**oc videtur sentire Kemnitius in Examine Concilij Trid. sess. 13. cap. 4. vbi negat Christū fieri præsentem per ubiquitatem, aut per vniōnem hypostaticam Christi cum pane. Agnoscit ergo aliā vniōnem per modum simplicis coniunctionis, quam etiam nonnulli recentiores Lutherani tinentur.

2 Sed refello Lutheranos ex duobus ipsorum principiis. *Vnum est*, illa verba, *Hoc est corpus meum*, propriè esse intelligenda, non metaphoricè, in quo nobiscum conueniunt. *Alterum est*, per pronomen *Hoc*, designari panem, in quo sentiunt cum Calvinistis. Igitur volunt hunc esse sensum verborum, *Hic panis est verè & proprie corpus Christi*. Nunc sic argumentor: Quando duæ res distinctæ ac disparatæ non aliter inter se vniuntur, quam per simplicem coniunctionem, tunc vna non potest verè ac propriè dici altera. Non enim dicimus, *Equus est propriè asinus*, licet coniungantur ratione loci: neque dicimus, *Christus est propriè lapis monumenti*, licet fuerint penetratiæ in eodem spatio: & sic de cæteris. Atqui panis & corpus Christi, sunt duæ res distinctæ, & disparatæ; nec aliter vniuntur, quam per simplicem coniunctionem, ut suppono ex sententia aduersario-

rum:

rum: Ergo panis non potest verè ac propriè dici corpus Christi.

3 Nec opus est alio argumento in re clara. Qui latine nouit, & prudenter rem estimat facile aduertit falsam esse hanc locutionem, *Panis est proprie caro, Vinum est proprie sanguis.* Caluinistæ minus in hoc genere peccant, cum dicunt; *Panis est figuratè caro, Vinum est figuratè sanguis.* Quamvis enim non minus aberrent à regnâ & veritate fidei, quam Lutherani; tamen in modo loquendi cautores sunt.

4 Quidam ex recentioribus Lutheranis Ioannes Debelius, in sua Disputatione de cœna, putat se aliter difficultatem expedire posse. Ait inter panem & corpus Christi esse vniōnem sacramentalēm, & ideo Lutheranorum propositionem hoc sensu veram esse; *Panis sacramentaliter est corpus Christi, id est (ut ipse explicat) manducato benedicto pane in cœna, manducatur etiam corpus Domini, proprie vniōnem sacramentalēm, quæ soli Deo cognita est.* Sed hic homo, seu volens, seu imprudens, in Caluinismum labitur. Caluinistæ dicunt; *Panis figuratè est corpus Christi,* Debelius dicit: *Panis sacramentaliter est corpus Christi.* Quid interest inter has propositiones? Aut dicat Debelius aperte, an panis proprie sit corpus Christi, an figuratè? Si proprie, quid tergiuersatur? Si figuratè, Caluinista est. Deinde quod addit, *manducato pane benedicto, manducari etiam corpus Christi, quo sensu id dicit?* An vult, corpus Christi manducari tantū fide, seu spiritualliter? At hoc Caluini dogma est, & reiicitur passim a Lutheranis. An potius, manducari ore corporis, sicut panis manducatur? Hoc quidem Lutherani asserunt; sed Debelius asserere nō potest. Nā ibidē ait, corpus Christi, nō *Physicè*, sed tantū *sacramentaliter* esse præsēs. Quomodo ergo *Physicè*, seu ore corporali sumi potest? Omnino igitur Caluinista factus est Debelius in Saxonie.

CAP V T IV.

An Christus fiat præsens in Eucharistia per transubstantiationem.

¹ **C**atholici in Concilio Tridentino sess. 13. c. 4. & can. 2. docent Christum fieri præsentem in Eucharistia per conuersionem totius substantiae panis in corpus, & totius substantie vini in sanguinem Christi : remanentibus solis accidentibus : Et hanc conuersionem recte appellari transubstantiationem , sicut eam appellant Patres in Concilio Lateranensi sub Innocentio III.

² Hanc doctrinam acceperunt Catholici ex antiquis Patribus, qui hanc ipsam conuersionem , non solum aperte tradiderunt, sed etiam variis vocabulis explicare conati sunt; dum alij transmutationem ; alij transformationem , alij transelementationem ; alij transsum seu migrationem de pane in carnem; alij aliter eam nuncuparunt. Ex multis citabo paucos.

³ D. Ambrosius elegantissime de hac re ex professo scripsit in libro de iis qui mysteriis initiantur cap. 9. vbi sic ait; Forte dicas, Aliud video; quomodo tu mihi asseris, quod corpus Christi accipiam ? Probemus igitur , non hoc esse, quod natura formauit, sed quod benedictio consecravit ; maioremque vim esse benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam ipsa natura mutatur. Deinde adductis variis exemplis aliarum mirabilium conuersionum , vt virgæ in serpentem, & serpentis iterum in virgam, & aquæ fulminum in sanguinem , petræ in aquam ; tandem ita concludit; Quod si tantum valuit humana benedictio, vt naturam cenueret, quid dicimus de ipsa consecratione diuina, vbi verba Salvatoris operantur? Nam sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone concipitur. Quod si tantum valuit sermo

Heliæ

Hoc est, ut ignem de cœlo deponeret, non valebit sermo Christi, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legistis, quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit de nihilo facere, quod non erat; non potest ea qua sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus est nouas res dare, quam mutare naturas. Sed quoad argumentis utimur: suis utamur exemplis, incarnationisque astruamus mysterij veritatem. Nunquid natura usus præcessit, cum Iesus Dominus ex Maria naseceretur? si ordinem querimus, viro nupta fœmina generare consuerit: Et hoc, quod conficimus, corpus ex virgine est. Et cætera quæ sequuntur in eandem sententiam.

4 Gregorius Nyssenus in oratione cæchetica c. 37. *Rectè nunc quoque credo, Dei verbo sacrificatum panem in Dei verbi corpus transmutari.* August. serm. 28. de verbis Domini; *Ante verba Christi, quod offertur, panis dicitur: ubi Christi verba de prompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur.* Et apud Gratianum de consecrat. dist. 2. can. Vtrum; *Corpus Christi & sanguis, virtute Spiritus sancti, ex panis & vini substantia efficitur.* Et can. Nos autem; *Fideliter fatemur, ante consecrationem panem esse & vinum, quod natura formauit: post consecrationem vero, carnem Christi & sanguinem esse, quod benedictio consecravit.* Cyprianus sermone de cœna Domini; *Panis iste, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus est caro.*

5 *Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 4. mystagogica; Aquam mutauit in vinum in Cana Galileæ sola voluntate; & non erit dignus, cui credatur, quod vinum in sanguinem transmutarit?* Si enim ad nuptias corporis in uitatus stupendum miraculum operatus est; cur non multo magis corpus & sanguinem suum, filiis sponsi dedisse consuebitur? Nempe sub specie panis datur tibi corpus; sub specie vini, sanguis Christi. Etiam si sensus tibi aliud renunciet, fides tamen te confirmat.

6 *Damascenus lib. 4. cap. 14. Quemadmodum naturali-*

ter panis per cibum, & vinum per potum, in comedentiis ac bibentiis corpus & sanguinem mutantur: sic propositionis panis ac vinum, per Spiritus sancti invocationem & aduentum, mirabili modo in Christi corpus & sanguinem vertuntur. Et Chrysostomus Hom. 83. in Matthaeum; Qui haec in altari sanctificat & transmutat, ipse Christus est, qui olim in cena operatus est.

7 Theophilactus in c. 6. Ioannis; Attende, quod panis, qui a nobis in mysteriis manducatur, non est tantum figuratio quæd. in carnis Dei, sed ipsa caro Domini. Non enim dixit; Panis quem ego dabo, figura est carnis meæ; sed caro mea est. Transformatur enim panis, arcana verbis per mysticam benedictionem, in carnem Domini.

8 Gaudentius in tractatu de Paschate; Dominus qui producit de terra panem, de pane rursus, quia potest & promisit, efficit proprium corpus. Et qui de aqua vinum fecit, de vino etiam facit sanguinem suum. Vide similia apud Bedam in libro de mysteriis Missæ, Anselmum in epistola de corpore & sanguine Domini, Bernadum in sermone de cena Domini; & alios passim.

9 Porro, fundamentum huius doctrinæ de conuersione substatiæ panis in corpus Christi, sumitur ex illis verbis, *Hoc est corpus meum*. Hinc dupliciter possumus argumentari. Primo, contra Lutheranos, ex ipsorum concessione. Illi enim cōcedunt, Christum accepto pane dixisse. *Hic panis est corpus meum*. Vbi hoc intelligunt de pane mutato in corpus Christi, vel de pane, ut panis est. Si de pane mutato, iam nobiscum sentiunt. Si de pane, ut panis, iam falsa est eorum propositio. Non enim panis triticeus propriè est caro Christi; sicut nec vinum est propriè sanguis Christi. Nisi accurrat iterum Debelius, & dicat; *Panis est Sacramentaliter Caro, & vinum est Sacramentaliter sanguis*. Sed hoc Calvinisticum est, ut dixi, & ab ipsis Lutheranis pridem explosum.


10 Deinde, possumus absolute argumentari hoc modo, Hoc quod sub his accidentibus continetur, est verū corpus Christi: Ergo non est verus panis triticeus. Debelius negat consequentiam. Ratio ipsius est, quia duo continentur sub illis accidentibus, nempe substantia panis & corpus Christi; ac proinde utrumque vere dicitur, *Hoc est corpus Christi, & Hoc est panis triticeus*. Nam sensus est; Hoc, quod sub his accidentibus continetur, non solum est panis, sed etiam corpus Christi. Sed facile hoc figmentum refellitur ex ipso Debelio. Nam ipse cum aliis Lutheranis dicit Christum accepisse & fregisse verum panem, & de illo jam fracto dixisse. *Hoc est corpus meum*. Ergo pronomen, *Hoc* non sumitur pro complexo ex pane & corpore Christi, sed pro solo pane. Non enim Christus accepit & fregit complexum ex pane & corpore Christi, sed solum panem, ut ipsi contra nos contendunt.

11 Accedit hæc ratio. Quando duæ substantiæ sunt in eodem loco, quarum una videtur per propria accidentia, quæ ipsi inhærent; altera est inuisibilis & latens; tunc, qui demonstrat contentum sub accidentibus, non designat substantiam inuisibilem & latenter, sed substantiam, cui illa accidentia inhærent, præsertim si propriè loquatur, & non figuratè. Hoc patet in exemplo familiari. Substantia diuina est inuisibiliter & latenter præsens cum substantia panis. Si quis ergo haberet panem in manu, & demonstratis accidentibus illius diceret, *Hoc est substantia diuina*; nec rectè, nec ad captum hominum loqueretur; quia licet diuina substantia sit præsens, non tamen demonstratur per illa accidentia, quæ pani inhærent. Similiter quando corpus Christi penetratiuè fuit in lapide sepulchri, si quis ostenso lapide dixisset, *Hoc est corpus Christi*, non rectè & propriè dixisset; quia illa accidentia designabant lapidem,

cui

cui inhārebat; non autem Christum, qui tantum concomitanter erat ibi. Eodem ergo modo, si panis cum suis accidentibus esset visibiliter in Eucharistia, & simul inuisibili modo adesset corpus Christi; non propriè diceremus, *Hoc est corpus Christi*, quia illud pronomen, *Hoc*, designaret proximum contentum sub accidentibus, quod non esset corpus Christi, sed substantia panis.

12 Sed obiiciunt Lutherani; Eucharistia vocatur panis, etiam post consecrationem, ut patet ex illo 1. Cor. 10.16. *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Et cap. 11.26. *Quotiescumque manducabis panem hunc.* Ergo reuera manet panis in Eucharistia; ac proinde nulla sit transubstantiatio. Respondeo. Lutherani contra se pugnant. Nam hæc verba, *Hic panis est corpus meum*, possunt tripliciter explicari. Primo, *Hic panis est figura corporis mei.* Secundo, *Hic panis mutatus, est corpus meum.* Tertio, *Hic panis non mutatus, est corpus meum.* Prima explicatio est Caluinistica; altera Catholica; tertia apertè falsa. Eligant Lutherani, quam volunt. Reliqua, quæ de transubstantiatione dici poterant, infra tractabimus, in explicanda Catholicorum sententia, cap. 2.



DE COENA, SEV POTIVS Eucharistia Catholicorum.

REPUTATIS Caluinistis & Lutheranis, Catholicorum sententia explicanda est, de his quinque capitibus supra recensitis. 1. an Christus sit præsens per transubstantiationem. 3. quamdiu maneat ibi præsens. 4. an sit totus præsens secundum substan-

substantiam & accidentia. 5. an dum ibi præsens est, possit ac debeat adorari. Et ne molestus sim, nihil repetam eorum, quæ dicta sunt in superioribus. Quæ ibi omessa sunt, breuiter explicabo.

C A P V T I.

An Christus sit præsens in Eucharistia?

Catholici docent in Concilio Tridentino sess. 13. Christum verè, realiter & substantialiter præsentem esse, non solum in cœlo, sed etiam in Sacramento Eucharistiae. Vnde agnoscunt duas præsentias. Vnam vocant Sacramentalem, qua Christus verè, realiter & substantialiter præsens est in Eucharistia, modo quodam indiuisibili, & sine extensione locali. Alteram naturalem, seu quantitatuum, qua verè, realiter & substantialiter præsens est in cœlo, modo quodam diuisibili, & cum extensione locali. Hæc breuiter explicanda sunt hoc ordine. 1. quid sit præsentia Sacramentalis. 2. quomodo differat à naturali, seu quantitatua. 3. an dependeat à naturali. 4. an fieri possit, ut corpus sit alicubi præsens indiuisibiliter, & sine extensione locali. 5. an fieri possit, ut idem corpus sit præsens in duobus locis. 6. an idem corpus existens in duobus locis, habeat utrobique easdem formas, siue substanciales, siue accidentales. 7. an si mutetur in uno loco, mutetur etiam in alio.

I. *Quid sit præsentia Sacramentalis.*

Corpus Christi in Eucharistia habet quoddam esse Sacramentale, in quo multa spectari possunt. 1. præsentia in loco. 2. præsentia cum speciebus consecratis. 3. uno cum iisdem speciebus. 4. modus existendi

indi

indivisibiliter, & sine extensione locali. De singulis breuerter dicendum.

3. Praesentia corporis Christi in loco seu spacio (in quo sunt species consecratæ) est accidens quoddam reale, distinctum ab omnibus accidentibus quæ Christus habet in cœlo; & propriè reuocari potest ad prædicamentum Vbi; & acquiritur per illam actionem realē, qua Christus constituitur præsens in Eucharistia; & rursus amittitur, quando Christus definit esse in Eucharistia. Porro, in hac præsentia fundantur veræ relationes reales, præsertim propinquitatis & distantiae. Christus enim existens in altari, realiter est nobis propinquior, quam ante consecrationem; & realiter magis distat ab uno, quam ab altero, prout quisque magis vel minus ad altare accedit.

4. Præter hanc præsentiam Christi in loco, datur alia præsentia cum speciebus consecratis, quæ ab illa dupliciter distincta est. Primò, quia una potest mutari sine alia. Nam quoties transfertur hostia de loco in locum, toties mutatur præsentia Christi cum speciebus consecratis. Contra verò si species consecratæ destruerentur, posset Christus manere præsens in loco (si Deus vellet) non tamen maneret præsens cuia speciebus. Secundò, quia præsentia Christi in loco, est reale accidens, quo illi positivè inhæret. At præsentia Christi cum speciebus, non est aliud, quam indistantia à speciebus. Dices; præter indistantiam, videtur etiam includere vniōnem cum speciebus; sicut præsentia animæ cum corpore, non solum dicit indistantiam, sed etiam vniōnem cum corpore. Respondeo cum distinctione. Vel enim sermo est de vniōne locali, vel de quavis alia: localis vnio non distinguitur ab indistantia. Nam hoc ipso, quod una res non distat localiter ab altera, censemur esse coniuncta seu ynitæ localiter.

ter. Aliæ vniones, præter localem, non includuntur in ratione præsentia, & ab ea se iungi possunt. Nam anima potest esse præsens corpori sine vnione; Angelus custos est præsens homini sine vnione. Igitur præsentia corporis Christi cum speciebus consecratis, intrinsecè non includit ullam vnionem præter localem, quæ est idem, quod indistinctia. An autem adiunctam habeat aliquam vnionem, quæ tamen illi intrinseca non sit, iam dicemus.

¶ Triplex vnio fingi potest inter corpus Christi & species consecratas, præter localem. Prima Sacramentalis, qualis est inter signum & rem signatam. Secunda, formalis physica, qualis est inter materiam & formam, inter substantiam & accidens, inter humanitatem Christi & personam verbi. Tertia, effectiva Physica, qualis est inter magnetem & ferrum. De Sacramentali non est controversia. Constat species panis & vini esse signum sensibile; & corpus ad sanguinem Christi esse rem signatam. De formalis est quæstio. Aliqui illam admittunt. Ratio est, quia motis speciebus, simul mouetur corpus Christi: Hoc autem non fieret, nisi esset realis vnio inter utrumque. Nam hic motus, ex sola præsentia causari non potest. Non enim necessariò mouetur Angelus moto homine, cui præsens est. Potest autem causari ex sola vnione. Nam anima necessariò mouetur, moto corpore, cui unita est. Eodem modo licet argumentari ex corruptione. Corruptis enim speciebus Sacramentalibus, statim definit ibi esse corpus Christi. Nec potest esse alia causa, nisi quia amittit uniem cum speciebus. Mihi tamen hæc sententia non probatur. Si enim esset talis vnio, vel esset substantialis, vel accidentalis. Neutrum dici potest. Non prius, quia vnio substantialis ordinatur ad terminum substantialem. Coniungit enim duo extrema ad componendum vnam

vnam substantiam; sicut vnio materiæ & formæ componit vnam naturam substantialem; & vnio naturæ & subsistentiæ, constituit vnam personam seu suppositum. Atqui verò ex corpore Christi & speciebus consecratis non potest componi vna substantia, siue per modum naturæ, siue per modum personæ: Ergo inter corpus Christi & species consecratas non potest esse vnio substantialis. Nec posterius, quia species non possunt accidentaliter vniuersi corpori Christi, nisi per inhærentiam; at non inhærent illi: Ergo non vniuentur illi accidentaliter. Argumentum contrarium paulo post soluetur.

6 De effectuua vnione est similiter dissensio. Aliqui, seclusa vnione formalí, putant hanc necessariam esse; & quidem mutuam ex utraque parte, ita ut corpus Christi effectiuè trahat ad se species, & vicissim species trahat ad se Corpus Christi. Hoc sic probant. Primum quia species panis & vini non separarentur à pane & vino, nisi corpus Christi effectiuè illas ad se traheret, & sine subiecto conseruaret. Secundò, nec corpus Christi, quod antea tantum erat in cœlo, fieret præsens speciebus panis & vini in altari, nisi ab ipsis effectiuè eo traheretur. Hinc ulterius inferunt, idèo corpus Christi, motis speciebus, moueri localiter, quia species effectiuè secum trahunt corpus Christi. Et similiter, idèo corpus Christi corruptis speciebus, amittere præsentiam Sacramentalem, quia non amplius conseruatur in Sacramento à speciebus, sicut antea conseruabatur. Sed neque hæc sententia commodè defendi potest. Ratio est, quia totum Sacramentum Eucharistiae, quatenus constat ex corpore Christi & speciebus consecratis effectiuè conficitur vi consecrationis, ut omnes Theologi fatentur: Ergo vi consecrationis, species panis & vini separantur à subiecto, & corpus Christi

Christi sit præsens specieb. Ergo non per vnionem effectiuam. Confirmatur quia hæc vnio effectiuæ seu potius actio vnitiuæ, vel est de essentia huius sacramenti; vel est aliquid antecedens, vel aliquid subsequēs. Si est de essentia sacramenti, sequitur hoc sacramentum non confici per verba cōficationis, quod tamē est falsum. Sequela patet, quia actio vnitiuæ, quæ ponitur pertinere ad essentiam huius sacramenti, non conficitur per verba consecrationis, sed è corpore Christi & speciebus consecratis. Si antecedit sacramentum, & consequētæ consecrationem; iam ante consecrationem erit corpus Christi coniunctum cum speciebus & species separata à subiecto, quod nemo dixerit. Si sequitur, iam post cōficationem fiet separatio specierum à subiecto, quæ tamen ex communi sententia ponitur fieri vi consecrationis. Nullo igitur modo defendi potest hæc actio vnitiuæ, prout antea descripta est.

7 Dices, si neque vnio formalis, neque effectiuæ admittitur; vnde ergo fit, quod, motis speciebus, moueatur corpus Christi; & corruptis speciebus, desinat esse corpus Christi in sacramento. Respondeo. Hoc fit ex vniōne sacramentali & pacto diuino. Deus enim sic instituit hoc mysterium, ut velit species panis & vini, facta cōficatione, infallibiliter repræsentare Christum præsentem. Vnde, stante hac voluntate Dei efficaci, necesse est, motis speciebus simul moueri corpus Christi; & corruptis speciebus desinere corpus Christi in hoc mysterio. Hinc soluitur illa quæstio, quam Scholastici disputant, à quo effectiū moueatur corpus Christi in Eucharistia? an ab eo qui mouet hostiam? an à seipso? an ab aliquo alio? Respōsio est, nō aliud, quā à solo Deo.

8 Hactenus tria priora explicata sunt, nempe præsentia Christi in loco, præsentia Christi cum speciebus consecratis, & vnio ipsius cum iisdem. Nunc quartum

superest, nempè modus existendi indiuisibiliter. Is sic explicari potest. In quantitate est duplex extensio: Vna in toto; altera in loco. Prior extensio pertinet ad essentiam quantitatis; posterior est proprietas illius, quæ separari ab ea potest. Hinc fit, vt corpus, quod habet in se quantitatem, consequenter habeat duplucem extensionem: Vnam, qua in seipso; alteram, qua in loco est extensum. Vnde sequitur, si à quantitate per diuinam potentiam auferretur posterior extensio, salua priori, fore, vt corpus, licet in seipso extensum, non tamen haberet extensionē localem, sed quasi indiuisibiliter existeret in loco, ita vt totum esset in toto, & totū in qualibet parte. Hoc autem factum est in hoc mysterio. Nam corpus Christi, quod in se diuisibile ac extensum est habens omnia membra inter se ordinata & distincta, existit indiuisibiliter in sacramento id est, totum in tota hostia, & totum in qualibet parte hostiæ. Atque hinc patet differentia inter hunc modum, quo Christus indiuisibiliter est in sacramento, & inter modum, quo Deus indiuisibiliter est in mundo, & Angelus indiuisibiliter in loco, & anima rationalis indiuisibiliter in corpore. Nam Deus, Angelus, & anima, non solum carent extensione locali, sed etiam interna; At corpus Christi habet internam extensionem, quamvis localem non habeat. Vide infra §. 15. & sequentibus, vbi disputandum est, an possibile sit, quod hic factum supponimus. Et hæc de præsentia sacramentali. Sequitur altera quæstio.

I.I. Quomodo præsentia Sacramentalis differat à naturali seu quantitativa?.

Dixi Christum habere duas præsentias: Vnam sacramentalem in Eucharistia; de qua iam actū est;

est: alteram naturalē seu quantitatiū in cœlo. Hæ duæ partim inter se conueniunt , partim differunt. Conueniunt in tribus. Primò, quod vtraque sit accidens reale inhærens corpori Christi. Secundò, quod vtraque produci possit per realem actionem: naturalis quidem per motum localem , sacramentalis autem per actionē ad ductiuam, de qua infra. Tertiò, quod vtraque sit fundamen tum propinquitatis & distantiæ. Differunt etiam in tribus. Primò, quod præsentia naturalis habeat duplē extensionem: vnam ex parte subiecti; alteram ex parte loci seu spacij. At præsentia sacramentalis, licet extensa sit ex parte subiecti, non tamen ex parte spacij. Secundò, quod corpus Christi per naturalem præsentiam ita occupet & repleat locum, in quo est , vt inde excludat quāmuis aliam quantitatē naturali modo existētem. Non enim naturaliter dari potest penetratio quantitatū. Hoc autem non sit per sacramentalem præsentiam. Nam corpus Christi in sacramento patitur secum in eodem loco quantitatē panis. Tertiò, corpus Christi per naturalem præsentiam coextendit loco, ita ut totum sit in toto, & pars in parte. Hoc etiam non sit per sacramentalem præsentiam. Hæc omnia ex dictis nota sunt.

io Vnum infero; has duas præsentias, etiam essentia liter differre. Primò, quia vna est naturalis; altera supernaturalis. Secundò , quia naturalis essentialiter includit extensionem partium in loco , quam sacramentalis non includit. Quāmuis enim localis extensio non sit de essentia quantitatis (cum à quantitate separari pos sit) est tamen de essentia præsentiae naturalis , quæ sit per quantitatē. Non enim concipi potest, corpus esse naturaliter præsens in loco per suam quantitatē, sine extensione locali.

ii Ex dictis sequitur, quod etiam antea notaui , sa
S 2 cramen

cramentalem præsentiam partim conuenire cum præsentia Angelica; partim ab ea differre. Differt ex parte subiecti; quia præsentia Angelica est in subiecto spirituali & indiuisibili; ac proinde, ipse quoque spiritualis & indiuisibilis est. Præsentia autem corporis Christi in sacramento, sicut est in subiecto materiali & diuisibili, sic ipsa quoque materialis & diuisibilis est. Conuenit tamen ex parte loci, quia utraque constituit suum subiectum indiuisibiliter in loco.

*III. An præsentia Sacramentalis dependeat
à naturali?*

12 **S**ensus est, an si Christus non esset alibi præsens extra sacramentum posset nihilominus esse præsens in Eucharistia? si posset, iam sacramentalis præsentia non dependeret à naturali, si non posset, omnino penderet. Est autem opus distinctione. Nam duplex est dependentia: Vna intrinseca & essentialis; altera accidentaria. Igitur præsentia sacramentalis non pendet intrinsecè & essentialiter à naturali; pendet tamen accidentariè, seu ex arbitrio ac voluntate Dei.

13 Prior pars probatur, quia essentialis seu intrinseca dependentia est duplex. Vna mutua, qualis est inter duo correlatiua, quorum unum essentialiter dependet ab alio. Altera non mutua, qualis est in effectu respectu causæ, non cuiuscunque, sed illius, sine qua talis effectus omnino esse non potest: quo pacto creatura essentialiter dependet à Deo in genere causæ efficientis, & homo essentialiter pendet à corpore & anima in genere causæ materialis & formalis; & modus rei essentialiter pendet à reipsa, cuius est modus in genere causæ quasi materialis seu subiectiæ; & electio mediorum essentialiter pendet ab intentione finis in genere cau-

ſe finalis, Quod ſi effectus pendeat quidem reipsa ab aliqua cauſa, ſed tamen ita ab ea pendeat, vt ſine illa poſſit produci aut conſeruari; iam dependentia non eſt eſſentialis, ſed accidenṭaria; quo pacto homo in ſui productione pendet à generante, & accidens in ſui conſeruatione à ſubiecto; Nam & homo poſteſt produci à Deo ſine generante; & accidens poſteſt conſeruari à Deo ſine ſubiecto. Nunc ſic argumentor; Præſentia sacramentalis non pendet à naturali, tanquam à ſuo correlatiuo, vt per ſe patet; neque pendet ab illa, tanquam à ſua cauſa, ſine qua eſſe non poſſit, vt etiam perſpicuum eſt: Ergo nulla eſt dependentia eſſentialis & intrinſeca.

14 Hinc facilè probatur posterior pars, quia Christus nunc eſt præſens in ſacramento, ex vi illius institutio- niſ, quām ipſe fecit existens extra ſacramen- tum. Ergo præſentia sacramentalis, vt nunc de facto eſt, pendet à Chriſto tanquam authore, existente extra ſacramen- tum. Hæc autem dependentia eſt voluntaria & accidentalis. Po- tuifſet enim Deus alio modo instituere hoc ſacra- mentum, ſi voluifſet. Ergo præſentia sacramentalis pē- det accidentariè, non tamen eſſentialiter & neceſſariò à præſentia naturali. Hinc duo colligi poſſunt. 1. poſſe Chriſtum fieri præſentem in Euchariftia, etiamſi non eſſet præſens in cœlo. 2. poſſe manere præſentem in Euchariftia, etiamſi non maneret præſens alibi. Hæc, inquam, poſſibilia ſunt, ſi ex vna parte ſpectemus abſolutam Dei potentiam; & ex altera præcisè confe- ramus præſentiam ſacramentalem cum naturali. Nam ex neutra parte appetit vlla contradic̄tio.

IV. An fieri posſit, vt corpus fit alicubi præſens, indiuſi-ſibiliter, & ſine extenſione locali?

15 **C**Aluinistæ temerè id negant. Nos afferimus fie-
ri poſſe. Ratio eſt, quam ſupra inſinuaui, quia
quantitas habet duplē extenſionem. Vnam in ſe;
alteram in loco. Prior eſt de eſſentia quantitatis; poſte-
rior eſt proprietas eius. Ergo ſicut eſſentia rei non de-
pendet à proprietate; ſic extenſio in toto, non dependet
ab extenſione locali: Ergo poſteſt corpus manere in ſe
extenſum, ſine extenſione locali. Et conſirmatur à ſimi-
li exemplo. Nam ſicut quantitas habet annexam exten-
ſionem localem per modum connaturalis proprietatis:
ſic etiam habet annexam repugnantiam cum alia qua-
titate in eodem loco. At hæc repugnantia poſteſt tolli
per diuinam potentiam: Ergo & illa extenſio poſteſt
tolli. Minor pater, quia conſtat, ſæpe factam eſſe pene-
trationem duorum corporum in eodem loco; vt quan-
do Christus exiuit ex utero materno, ſaluo claуſtro
virginali: quando ianuis clauſis, ingressus eſt ad Apo-
ſtolos: quando clauſo monumento resurrexit: quando
in die ascensionis cœlos penetrauit.

16 Contra hanc doctrinam nihil ſolidi adferunt Cal-
uinistæ. Solum corradunt obiectiones quasdam ex li-
bris Catholicorum, quas relictis solutionibus, obtru-
dunt ſuis auditoribus; tanquam à ſe inuentas, & ſic mi-
ferè eos decipiunt. *Prima eſt;* Quidquid eſt indiuſibile
& inextenſum in ſe, non poſteſt eſſe diuinib[ile] & ex-
tenſuē in loco, vt paret in Angelo & anima rationali:
Ergo à contrario, quidquid eſt diuinibile & extenſum
in ſe, non poſteſt eſſe indiuſibile & inextenſe in loco:
Sed corpus quantitate affeſtum eſt diuinibile & exten-
ſum in ſeipſo: Ergo non poſteſt indiuſibile & inextenſe

tensè esse in loco. Respondeo. Non est simile. Nam extensio rei in loco, necessariò supponit extensionem rei in se; & ideo impossibile est, aliquam rem esse extensam & diuisibilem in loco, quæ est indiuisibilis in se; cuiusmodi cest Angelus, vel anima rationalis. Fieri enim non potest, vt aliqua res habeat partes in loco, si non habeat partes in se. Contra verò, extensio rei in se non supponit extensionem rei in loco, cum extensio localis sit aliquid posterius, sine quo prior extensio possit consistere. Vnde fieri potest, rem aliquam extensam esse in se non tamen in loco extensam.

17 *Secunda Obiectio.* Quantitas non potest concipi in rerum natura sine figura, quia figura est intrinsecus terminus quantitatis: Nec figura potest concipi sine extensione locali, quia consurgit ex tali extensione, & quotiescumque mutatur extensio localis, necessariò mutatur figura, & similiter ablata extensione locali necesse est auferri figuram. Sicut ergo impossibile est, quantitatem esse sine figura, ita impossibile est, eam esse sine extensione locali. Respondeo. Sicut duplex est extensio quantitatis, ita duplex figura. Una organica, quæ pendet ab extensione quātitatis in se: Altera localis seu situialis, quæ pendet ab extensione locali. Christus in Eucharistia habet organicam, non localem. Hoc declarari potest exemplo manus, quæ toties mutat figuram localem, quoties mutat extensionem localem. Nam aliam habet figuram, quando plicatur; aliam, quando expanditur. Semper tamen retinet eandem figuram organicam.

18 *Tertia Obiectio.* Si corpus Christi esset indiuisibiliter in hostia, iam omnes partes corporis essent inter se confusæ, & non magis distaret pes è capite; quam à femore, quod est absurdum. Sequela patet, quia partes essent simul in qualibet parte hostiæ, etiam in indi-

uisibili puncto; ac proinde nulla esset inter illas distan-
tia, sed omnes essent æquè inter se propinquæ. Quod
autem hoc absurdum sit, patet, quia est contra natura-
lem compositionem corporis. Hæc enim requirit cer-
tum membrorum ordinem ac dispositionem, quæ
non potest consistere cum illa partium omnium inter
se confusione. Respondeo ut ante. Duplex est distan-
tia: Vna quantitativa; altera localis seu situalis, prior
sequitur ex intrinseca extensione, quam quantitas ha-
bet in se, & consistit in eo, quod inter partes distan-
tes tanta quantitas intercedat, & cum tanta densitate
vel raritate, quanta sufficit ex natura rei ad occupan-
dum tantum spatium. Posterior sequitur ex locali ex-
tensione, & consistit in eo, quod partes corporis actu
occupent partes spatij inter se distantes. Si ergo sermo
sit de priori distantia, sic partes corporis Christi non
æquè distant inter se. Si de posteriori, sic æquè di-
stant, quia omnes sunt indivisibiliter præsentes eidem
spatio. Hinc rectè dixit Hilarius; *Vbi est pars, ibi est to-
tum*, ut habetur apud Gratianum cap. *Vbi de confe-
rat.d.2.*

19 *Quarta Obiectio.* Si corpus divisibile esset indivisi-
biliter in loco, posset dividiri in omnem suam partem,
quod tamen est impossibile. Sequela patet, quia cum
in se maneat intrinsecè divisibile & extensum poterit
à Deo dividiri. Cum verò indivisibiliter existat, poterit
secundum omnes suas partes existere in puncto divisi-
bili: Ergo si fiat divisione per illud punctum, in quo
omnes partes simul sunt, sicut divisione per singulas partes
ibi existentes. Hoc autem est impossibile. Vel enim sin-
gulæ partes illæ, facta divisione, sunt adhuc divisibiles
vel indivisibilis. Si divisibiles, iam non singulæ actu di-
visæ sunt, quod est contra suppositionem. Si indivisibi-
les, iam quantitas continua componetur ex indivisibi-
libus,

libus, quod est absurdum. Respondeo. Duplex est diuisio corporis seu quantitatis. Vna sit ferro, vel aliquo instrumento materiali. Hoc modo non potest diuidi corpus indiuisibiliter existens in puncto; & multo minus diuidi potest ipsum punctum, quod omnino est indiuisibile. Altera sit à Deo per separationem vnius partis ab alia. Hoc modo corpus indiuisibiliter existens in puncto diuidi potest, quia Deus potest alias partes separare à corpore, & in alio loco constituere.

20 Hæ & similes obiectiones, partim ingenij exercendi, partim illustrandæ veritatis gratia, proponuntur, & agitantur in scriptis Catholicorum; ac deinde solutiones subnectuntur. Calvinistæ, ut paulo ante monui, dissimulatis solutionibus, argumenta suffurantur, & in suos commentarios transcribunt. Vbi candor? vbi fides? Sed benè habet, quod pridem in hoc flagitio, & quidem sèpè deprehensi sunt. Videamus cætera.

3. An fieri possit, ut idem corpus sit præsens in duobus locis?

21 I Terum negant Calvinistæ. Catholici vtuntur distinctione. Dicunt naturaliter fieri non posse; supernaturaliter posse. Hoc multis argumentis probant. 1. Quidquid non implicat contradictionem, hoc à Deo fieri potest: at non implicat contradictionem, ut idem corpus sit in diuersis locis; nec aduersarij potuerunt haec tenus ostendere ullam contradictionem: Ergo à Deo fieri potest. 2. Non est impossibile, ut una eademque essentia sit simul in distinctis personis; ut una persona terminet distinctas naturas; ut idem homo sit in distinctis temporibus, semel in principio mundi, & iterū post resurrectionem mortuorum; ut unus locus capiat distincta corpora per penetrationem: Ergo etiam non est impossibile, ut idem corpus sit in distinctis locis. Nam

illa priora non minus superant captum nostrum, quam
hoc posterius. Si ergo illa creduntur possibilia, cur si-
militer hoc possibile non sit? 3. Facilius est intelligere,
Christum esse in cœlo & in Eucharistia, quod nos asse-
rimus, quam intelligere, Christum non alibi esse, quam
in cœlo, & nihilominus esse in Eucharistia, quod alle-
runt Caluinus & Beza: Si ergo hoc putant esse possibi-
le, cur illud dicunt impossibile?

22 Accedit efficax ratio ex scripturis. Concedunt
Aduersarij, Christum post ascensionem semper fuisse
& mansurum esse in cœlo vsque ad diem iudicij: Atqui
post ascensionem bis apparuit D. Paulo in terra: Ergo
tunc fuit simul in cœlo & in terra: Ergo non est impos-
sibile idem corpus simul esse in diuersis locis. Minor
patet, quia semel apparuit in illa via cum iret Damas-
cum & semel in castris, cum à militibus custodiretur.
Prior apparitio describitur Act. 22. 6. Factum est autem,
eunte me, & appropinquare Damasco media die, subito circum-
fusit me lux copiosa, & decidens in terram, audiui vocem di-
centem mihi, Saule, Saule, quid me persequeris: Et infra v. 14.
de eadem apparitione loquitur Ananias ad Paulum,
*Deus Patrum nostrorum praordinauit te, ut cognosceres vo-
luntatem eius, & videres iustum, & audires vocem ex ore eius.*
Et cap. 26. 16. Christus ad Paulum; *Exurge & sta super
pedes tuos. Ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te mini-
strum & testem eorum, quæ vidisti.* Posterior apparitio ha-
betur Actor. 23. 10. Cum magna dissensio facta esset, timens
Tribunus, ne disciperetur Paulus ab ipsis, iussit milites descen-
dere, & rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in castra.
Sequenti autem nocte assistentii Dominus ait; *Constans es.
Sicut enim testificatus es de me in Ierusalem: sic te oportet &
Rome testificari.*

23 Vides, Christum bis Paulo apparuisse; & utraque
vice hortatum esse, ut esset testis resurrectionis Christi.

Vnde

Vnde ipsemet Paulus i. Cor. i. ait. *Nonne Christum Iesum, Dominum nostrum vidi?* Et cap. 15.5. *Tradidi vobis, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, & sepultus est, & resurrexit tertia die: Et visus est Cepha, & post hoc undicim. Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul; deinde Iacobo; deinde Apostolis omnibus.* *Nouissime autem omnium tanquam abortiuo visus est & mihi.* Concludo Christum eodem tempore & fuisse in cœlo ad dexteram Patris, & apparuisse Paulo in terris, ac proinde, non esse impossibile, ut idem corpus sit simul in diuersis locis.

24 Caluinistæ, ut solent in re desperata, conatur hæc omnia eludere. Aliqui dicunt, Paulum non vidisse Christum in propria persona, sed in specie aliena, nec audiuisse vocem ex ore Christi, sed vocem quandam diuinitus factam in aëre, qualis fuit vox Dei Patris super Christum in Iordanè, & in monte Thabor, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui,* Sed facilimè refelluntur. Primò, ex illis verbis Ananiae, *Deus Patrū nostrorum preordinavit te, ut videres iustum, & audires vocem ex ore eius,* Vbi illa particula, *Ex ore eius,* apertè conuincit, non fuisse vocem diuinitus in aëre factam, sed ex ore Christi profectam. Secundò, quia Paulus ex illa visione, quia Christus tum ipsi, tum aliis apparuit post mortem, vult probare, Christum verè resurrexisse à mortuis, & se cum aliis oculatum esse testem illius rei. Hoc autem argumentum esset infirmissimum, si Christus in aliena tantum specie, & non in propria persona apparuisset. Alioqui, quoties defunctorum imagines aut spectra apparent, liceret affirmare, eos verè à mortuis resurrexisse, quod est ridiculum.

25 Alij dicunt, Paulum vidisse quidem Christum in propria persona; non tamen in terra, sed in cœlo apparentem, quo pacto Stephanus eum vidisse legitur Actorum 7.6, vbi ait, *Ecce video cœlos apertos, & filium homi*

hominis stantem à dextris Dei. Ita Caluinus lib.4.institut. cap.17. §.29. Sed refello Caluinum ex Caluino. Nam alibi docet, frustra sanctos à nobis inuocari, quia non habent, inquit lib.3.cap.20. §.24. tam longas aures, quæ ad voces nostras porriganter; nec oculos tam perspicaces, qui necessitatibus nostris aduigilent. Quomodo ergo Paulus habuit tam longas aures, & oculos tam perspicaces, ut cœlos penetrarent, & ibi Christum viderent & audirent? Ego quidem nihil dubito, quin hoc fieri possit: Solùm noto inconstantiam Caluini, qui quod uno loco negat, alio affirmat.

26 Deinde, contra Caluinum produco illa verba paulo ante citata; sequenti nocte assistens ei Dominus ait, *conſtantſtās eſtō.* Certè si Christus Paulo assistebat, in terra fuisse necesse est, ubi Paulus erat. Non enim unus alteri dicitur assistere, nisi propè sit. Si ergo Christus fuisset in cœlo tantum, & Paulus in terra; quomodo alter alteri potuisset assistere? Accedit, quod scriptura nullo verbo insinuet Christum in cœlo apparuisse; sæpe autem insinuet, in terra apparuisse. Sic enim loquitur Ananias Actor.9.17. *Salve frater, Dominus misit me Iesuſ, qui apparuit tibi in via.* Non dicit, *qui apparuit tibi in cœlo,* sed *in via.* Et cap.22.6. *Subito circumfulſit me lux copiosa.* Vnde illa lux, nisi à corpore Christi glorioſo? Sicut ergo lux erat circa Paulum, ita verisimile est, Christum non longe abfuſſe. Omitto alias circumstantias, quæ ex textu poſſunt colligi.

27 Nunc videamus obiectiones Caluinistarum. Prima illorum propria est, ac proinde parui momenti; reliquas è Catholicorum disputationibus suffurati sunt. Est autem prima huiusmodi; Angelus Matthæi 29. 5. dicit: *Scio quod Iesuſ queritis. Non eſt hic, surrexit enim.* Hinc inferunt, idem corpus non poſſe simul eſſe in sepulchro & extra sepulchrum. Nam Angelus sic argumen-tatur,

tatur, Christus surrexit ex sepulchro: Ergo non est in sepulchro: frustra ergo illum hic quæratis. Quæ argumentatio non valeret, si idem corpus possit simul esse in diuersis locis. *Respondeo.* Certum est Angelum bene, Calvinistas male argumentari. Angelus enim argumentatur ad mentem mulieram, cum quibus loquebatur. Illæ quærebant corpus Christi mortuum in sepulchro, ut illud vngererent. Respondit ergo Angelus, non amplius ibi esse Christum mortuum, sed iam à mortuis surrexisse, sicut se facturum prædixerat. *Quod Angelus candidè ac simpliciter dixit, hoc Calvinistæ versutè trahunt in aliud sensum, quasi dixisset; Impossibile est, ut idem corpus sit in diuersis locis: Christus extra sepulchrum est: Ergo in sepulchro esse non potest.* Nugæ sunt. Non disputat Angelus cum mulieribus subtiliter, ac philosophicè, sed vulgari modo cum illis agebat. Périnde ac si ego alicui sciscitanti & quærenti dicerem; *Quæris Petrum? Non est domi: iam nunc ad templum egressus est.*

28 *Secunda Obiectio.* Si vnum corpus posset simul esse in duobus vel pluribus locis, eadem ratione posset esse in omnibus, & consequenter vbique: at soli Deo conuenit esse vbique. Hinc patres probant contra Macedonianos, Spiritum sanctum esse Deum, quia est ubique. Similiter contra Eutychetem, humanam Christi naturam non esse confusam cum diuina, quia diuina est ubique, non autem humana. *Respondeo.* Duplex est differentia inter Deum, & creaturam, quoad existentiam in loco. *Vna,* quod Deus de facto sit ubique, non autem creatura. *Altera,* quod Deus necessariò & naturaliter sit ubique per intrinsecam & increatam immensitatem; ac proinde non possit non esse ubique. Hoc de creatura dici non potest. Patres ergo iuxta ptiorem differentiam argumentantur. Nam si solus Deus de facto

facto est ubique, certè Spiritus sanctus conuincitur esse Deus, quia est ubique; Et Christi humanitas conuincitur non esse confusa cum diuinitate, quia non est ubique. Quod si Deus poneret aliquod corpus in omnibus locis, iam quidem de facto esset ubique, non tamen naturaliter & per intrinsecam immensitatem: sed contingenter, & per replicationem.

29 *Tertia Obiectio.* Si idem corpus esset in duobus locis, iam esset simul vnum & multa. Nam corpus, ut est in terra, non continuatur cum eodem, ut est in cœlo. Ergo est diuisum: Ergo non est vnum. Et tamen ponitur esse vnum: Ergo est vnum & non vnum, quæ est aperte contradictio. *Respondeo.* Ex dupli locali præsentia eiusdem corporis, non sequitur, idem corpus in se esse diuisum: sed præsentias inter se diuisas & distinctas inesse eidem corpori. Hoc autem non est cōtra rationem vnius ex parte subiecti, sed ex parte præsentiae localis. Nos autem non dicimus, esse vnam præsentiam localem, sed esse duas in uno subiecto. Quod autem obiicitur, corpus existens in terra, non continuari cum eodem existente in cœlo, ac proinde diuisum esse: hoc verum est ratione præsentiae localis, non autem ratione corporis secundum se. Est enim vnum individuum corpus, quod habet duas præsentias locales, non continuatas, ac proinde diuisas. Hinc etiam soluitur, quod alij obiiciunt, fore ut idem à seipso distaret. Nam idem distaret à seipso secundum diuersas præsentias, non autem secundum entitatem suam præcisè sumptam.

30 *Quarta obiectio.* Si idem corpus posset esse in duabus locis, posset etiam bis esse in eodem loco, cum sit par ratio: At consequens falsum est: Ergo & antecedēs. *Respondeo.* Aliqui negant consequentiam, quia plura accidentia specie differentia possunt esse simul in eodem subiecto.

Subiecto, non tamen plura solo numero differentia. Potest ergo idem corpus habere simul plures praesentias in diuersis locis, quia illae praesentiæ differunt specie; non tamen plures praesentias in eodem loco, quia illæ differunt solo numero. Alij tamen concedunt, duo accidentia solo numero differentia posse simul esse in eodem subiecto: & consequenter, idem numero corpus posse esse in eodem loco per plures praesentias solo numero differentes. Nec video ullam pugnantiam.

31 *Quinta obiectio.* Idem corpus non potest simul esse in diuersis temporibus: Ergo nec in diuersis locis.
Respondeo. Non est par ratio. Nam quod vnum corpus non possit simul esse in diuersis temporibus, non nascitur ex ipso corpore, sed ex temporibus, quæ non possunt esse simul, cum semper fluant. Non enim fieri potest, ut tempus præteritum, & tempus futurum sint simul. Vnde non est mirum, si vnum corpus non possit simul esse in tempore præterito & futuro. Loca autem non fluunt, sed manent; ac proinde ex parte locorum nihil obstat, quo minus vnum corpus possit esse in duobus locis.

32 *Sexta Obiectio.* Si idem corpus ponatur in duobus locis, & in altero, vel utroque circumscriptiuè, iam erit extra aliquem locum, & non erit extra illum quod implicat contradictionem. Nam quod est circumscriptiuè in aliquo loco, hoc ita circumscribitur illo loco, ut extra illum locum non sit. Si ergo ponatur in duobus locis, iam erit extra illum locum, quo circumscribitur; & sic non erit circumscriptiuè in loco. Erit ergo circumscriptiuè, & non circumscriptiuè, quæ est manifesta contradictione. *Respondeo.* Ut corpus sit circumscriptiuè in aliquo loco, solum requiritur ut commensuretur illi loco, ita ut termini loci & locati sint simul. Non autem requiritur, ut non sit alibi, tanquam in alio loco. Poteſt enim duobus

duobus locis commensurari, quia hoc non implicat.
Sed hinc oritur.

33 *Septima Obiectio.* Corpus existens circumscriptiuè in loco, est æquale loco, teste Aristotele: Ergo si est in duobus locis, est æquale utriusque loco simul: Ergo est maius uno loco seorsim sumpto: Ergo non est illi æquale: Ergo simul est æquale & non æquale, quæ est noua contradictio. *Respondeo.* Corpus existens in duobus locis circumscriptiuè, habet duplice extensionem localem; & per unam est æquale uni loco, & per alteram alterius. Vnde nulla appetit hic contradictio.

34 *Octava Obiectio.* Si idem homo posset esse in duobus locis, sequeretur posse simul vivere & non vivere; calefieri & non calefieri; vulnerari & sanum esse; moueri & quiescere; peccare in uno loco, & bene agere in altero; in uno amare Deum, in altero odiisse; in uno fidelem esse, in altero hereticum; in uno beatum, in altero miserum. *Respondeo* primò generatim cum Augustino lib. 22. de ciuitate Dei cap. 11. *Ecce qualibus argumentis omnipotentiae Dei humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas.* *Respondeo* secundò speciatim ad singula per ea quæ sequuntur.

6 *An idem corpus existens in duobus locis habeat virobiique easdem formas sive substantiales, sive accidentales?*

35 **H**oc dupliciter intelligi potest. Primò, de iis formis, quæ iam ante erant in corpore in uno loco existente, antequam in altero miraculosè poneatur; ut sensus sit, an corpus, quando diuinitus ponitur in secundo loco, necessariò ponatur ibi cum iis formis, quas habebat in priori loco, in quo simul etiam manet? Secundò potest intelligi de iis formis, quæ adueniunt corpore

corpori de nouo, postquam existit in duobus locis, ut sensus sit, an corpus existens in duobus locis, si mutetur in uno necessariò mutetur etiā in altero? De priori sensu hic agimus: de posteriori in sequenti quæstione.

36. Quod ergo ad priorem sensum attinet distingendum est. Nam quædam formæ per se pendent à loco, ut præsentia localis; propinquitas, distantia, situs, aliæ non item, ut quantitas, albedo, scientia, paternitas, filiatio. Nunc sit, *Prima Conclusio*; Quando idem corpus ponitur in duobus locis, necessariò habet diuersas formas prioris generis; ut si Petrus simul existat Romæ & Moguntiæ, habebit diuersas præsentias locales, & sic deinceps. Ratio est clara, quia huiusmodi formæ per se pendent à loco: ergo si loca sunt numero distincta, necesse est formas numero esse distinctas.

37. *Secunda Conclusio*. Quando idem corpus ponitur in duobus locis, si non fiat nouum miraculum, habet utrobique formas posterioris generis; ut si Petrus existens Moguntiæ, ponatur simul Romæ per solam actionem adductiūam, ponetur ibi cum eadem quantitate, & qualitate, quam habet Moguntiæ. Ratio est quia eiusmodi formæ realiter illi unitæ sunt per actualem inherētiam. Hæc autem realis unitio non tollitur per solam actionem adductiūam.

38. Dixi si non fiat nouum miraculum, quia sicut Deus per unum miraculum facit, ut Petrus existat in duobus locis; sic per alterum facere potest, ut in uno loco existens cum calore aut albedine, ponatur simul in alio loco sine calore aut albedine. Potest enim unitem illam, quæ est inter subiectum & accidens dissoluere in uno loco, & saluam conseruare in altero; cum nulla hic appareat contradic̄tio. Dices. Imò appetat manifesta contradic̄tio, quia si hoc fieret, sequeretur Petrum simul esse calidum & non calidum, simul album & non

album. *Respondeo.* Hoc solum sequeretur, Petrum esse calidum in uno loco, & non calidum in altero. Hæc autem non est contradic̄tio, quia non est eiusdem de eodem secundum idem. Itetum virgebis? quia calor non dependet à loco: Ergo prædicatur de Petro, abstracthendo à loco: ergo nihil ad rem facit, siue Petrus sit in uno loco, siue in duobus: ergo sicut implicat contradictionem, Petrum in uno loco esse calidum, & in altero non calidum. *Respondeo.* Dupliciter intelligi potest, calorem non pendere à loco. *Primo*, quod per se non pendeat à loco, & hoc verum est. *Secundo*, quod non requirat præsentiam localem, quando in aliquo loco inhæret suo subiecto, & hoc falsum est. Nam si calor debeat inhærere Petro in duobus locis existenti, necesse est, ut sicut Petrus habet duas præsentias locales, sic etiam calor, qui illi inhæret in vitroque loco, habeat duas præsentias locales. Vnde apparet, nullam esse contradictionem, si dicamus Petrum in uno loco esse calidum & non in altero, quia in uno calor præsens est, & non in altero.

7. An idem corpus existens in duobus locis, si mutetur in uno, mutetur etiam in altero?

39. **D**icam primò de mutatione locali. 2. de alteratione corporis, cuiusmodi est Calefactio. 3. de augmentatione & nutritione. 4. de corruptione vel morte. 5. de actionibus vitalibus, quæ fiunt per sensum, intellectum, & voluntatem. Huc omnia reuocari poterunt, quæ supra §. 34. tacta sunt. Ut autem res fiat clarius, per certas conclusiones proponenda est.

40. Prima Conclusio. Corpus existens in duobus locis, potest in uno moueri localiter, & non in alio. Ratio est, quia duobus locis habet duas præsentias locales,

les, quarum vna non pendet ab alia: Ergo potest vnam mutare non mutando aliam. Hoc modo Christus localiter mouetur in altari, & quiescit in cœlo. Nec vlla est hic contradic̄tio, vt ex dictis patet §. 38.

41. *Secunda Conclusio.* Corpus existens hic & Romæ, si hic calefiat ab igne vicino, non calefiet Romæ, vi eiusdem ignis; ac proinde potest hic fieri calidum, & Romæ manere frigidum. Ratio est, quia ignis non potest naturaliter agere, nisi intra suam sphæram, Ergo si hic est, non potest Romæ agere, nisi etiam Romæ sit. Dices, Tametsi ignis qui hic est, non possit Romæ agere, si præcisè per se spectetur; potest tamen, si spectetur subiectum, in quod agit. Est enim idem subiectum hic & Romæ. Hæc autem subiecti identitas facit, vt quādō ignis hic calefacit, etiam Romæ calefaciat. *Respondeo,* Non ita est. Primò, quia corpus existens in duobus locis, si in uno moueatur localiter ab agente naturali extrinseco, non ideo mouebitur in altero, vt eiusdem agētis, vt omnes concedunt: Ergo sola identitas subiecti non sufficit, vt mutatio facta in uno loco, fiat etiam in altero. Secundò, quia calor, qui Romæ producitur, est nouus effectus realis: Ergo fit ab aliqua causa habente sufficientem vim producendi Romæ talem effectū: sed ignis hic existens non habet hanc vim per se, neq; identitas subiecti eam illi confert: Ergo non potest Romæ hunc effectum producere. Tertiò, quia si ignis hic existens, effectuè produceret eundem calorem hic & Romæ, iam calor ille haberet duas præsētias locales, vnam hic, & alteram Romæ: sed hæ duæ præsētiae non sunt ambæ naturales, alioqui idē calor naturaliter esset præsens in duobus locis: Ergo altera debet esse supernaturalis: Ergo non potest produci à naturali virtute ignis.

42. *Tertia Conclusio.* Corpus existens in duobus locis, si in uno quantitatuvè augeatur per nutritionem

non necessariò augetur in altero. Ratio est, quia fieri potest, ut in uno loco habeat cibum & potum, quo nutritatur, & in altero non habeat. Dices, tali casu, cibus & potus, qui porrigitur corpori in uno loco, necessariò porrigitur etiam in altero, propter identitatem subiecti. *Respondeo.* Hoc etiam refutatum est; quia qui hic porrigit alicui cibum & potum, non potest eadem actione eundem cibum & potum Romæ porrigitere.

45. *Quarta Conclusio.* Corpus existens in duobus locis, potest in uno corrumpi vel mori, & non in alio. Ratio sumitur ex dictis, quia causa corruptio[n]is potest applicari in uno loco, & non in altero. *Dices.* fieri non potest, ut causa naturalis expellat formam à materia in uno loco, & non alio. Ratio est: quia non potest naturaliter expellere formam: nisi introducendo aliam: at non potest naturaliter introducere aliam, quamdiu in alio loco manet prior forma in eadem materia; alioqui materia naturaliter maneret sub duas formis, quod est absurdum. Idem argumentum fieri potest de alteratione, quia idem subiectum non est naturaliter capax contrariarum formarum: Ergo etiam in diuersis locis positum non potest eas naturaliter recipere, quia naturalis capacitas subiecti non augetur propter locorum multitudinem: ergo non potest in uno loco calefieri, & in alio manere frigidum: ergo si hic ab igne calefit, etiam alibi calefit vi eiusdem ignis. *Respondeo.* Licet absolute, & nulla facta suppositione, repugnet eandem materiam recipere contrarias formas virtute agentis naturalis; non tamen repugnat, facta suppositione, quod materia sit in diuersis locis, & Deus relinquit causas naturales agere secundum suam virtutem. Ratio est, quia quod materia non possit recipere contrarias formas, non oritur præcisè ex parte materiae, cum illa per se indifferens sit ad recipiendas quaslibet formas

formas naturales; sed oritur ex parte formarum, quæ inter se pugnant, nec se mutuò patiuntur in eodem subiecto. Hæc autem repugnantia non est inter formas, nisi sint non solum in eodem subiecto, sed etiam in eodem loco. Vnde si ponantur quidem in eodem subiecto, sed tamen in diuersis locis, non pugnabunt inter se. Hoc sic ostendo. Nam hæc repugnantia, vel est effectiva, vel formalis. Si effectiva, iam certum est, formas debere esse in eodem loco, qui agens & patiens debent esse simul. Si enim distent inter se localiter, ita ut alterum sit extra sphærā actiuitatis alterius iam non possunt effectivè inter se pugnare. Si formalis, iam multo magis requiritur præsentia localis. Nam formalis repugnantia, qua vna forma expellit alteram ab eodem subiecto, non est primarius, sed secundarius effectus formæ, & supponit primarium, nempe effectum informandi. Effectus autem informandi fieri non potest, nisi forma intimè sit præsens in loco, ubi est materia. Ergo repugnantia formalis inter formas, solum est respectu eiusdem subiecti & loci: ac proinde, quod vna materia existens in diuersis locis, habeat diuersas formas, non est contra naturalem repugnantiam formarum.

4. *Quinta Conclusio.* Homo existens in duobus locis, si in uno eliceret actus vitales sensitivos vel intellectivos: aliquando eliceret etiam in altero, aliquando non item. Vbi nota, hos actus esse duplices: Nam aliqui pendent à præsentia obiecti vel agentis extrinseci; alij non pendent. Vnde statui possunt hæ regulæ. *Prima;* Homo existens in duobus locis, si in uno eliceret actus immanentes, qui requirunt præsentiam obiecti vel agentis intrinseci, non necessariò eliceret illos in alio. Ratio est, quia potest fieri, ut in uno loco sit præsens obiectum vel agens extrinsecum, &

non in alio. Hoc modo , si Petrus esset hic & Romæ posset Romæ videre Pontificem,& non hic : quia Pontifex , aut species eius visibilis non est hic præsens. *Secunda* ; Homo existens in duobus locis , si in vno eliceret actus immanentes , qui non pendent ab extrinseco , vt est actus amoris vel odij circa Deum, eliceret eosdem etiam in altero. Ratio est , quia utrobique haberet idem principium actuum & passuum, quod sufficeret ad eandem actionem : Ergo si eliceret illam in vno , eliceret etiam in altero. *Tertia* , Homo existens in duobus locis, non potest in vno amare Deum, & in altero odiisse ; nec potest in vno assentiri aliqui propositioni, & in altero dissentire; ac proinde non potest in vno esse hæreticus , & in altero fidelis. Ratio sumitur ex præcedenti regula , quia homo existens in duobus locis , si in vno amat Deum , etiam in altero amat : Et, si in vno odit , etiam in altero odit : At non potest utrobique simul amare & odiisse , cum hi actus sint omnino contrarij : Ergo nec potest in vno amare, & in altero odiisse. Hinc patet discrimen inter calorem & frigus ex una parte, & inter amorem & odium ax altera parte. Nam calor & frigus possunt naturaliter esse in eodem subiecto , si subiectum miraculosè ponatur in duobus locis. Ratio superius assignata est , tum quia subiectum potest in vno loco habere ignem vicinum, à quo calefiat, & non altero: tum etiam quia eiusmodi formæ non pugnant inter se, nisi sint simul in eodem loco. Amor autem & odium, non possunt naturaliter esse in eodem homine, etiā si homo ponatur miraculosè in duobus locis. Nā, vt dixi, non potest homo amare Deum in vno loco, quin etiam amet in altero , cum utrobique præsens sit idem principiu amoris; ac proinde, si in vno amat Deum; non potest in altero odiisse; alioqui utrobique amaret & odiasset, quod fieri non potest.

45. Quæres, si non naturaliter, an saltem supernaturaliter & miraculosè id fieri posset? Probabilius est nec quidem fieri posse. Nam inter actus vitales contrarios, cuiusmodi sunt amor & odium circa idem, tanta est repugnancia ut nullo modo possint esse simul in eodem subiecto. Ratio est, quia unus destruit obiectum alterius. Amor enim versatur circa Deum, quatenus apprehenditur sub ratione boni; odium, quatenus apprehenditur sub ratione mali. At fieri non potest, ut intellectus eodem tempore apprehendat Deum sub ratione boni, & simul sub ratione mali, secundum eandem rationem obiectuam: Ergo fieri non potest, ut voluntas simul amore & odio Deum prosequatur secundum eandem rationem obiectuam. Dices. Intellectus Romæ existens potest apprehendere Deum sub ratione boni; & Moguntiæ existens, potest illum apprehendere sub ratione mali: Ergo voluntas potest illum Romæ amare, & Moguntiæ odiisse. Respondeo. Hoc enim fieri non potest propter naturalem sympathiam eiusdem animæ existentis in uno loco, ad seipsum existentem in alio loco. Quæ quidem sympathia explicari debet, non tam ratione solius animæ, quam ratione potentiarum, quæ inter se subordinatae sunt, & in eadem anima radicatae; cuiusmodi sunt sensus & appetitus, itemque intellectus & voluntas. Nam si anima in capite apprehendat aliquod bonum sensibile per imaginationem; statim in corde excitatur ad amandum illud bonum per appetitum sensituum; nec potest illud odiisse, tanquam malum. Eodem modo, si eadem anima existeret hic & Romæ; si hic appreenderet aliquod bonum per intellectum, mox Romæ amaret illud per voluntatem, nec posset illud Romæ odiisse.

46. Atque hæc breuiter disputata sint ex occasione illius obiectionis, in qua petebatur, si idem corpus exi-

steret in duobus locis, & uno mutaretur, an etiam necessariò mutaretur in altero? Nunc ad cætera capita progrediamur.

C A P V T I I.

An Christus fiat præsens in Eucharistia per transubstantiationem.

1. **S**upra ostensum est contra Lutheranos, Christum fieri præsentem in Eucharistia, non per Ubiquitatem, aut vniōnem hypostaticam, aut simplicem coniunctionem; sed per transubstantiationem, id est, per conuersionem totius substantiæ panis in corpus & totius substantiæ vini in sanguinem Christi. Nunc breuiiter hæc tria explicanda sunt. 1. quid requiratur ad veram conuersionem? 2. quid faciat conuersio, de qua agimus, circa corpus Christi? 3. quid faciat circa panem?

2. Quod ad primum attinet, conuersio propriè dicitur, quando vna res conuertitur in aliam rem. Alij vocant transitum vnius rei in aliam. Hinc patet quatuor conditiones requiri ad veram conuersionem. Prima est, vt sit inter duos terminos positivos. Secunda, vt unus terminus desinat, & alter in locum eius succedat. Tertia, vt hoc fiat actione aliqua reali, vel certè duabus mutationibus partialibus, quarum altera versetur circa terminum, qui desinit; & altera circa terminum qui incipit. Quarta, vt sit connexio inter has duas mutationes partiales, seu inter duos terminos positivos, quorum alter desinit, & alter incipit. Si enim nulla esset connexio, iam unus terminus non diceretur converti in aliud. Vide Bellarminum l. 3. de Eucharistia cap. 18.

3. Est autem duplex conuersio; Vna substantialis, altera accidentalis. Rursum, vna naturalis, vt quando alimentum conuertitur in substantiam aliti, aut aer conuertitur in ignem, aut calidum in frigidum: altera supernaturalis, eiusmodi est conuersio vxoris Loth in statuam salis, aut aquæ in vinum, aut panis in corpus Christi, de qua hic agimus,

4. De hac ergo conuersione est altera quæstio, quid efficiat circa corpus Christi? Cum enim duo sint termini huius conuersionis, nempe panis & corpus Christi; & uterque terminus aliquo modo mutari debeat; merito queritur, quomodo per hanc conuersionem mutetur corpus Christi? Ac primò certum est, mutari accidentaliter. Ratio est, quia acquirit nouam præsentiam sacramentalem, quam antea non habebat; Hæc autem præsentia est aliquod accidens: Ergo, ut minimūm, accidentaliter mutatur.

5. An etiam substantialiter. Multi affirmant. Sed hi bipartiti sunt. Aliqui putant Christum substantialiter vniuersi species sacramentalibus. Alij, substantialiter conseruari in Eucharistia per nouam actionem substantialiem distinctam ab ea actione, quia in coelo conseruatur. Quid mihi videatur, ostendam per tres conclusiones subsequentes.

6. *Prima Conclusio:* Per hanc conuersionem, de qua agimus, non fit aliqua substantialis vnio inter corpus Christi & species sacramentales. Ratio est, quia triplex vnio fingi potest ut supra dixi: vna sacramentalis; altera formalis physica; tertia effectiva physica. At nulla harum est substantialis. Accedit quod effectivam & formalem supra reiecerimus. Sacramentalis autem non requirit per se mutationem substantialiem.

7. *Secunda Conclusio.* Christus in Eucharistia possit quidem conseruari substantialiter per actionem

substantialem distinctam ab ea, qua conseruatur in cœlo; non tamen verisimile est, ita fieri. Prior pars probatur, quia per absolutam Dei potentiam fieri potest. ut idem effectus producatur à duabus causis totalibus, & consequenter per duas distinctas actiones, quarum vna non dependeat ab altera: ergo etiam fieri potest, ut conseruetur per duas actiones à se mutuo non dependentes. Hic enim nulla apparet repugnantia. Ergo corpus Christi, quod vna actione substantiali conseruatur in cœlo, posset alia actione conseruari in Eucharistia. Posterior pars probatur, quia nulla necessitas est, ut dicamus ita fieri. Sicut enim corpus Christi seruat vnam & eandem substantiam in cœlo, & in Eucharistia; ita per vnam eandemque actionem substantialiem potest optimè conseruari in utroque loco. Imò, nouum miraculum esset, si aliter fieret. Miracula autem non sunt multiplicanda sine necessitate, aut fundamento.

8. *Tertia Conclusio.* In hac conuersione, nulla alia sit mutatio circa corpus Christi, quam quod per simplicem actionem adductiuam, ut vocant, fiat præsens in Eucharistia, cum antea tantum præsens esset in cœlo. Hæc autem est mutatio tantum accidentalis, ut ex dictis patet. Duo obiici possunt. Vnum est, quod dicatur fieri præsens per transubstantiationem, id est, per conuersionem substancialis. Alterum est, quod substantia corporis Christi non possit in Eucharistia conseruari per eadem actionem, qua conseruatur in cœlo, cum in cœlo naturaliter, in Eucharistia supernaturaliter conseruetur: Eadem autem actio non possit simul esse naturalis & supernaturalis; ac proinde præter actionem adductiuam admittenda sit alia conseruativa, & quidem substancialis. Ad primum respondeo Transubstantiationem vocari conuersionem substancialem,

Iem , ratione terminorum totalium , quia scilicet , per eam conuertitur vna substantia in aliam substantiam ; non autem ratione termini formalis de nouo produceti , quasi necesse sit utrunque substantiam in se substantialiter mutari . Ad alterum respondeo cum distinctione . Substantia corporis Christi , cum sit vna & eadem in cœlo & in Eucharistia , conseruatur in utroque loco per unam & eandem actionem substantialem , & connaturalem . At præsentia corporis Christi , sicut duplex est , vna naturalis in cœlo , altera supernaturalis in Eucharistia ; necessariò dupli actione proportionata conseruari debet .

9. Sequitur tertia quæstio , quid efficiat hæc conuersio circa panem . Et quidem certum est , substantiam panis desinere . Difficultas est de modo desinendi . Aliqui putant desinere per solam subtractionem influxus diuini : alij per aliquam Actionem posituam . Hi iterum bipartiti sunt . Quidam docent substantiam panis destrui & expelli per illam eandem actionem , qua corpus Christi introducitur . Alij per illam , qua accidentia panis separantur à subiecto , & per se constituuntur . Explicabo rem per sequentes conclusiones .

10. *Prima Conclusio.* Substantia panis non destruitur per illam eandem actionem , qua corpus Christi introducitur . Ratio est , quia substantia panis , & substantia corporis Christi non pugnant inter se formaliter & intrinsecè , ergo actio introductorya vnius , non est per se destructiva alterius . Antecedens patet , quia illæ duæ substantiæ possunt trib . modis spectari . Primo , secundum se , quatenus substantiæ sunt , & sic nullam dicunt inter se repugnantiam . Secundo , in ordine ad eundem locum seu spatium , & sic etiā non repugnant , quia substantia corporis Christi est in loco indivisibiliter & sine extensione locali , ac proinde non excludit substan-

substantiam panis ab eodem loco. Tertio, in ordine ad species sacramentales, & sic etiam nō pugnant inter se; quia substantia corporis Christi nullam habet vniōnem Physicam cum illis speciebus ac proinde non destruit vniōnem substantiae panis cūm iisdem speciebus. *Dices.* Substantia panis conuertitur in corpus Christi; sed in omni conuersione destruitur terminus à quo, per eandem actionem, qua introducitur terminus ad quem; ergo etiam in hac conuersione per eandem actionem destruitur substantia panis, qua introducitur corpus Christi. *Respondeo.* tametsi in conuersione naturali plerumque ita fiat, non tamen est de essentia conuersionis, vt sic fiat. Satis est, vt vna res desinat, & altera incipiatur, siue id fiat, per vnam actionem realem, siue per duas mutationes partiales inter se connexas.

11. *Secunda Conclusio.* Substantia panis non destruitur per solam subtractionem conseruationis diuinæ. Ratio est, quia datur vera actio positiva, cuius vi & efficacia destruitur substantia panis, vt ostendam in sequenti conclusione, ergo non destruitur per solam subtractionem influxus diuini. *Quæres.* An non posset destrui per hanc subtractionem. *Respondeo.* Hoc dupliciter intelligi potest. Primò, an absolute loquendo posset sic destrui. Secundò, an facta suppositione quod conuertatur in corpus Christi posset nihilominus destrui per solam subtractionem, vtrumque posibile est. De primo patet; quia quælibet res creata potest desinere per subtractionem concursus diuini. De secundo etiam patet, quia illa subtractio non repugnat conuersioni. *Dices.* Annihilatio repugnat conuersioni, quia quod simpliciter annihilatur, hoc in aliud non conuertitur: sed annihilatio nihil est aliud quam subtractio diuini influxus: ergo hæc subtractio repugnat conuersioni. Si ergo substantia panis desineret per annihila-

nihilationem seu subtractionem conseruationis diuinæ, iam non dicetur conuerti in corpus Christi. *Respondeo* cum distinctione, nam aliud est loqui de sola desitione panis, aliud de tota conuersione, quæ includit desitionem panis, & positionem corporis Christi, tanquam duas mutationes partiales. Si loquamur de sola desitione panis, posset fieri per solam subtractionem influxus diuini, & tunc recte vocaretur annihilationio. Si loquamur de tota conuersione, non posset fieri per solam subtractionem, vel annihilationem; quia requirit, non solum destructionem vnius termini, sed etiam positionem alterius.

12. *Tertia Conclusio.* Substantia panis destruitur vi illius actionis realis, qua accidentia panis separantur à subiecto, & per se constituuntur, ut existant sine subiecto. Ratio est, quia non superest alius modus destructionis, cum priores duo refutati sint. *Dices*, Non est vlla realis actio, per quam accidentia panis separantur à subiecto, nam illa separatio fit per destructionem vniuersitatis, qua accidentia inhærent subiecto: illa autem vnius destruitur per solam subtractionem conseruationis Diuinæ. *Respondeo*. Duplex actio potest hic cogitari: vna qua Deus producat in accidentibus realem modum existendi per se, qui formaliter repugnet cum actuallia inhærentia: altera, qua Deus effectiū conseruet accidentia independenter à subiecto sine ullo modo reali superaddito. Prior actio habet vim separandi accidentia à subiecto, non tamen posterior. Ratio est, quia vi prioris actionis producitur aliquid in accidentibus, quod formaliter repugnat cum actuallia inhærentia, non autem vi posterioris. Nam fieri non potest, ut accidentia ponantur actu per se subsistere sine subiecto, & tamen maneant in subiecto; potest autem fieri ut conseruentur in subiecto dupli actione,

vna dependente à subiecto, altera independente. *Dices*, per illam priorem actionem ponuntur quidem accidentia sine subiecto, non tamen ideo destruitur substantia panis. *Respondeo*, per illam actionem fiunt hæc tria, Primo, producitur in accidentibus realis modus existendi: Secundo, posito hoc modo, consequenter destruitur actualis inherentia, quæ cum illo consistere nō potest: Tertio, destruitur substantia panis. Hæc enim naturaliter conseruari non potest nisi conseruetur unio formæ substancialis cum materia: at unio illa pendet ab accidentibus, tanquam à necessariis dispositionibus, ergo ablatis accidentibus, necesse est tolli unionem. *Dices*. Licet unio tollatur, tamen adhuc manet materia quæ est incorruptibilis, ergo non tollitur tota panis substantia. *Respondeo*. Materia non potest naturaliter conseruari sine omni forma substanciali & accidentalí; si ergo sit aliqua actio, quæ tollat omnem formam à materia, & non introducat aliam, non poterit materia naturaliter conseruari.

CAPUT III.

Quamdiu Christus maneat præsens in Eucharistia?

I. **A**duersarij docent Christum non esse præsens in ipso sumptione seu manducatione panis Eucharistici. Quam sententiam excogitauit Martinus Bucerus, Ut per eam conciliaret inter sc Lutheranos & Zwinglianos, qui extremè dissidebant. Lutherani dicebant, corpus Christi realiter esse præsens in Eucharistia cum pane & vino; Zwingiani id negabāt. Itaque Bucerus volens eos ad concordiam reducere, asseruit esse quidem præsens in ipsa sumptione, quod erat pro Lutheranis; non tamen extra sumptionem, quod

quod erat pro Zwinglianis Et quamvis cōcordia non successerit, tamen utriusque libenter amplexi sunt hanc Buceri sententiam, quod viderent per eam destrui posse multa Catholicorum dogmata. Si enim Christus non est præsens nisi in ipsa sumptione, sequitur primò, Christum nō adesse quando hostia seruatur in pixide, 2. hostiam in pixide seruatam non esse adorandam. 3. nec ad ægrotos deferendam, tanquam Sacramentum. 4. nec honorem ei deferendum in publica processione. 5. nec solenni festo corporis Christi honorandam. 6. nec prodeesse sumentibus. 7. ac proinde frustra offerri pro defunctis.

2. Duo tamen notanda sunt. Vnum est, quod quamvis Lutherani & Zwingiani consentiant in eo, quod iam dixi, nempe Christum in sola sumptione seu usu præsentem esse, discrepant tamen in altero, in quo etiam antea discrepabant, quod Lutherani agnoscant realem Christi præsentiam: alij non nisi spiritualem & sacramentalem, ut supra explicatum fuit. Alterum est, quod Martinus Kemnitius in 2.p.Examinis. less. 13.c. 6. non nihil ab aliis dissentiat. Vult enim Christum præsentem esse, non tantum in sumptione, sed in tota actione cœna, id est, dum panis accipitur in manibus, benedicitur, frangitur, distribuitur, sumitur, & etiam, dum ex ipsa cœna immediatè defertur ad ægrotos, ut illum comedant, non ut seruent.

3. Catholici longè aliter sentiunt. Aiunt Christum fieri verè, realiter ac substantialiter præsentem, vi illorum verborum, *Hoc est corpus meum*; & manere præsentem non solum durante actione, sed etiam extra actionem, quamdiu species panis conseruantur. Priorem partem probant, quia verba illa Christi, *Hoc est corpus meum*, fuerunt vera, simul atque prolata sunt: Ergo tunc fuit præsens corpus Christi. Posteriorem probant

bant ex antiqua praxi Ecclesiæ & Sanctorum Patrum, qui panem seu hostiam consecratam, non solum conferuare in pixide, aut ad absentes deportare, sed etiam adorare soliti sunt, ut infra dicimus cap. 6. Hoc autem non fecissent, nisi Christum toto illo tempore vere presentem esse existimassent.

CAP V T I V.

An totus Christus Secundum substantiam sit praesens in Eucharistia.

1. **I**N Christo potest spectari quadruplex substantia, nempe diuinitas, anima rationalis, caro & sanguis. Est ergo quæstio: An secundum hanc quadruplicem substantiam sit in Eucharistia? ratio dubitandi est, quia non aliter est ibi, quam per conuersionem panis & vini: at panis & vinum non conuertuntur in diuinitatem aut animam rationalem, sed tantum in carnem & sanguinem: Ergo est ibi tantum secundum carnem & sanguinem. Dicam paucis, quid statuendum sit.

2. *Prima Conclusio.* Totus Christus secundum substantiam est in Eucharistia, non solum sub utraque specie simul sumpta, sed etiam sub singulis speciebus separatim sumptis, ut totus sub specie panis, & totus sub specie vini. D. Thomas quæst. 76. art. 1. & 2. & Concil. Trident. sess. 23. cap. 3. & sess. 21. capit. 3. Ratio sumitur ex tribus principiis in Scriptura fundatis. Primum est, corpus Christi in Eucharistia, Matth. 26. 26. *Hoc est corpus meum.* Alterum est, Christum post resurrectionem non amplius moriturum, sed perpetuo vieturum, Rom. 6. 9. *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Tertium est, Christum esse unam personam diuinam iu duabus naturis subsi-

subsistentem, Ioannis 1. 14. *Verbum caro factum est.* Ex primo principio sequitur, corpus Christi esse sub specie panis. Ex secundo esse ibi corpus viuum & non mortuum; ac proinde, esse corpus informatum anima rationali. Ex tertio, esse ibi personam Verbi, & consequenter diuinitatem.

3. *Secunda Conclusio.* Licet totus Christus secundum substantiam sit sub specie panis, & totus sub specie vini; non tamen eodem modo est ibi totus. Ita D. Thomas & Concilium citatum. Ratio est, quia aliquid Christi est sub specie panis, vi sacramenti, ut caro; aliquid per naturalem concomitantiam, ut sanguis, anima, persona Verbi. Idem dicendum est de specie vini. Nam vi Sacramenti, est ibi sanguis; reliqua per concomitantiam.

4. *Dices,* Persona Verbi est ubique per suam immensitatem: Ergo non est in Eucharistia per naturalem concomitantiam. *Respondeo.* Persona Verbi potest duplíciter spectari. Primò, secundum se, & sic est ubique per immensitatem increatam. Secundò, quatenus est unita humanitati, & sic ratione unionis est in Eucharistia per concomitantiam.

5. Quæres quomodo ipsa unio sit in Eucharistia, an vi Sacramenti, an per concomitantiam? Aliqui putant esse vi Sacramenti, seu vi illorum verborum, *Hoc est corpus meum.* Primò, quia quando Christus dixit illa verba, locutus est de suo corpore, quatenus erat corpus personæ loquentis; ergo loquutus est de suo corpore, quatenus erat unitum personæ; ergo vi Sacramenti erat ibi corpus cum unione. Secundò, quia corpus propriè significat naturam corpoream subsistentem; ergo ex vi verborum est hic corpus subsistens; non est autem subsistens subsistentia propria, sed subsistentia Verbi: nec subsistit subsistentia Verbi, nisi mediante unione;

ergo est ibi corpus cum vnione vi sacramenti. Tertiō, non solum substantia, sed etiam subsistentia panis convertitur in corpus Christi vi sacramenti; ergo vi sacramenti est ibi corpus Christi subsistens; ergo est ibi cum vnione hypostatica.

6 Alij contra sentiunt, vnionem esse in Eucharistia per naturalem concomitantiam. Ratio est, quia si vnio esset ibi vi sacramenti, etiam persona Verbi esset vi sacramenti, quod tamen falsum est, ut patet ex Concilio Trid. Sess. 13. cap. 3. ubi ponit diuinitatem inter ea, quae sunt in Eucharistia per concomitantiam. Sequela patet quia vnio non potest esse sine termino vnionis; ergo ubi est vnio vi sacramenti, ibi est persona Verbi, qui est terminus vnionis. Confirmatur, quia vnio nihil est aliud, quam actualis coniunctio corporis Christi, & personae Verbi: sed non potest esse actualis coniunctio duorum extremorum, nisi ipsa extrema actu adsint.

7 Mihi videtur opus esse distinctione. Vel enim loqui possumus de possibili, vel de facto. Si est sermo de possibili, non repugnat vniōnem fieri præsentem in Eucharistia vi sacramenti. Nam si Christus voluisse cōsecreare per hæc verba. *Hoc est corpus personæ Verbi unitum*: aut per hæc, *Hic est Christus*, iam vi talium verborū esset in sacramento, non solum corpus, sed etiam vnio corporis cum Verbo, seu totus Christus. Hoc enim formaliter verba significant, & consequenter efficerent per modum diuini instrumeuti. Si autem sermo est de facto, vnio non est præsens vi sacramenti, sed per concomitantiam. Nam verba, quibus de facto Christus cōsecravit, formaliter non significant vniōnem. Quamuis enim fingamus corpus Christi in sacramento non habere vniōnem cum persona Verbi, tamē verè posset dicere, *Hoc est corpus meum*. Nam illa particula, *Meum*, solum denotat identitatem illius corporis cum corpore,

re, quod ratione vniōnis est personae Verbi, non autem denotat corpus illud habere talem vniōnem vbi cunque existit.

8 Hinc soluitur Primum argumentum prioris opinionis. Ad secundum respondeo, Corpus ut sumitur pro carne, non significare naturam subsistentem, sed partem naturae subsistentis, imo si rigidè loquamur, significare partem humanitatis, quæ concipitur per modum naturae non includentis subsistentiam. Ad tertium similiter respondeo, substantiam & subsistentiam panis conuerti in corpus Christi, id est, in unam partem humanitatis Christi, quæ non includit subsistentiam, ut dictum est.

C A P V T V.

An Christus in Eucharistia posſit ac debeat adorari?

1 **C**aluinistæ simpliciter negant, quia putant Christum non esse præsentem in Eucharistia. Hi supra refutati sunt. Lutherani dissident. Aliqui concedunt adorari posse in sumptione, non extra sumptionem, quia putant in sola sumptione præsentem esse. Alijne in sumptione quidem adorandum censem; quia tametsi præsens sit, non tamen adorandus est, nisi ubi vult adorari. Non autem vult adorari in Eucharistia: Ergo non est ibi adorandus.

2 Rectius sentiunt Catholici in Conc. Trident. sess. 13, cap. 5. & can. 6. assertentes Christum in Eucharistia non minori veneratione ac cultu dignum esse, quam extra Eucharistiam. Ratio est, quia utробique habet eadem excellentiam & maiestatem: Ergo ubique eadem dignus est honore. Vnde, sicut ab Angelis (Heb. 1. 6. & à Magis (Matth. 2. 11.) & à senioribus (Apoc. 5.

14.) tum in cœlo, tum in terra adoratus est; sic in etiō à nobis in Eucharistia adorari potest ac debet. Nec obstat, quod in Eucharistia externo sensu non percipiatur, quia adoratio non ntitur sensibus, sed fide. Alioqui nec Deus adorandus esset, quia sola fide, non sensu externo à nobis percipitur.

3 Qnod obiciunt aduersarij, non esse adorandum Christum, nisi ubi ipse vult, prorsus mane est. Vel enim quærunt speciale præceptum Dei de hac re, vel generale. Si speciale, dicant mihi obsecro, ubi Magis præceptum sit, adorare Christum in præsépio; Si generale, non aliud inuenient, quam quod ius diuinum ac naturale dicat, verum Deum, ubique sit, adorari posse. At Christus verus Deus est: Ergo ubique sit; siue in Eucharistia, siue alibi, coli ac, adorari potest.

4 Nobiscum sentiunt antiqui Patres, Chrysostom. Hom. 14. in priorē Corinthiacam; *Hoc corpus in præsepe reveriti sunt Magi, & Barbari cum timore & tremore plurimo adorauerunt. Nos imitemur Barbaros, qui cœlorum ciues sumus.* Illi eum in præsepe viderunt: *Tu vero non in præsepe, sed in altari.* Theodoreetus dialogo 2. Intelliguntur mystica symbola, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur. Cyrillus Hierosol. catechesi mystagogica 5. *Accede ad calicem sanguinis illius pronus, adorationis in modū.* Augustinus in Psal. 98. circa illud, Adorate scabellum pedum eius, sic ait; *Nemo illam carnem manducat, nisi prius adorauerit.*

5 Idem confirmatur ex antiqua Ecclesiæ praxi & consuetudine eleuandi hostiam post consecrationem. Tametsi enim illa ceremonia possit mysticè, ac moraliter significare eleuationem Christi in cruce, vel resurrectionem, vel ascensionem, vel eleuationem mentis ad Deum; re ipsa tamen ad hunc finem inuenta ac instituta est, ut Christiani; qui credunt Christum verè præsentem esse, interno affectu, & externo cultu illum adorent,

adorent, ac venerentur. Hoc constat partim ex omnibus Liturgiis, partim ex antiquis Patribus. Dionysius cap. 3. de Ecclesiastica Hierarchia; Pontifex Augustissima mysteria conficit, & quæ ante laudauerat; in apertum agit, diuina munera reuerenter ostendens. Et Basilus lib. de spiritu sancto cap. 27. Innuocationis verba, cum ostenditur panis Eucharistiae, & poculum benedictionis, quis Sanctorum in nobis reliquit? Vbi docet esse traditionem non scriptam, orandi & invocandi Christum in Eucharistia, quando a sacerdote eleuatur.

6 Huc etiam spectat, quod S. Patres dicunt, ad verba consecrationis cœlos aperiri, & Angelorum multitudinem ad Christum adorandum descendere. Gregorius lib. 4. Dial. cap. 58. Quis fidelium dubitare possit, in ipsa immolationis hora, ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri: in illo Iesu Christi mysterio Angelorum chorus adesse, summis ima sociari terrena cœlestibus inagi? Vide etiam Chrysostomum libro 6. de sacerdotio, Ambrosium circa illud Lucæ 1. Apparuit ei Angelus, Augustinum apud Magistrum in 4. d. 13. & alios. Finio istis verbis; Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per crucem tuam redemisti mundum. Amen.

Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto.

DE COMMUNIONE SVB
VTRAQUE SPECIE,

Pro defensione Catholicorum, contra Hussitas, Lutheranos, & Calvinistas.

OPUSCULUM VI.

LECTORI.

ADVERSARII dupli nomine accusant hic Catholicos. Primò, quod contra apertam Christi institutionem & mandatum porrigant Laicis Eucharistiam sub vna tantum specie. Secundò, quòd hac ratione Sacrilegium & furtum committant: sacrilegium, quia rem sacram aliter usurpant, quām oportet: furtum, quia priuant laicos altera specie, quæ illis debeatur; & consequenter, fructum alterius specie suffurantur. Imò, quod grauius est, inquiunt, cùm Christus sub dupli specie, panis & vini, & carnem & sanguinem suum, quasi testamento nobis legauerit; Catholici, qui testamenti huius executores esse volunt, alteram partem hæreditatis iniuste subtrahunt, & sola carne iubent Laicos esse contentos. An non meritò querantur Laici? an non suo iure sanguinem dari sibi poscant? Hæc illi.

2 Catholici, & facillimè purgant se ab his criminibus & multò grauius dè aduersariis queruntur. Purgatio illorum est hæc. Primò, negant extare ullum Christi præceptum de vtraque specie Laicis porrigenda. Fautentur

tentur quidem, Christum præcepisse communionem; non tamen modum communionis sub vna vel vtraque specie; sed potius reliquissim liberum, ut Laici, vel sub vna, vel sub vtraque specie communicarent. Sicut præcepit Baptismum; non tamen modum Baptismi sub vna, vel trina immersione. Secundò negant, nullum sacrilegium aut furtum interuenire. Nam si non extat præceptum de vtraque specie; nullum sacrilegiū est, vnam sine altera præbere, aut participare. Et rursum si sub vna specie non minus continetur totus Christus quam sub vtraque; nec minor fructus percipitur ex vna, quam ex vtraq; (quod postea probabiūs) nullum furtum aut detrimentum est, vnam speciem exhibere sine altera. An iure queratur Legatarius, legatum, quod in duplii tabella descriptum est, in altera totum & integrum sibi exhiberi, sine ullo suo damno aut incommodo? Non opinor. Cur ergo querantur Laici, quando totus Christus, tota hæreditas, totum testamentum, in vna specie, integrè ipsis porrigitur? Nulla causa est. Non magis, quam si quis cum parocho expostulet, quod vna tantum, & non trina immersione, Baptizatus ab eo sit.

3 At inquiunt, si Christus vsum vtriusque, vel alterius speciei liberum reliquit, ut vos dicitis; quomodo audetis Laicis prohibere vtramq; speciem? Quod enim iure diuino liberum & licitum est; non potest iure humano prohiberi & illicitum fieri. Hunc nodum facile dissoluam suo loco. Nunc tantum obiter quæro, an nō Christus liberum reliquerit vsum vnius, vel trinæ mersionis in Baptismo? Ita sanè. Et tamen olim in Concil. Tolet. 4. cap 5. prohibita fuit trina mersio, & concessa vna. Si hoc benè; cur alterum malè? Sed infra de hoc plura.

4 Iam, Catholicorum contra Aduersarios querelam sic explicō. In sacramento Eucharistie, iuxta Christi

institutionem, & antiquorum Patrum consensum, hæc tria spectari possunt. Primo, symbola externa, seu species Sacramentales; *Accipit panem & calicem.* Secundo, res sub iis contenta, nempe corpus & sanguis Christi, *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis mens.* Tertio, fructus, qui inde percipitur; *Qui inducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Caluinistæ hæc omnia perdiderunt præter nuda symbola panis & vini. His solis iubent Laicos esse contentos. Carnem & sanguinem Christi tanto interuallo dicunt abesse ab iis symbolis, quanto abest cœlū à terra. Et, si caro & sanguis Christi ibi non est, quis fructus inde percipi potest: Lutherani fatentur quidem adesse Christū, sed mortuum. An non mortuum censem, qui obiciunt, Catholicos solam carnem sine sanguine exhibere Laicis? qui putant, sub una specie dimidium Christum; sub altera, reliquam eius partem contineri?

5 Vtrique ergo merito arguendi: Caluinistæ, quia carnem & sanguinem Christi tollunt è Sacramento, & tota hæreditate dissipata, præter nudas tabellas, nihil relinquunt Laicis. Lutherani, quia non viuentem & integrum, sed mortuum & dissectum Christum Legatariis distribuunt; eiusque dimidiā partem sub specie panis; reliquam sub specie vini, scorsim sumi à Laicis arbitrantur. Et tamen utrique tam Lutherani, quam Caluinistæ, posteaquam rem ipsam sacrilegè dissiparunt; de solis symbolis litem nobis intendunt. Perinde sane, ac illi, qui absumpto patrimonio, de nudis codicillis altercantur.

6 Cæterum, quia mihi propositum non est, aduersariorum crimen & miseriam persecuti, sed Catholicorum sententiam tueri & explicare; reuocabo illam ad pauca capita, quæ hic breuiter ob oculos proponam, ut uno quasi aspectu videri possint. Deinde, singula sorsim

sim probabo. Spero fore cum Dei gratia, ut Lector per-
spicue intelligat, Catholicos cum Christi, Apostolo-
rum, & Ecclesiæ primitiæ sensu & doctrina, optimè
conspirare. Sunt autem hæc capita,

C A P I T A D O C T R I N Æ Catholicorum.

- 1 Aliud est institutio diuina, aliud præceptum diuinum.
- 2 Christus instituit Eucharistiam sub utraque specie; non tamen præcepit omnibus usum viriusque speciei.
- 3 Imo, usum unius speciei, tum verbo, tum facto ipse approbavit.
- 4 Quod etiam fecerunt Apostoli.
- 5 Et post Apostolos alij usque ad nostra tempora.
- 6 Et rectè. Nam sub una specie non minus continetur totus Christus, quam sub utraque.
- 7 Nec minor fructus percipitur ex una, quam ex utraque, ceteris paribus.
- 8 Et aliunde possunt esse legitima cause, cur potius sub una, quam sub utraque Laici communicent.
- 9 Propter quas etiam statutum est ab Ecclesia, ut sub una deinceps communicarent.
- 10 Nec aduersarii quicquam obiiciunt ex scripturis, quod dilui commode non possit.
- 11 Sicut nec ex Patribus.
- 12 Aut ex ratione fundata in Scripturis vel Patribus.
- 13 Omnino igitur persistendum est in sententia Catholicorum.

C A P V T I.

Aliud est institutio diuina, aliud præceptum diuinum.

- 1 **V** Ideo non paucos, etiam bonos viros, hic errare. Putant idem esse institutionem diuinam, &

præceptum. Quare cùm communio sub vtraque specie à Christo instituta sit, quod negare non possumus; consequenter putant, etiam præcepta esse: At non ita res habet. Aliud est institutio, aliud præceptum. Multa à Deo instituta sunt, quæ tamen omnibus præcepta non sunt; ut matrimonium, Ordo Ecclesiasticus, prædicatione Euangeli, officium Baptizandi, & plura alia. Non enim tenentur omnes ex præcepto diuino inire matrimonium, suscipere ordines Ecclesiasticos, prædicare Euangelium, Baptizare Cathecumenos. Vnde sicut hæc consequentia non valet; *Matrimonium à Deo institutum est: Ergo omnibus præceptum est: Ita similiter hæc non valet; Communio sub vtraque specie à Christo instituta est: Ergo omnibus præcepta est.*

2. Dices; Hæc exempla benè ostendunt, non omnes teneri ad ea usurpanda, quæ à Deo instituta sunt. Nihilominus, si quis sponte velit ea usurpare, tenetur id facere secundum institutionem diuinam. Itaque videatur seruanda hæc regula; *Quamvis iure diuino non tenentur omnes inire matrimonium, suscipere sacros ordines, prædicare Euangelium, Baptizare catechumenos; si quis tamen sponte velit aliquid istorum facere, tenetur facere eo modo, quo Deus instituit.* Verbi gratia, si quis velit alterum Baptizare, tenetur aqua illum ablucere, & pronunciare hæc verba; *Ego te Bapto in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Sic enim Christus instituit. Vnde, qui secus fecerit, non modo peccat, sed etiam nihil agit. Idem est in cæteris. Ergo similiter, si quis velit communicare, tenetur id facere sub vtraque specie, quia Christus sic instituit. Si aliter facit; & peccat, & fructum Sacramenti non percipit.

3. Respondeo. Si illa regula sumatur generatim absque aliqua limitatione; sine dubio falsa est, quod etiam adversarij debent fateri. Hoc ostendo in exemplis allatis.

Deus

Deus in institutione matrimonij, è costa viri dormientis formauit mulierem, & eam in Paradiso, illi coniunxit. An ideo necesse est, quotquot matrimonium inueniunt, ut è suis costis fingant sibi sponsas & coniuges? Non opinor. Et Christus in institutione Eucharistiae, vesperi post sumptam cœnam, & lotis discipulorum pedibus, accepit panem & calicem, & facta consecratione, porrexit discubentibus. An ideo tenentur omnes vesperi post sumptam cœnam, & lotis pedibus cōmunicare? Ne aduersarij quidem id postulant. Itaque regula superius allata, limitanda est; & distinctio adhibenda. Nam in iis, quæ à Deo instituta sunt, duo spectari possunt. 1. ipsorum substantia & essentia. 2. circumstantiæ seu accidentia. Si quis ergo velit usurpare aliquod Sacramentum à Deo institutum, tenetur adhibere omnia quæ ad illius substantiam & essentiam pertinent; reliqua non item. Ad substantiam & essentiam Baptismi pertinent hæc duo, ablutio externa, quæ fit per aquam, & formā verborum, *Ego te Baptizo*. Sine his non perficitur Baptismus. Cætera sunt extrinseca; ut quod ablutio fiat una vel trina immersione; aqua fluiminis, vel stagnante; ante vel post prandium; quod totū corpus mergatur, vel aliqua eius pars, quod forma verborum Latino, vel alio sermone proferatur, & sic deinceps. Igitur si infantem perfundas aqua & pronuncies verborum formam, Baptismus legitimus est & effectum sortitur. Nihil autem interest, semel an ter abluas, calidam aquam, an frigidam inspergas; in Iordanē, an Rheno; ante, vel post meridiem id facias. Hæc enim iure diuino determinata non sunt. Eodem modo res habet in Eucharistiae Sacramento: Si substantiam & essentiam illius spectes; non aliud requiritur, quam Christus sub externo symbolo panis aut vini cōsecrati. Si Christus non adsit (ut apud Calvinistas nō adest) Sacramen-

tum

tum nullum est. Si adsit quidem, non tamen sub symbolo panis aut vini; ne tunc quidem Sacramentum est. Vtrumque ergo requiritur, & symbolum externum, & Christus illo symbolo significatus & comprehensus. Perinde est, vnum symbolum, an duo sint. Non minus sub uno, quam sub duobus Christus præsens est, & quidem totus: nec minus sub uno, quam sub duobus manducatur & bibitur à fidelibus, ut deinceps patebit.

CAPUT II.

Christus instituit Eucharistiam sub utraque specie; non tamen præcepit omnibus usum utriusque speciei.

1. **D**eo hic asserimus. Vnum est, Christum sub utraque specie instituisse Sacramentum Eucharistiae. In hoc omnes conueniunt. Et meritò, quia verba institutionis clara & aperta sunt. Matth. 26. 26. Lucæ 22. 19. Marci 14. 22. & 1. Cor. 11. 23. *Accipit Iesus panem, & benedixit ac friggit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite & comedite. Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes. Hic enim est sanguis meus novi testamenti.*

2. Alterum est Christum non præcepisse omnibus usum utriusque speciei. Hic dissentunt à nobis aduersarij. Vrgent illi præceptum. Nos dicimus, nullum extare. Hoc dupliciter probamus. Primo, quia aduersarij in tota Scriptura nullum possunt inuenire. Secundo, quia nos è contrario sufficienter conuincimus, vnam speciem licet usurpari posse.

3. Prius argumentum sic vrgeo. Si in scripturis extaret aliquod præceptum de utraque specie, vel id colligitur ex sola institutione huius Sacramenti, vel aliunde. Neutrum dici potest. Non prius, quia ut ex dictis patet,

paret, multa sunt à Deo instituta, quæ tamen præcepta non sunt. Ergo ex sola institutione non potest colligi præceptum. Nec posterius, quia testimonia Scripturæ, in quibus aduersarij putant contineri præceptum, reuera non cōtinent præceptum, ut suo loco latius; nunc breuiter sic ostendo. Aduersarios in hac re habemus triplices, Hussitas, Lutheranos & Caluinistas. Omnes quidem querunt præceptum, sed nulli inueniunt. Hus-sitæ querunt in illis verbis, Ioan. 6. 53. *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* At reclamat Lutherani. Negant toto illo capite vel vnum esse apicem, qui de Sacra-mento Eucharistiae intelligatur. Ipsi ergo querunt in illis, Lucae 22. 19. *Hoc facite.* Sed repugnat Caluinus. Solis Ecclesiæ ministris, non Laicis, id dictum esse à Christo contendit. Caluinus querit in istis, Matth. 26. 27. *Bibite ex hoc omnes.* Sed ad solos Apostolos ea pertinere declarat Marcus, cum ait; *Et biberunt ex illo omnes.* Hinc concludo, aduersarios non conuenire inter se de præcepto. Imò, quod amplius est, ita discrepare, ut vbi alij putant se inuenisse præceptum, alij negent ibi esse. Vide plura cap. 10.

4 Posteriori sic vrgeo. A tempore Christi & Aposto-lorum, usque ad annum 1412. semper liberum fuit in Ecclesia, vel sub vna, vel sub vtraque specie communi-care: nec vñquam docuerunt Patres, vtramque speciem diuino iure necessariam esse. Primi, qui hoc dixerunt, fuerunt duo Germani, Petrus Dresdensis, & Iacobus Misniensis, qui Pragæ in Bohemia hanc de communione sub vtraque specie controversiam excitarunt. Ergo signum eidens est, vtrâque speciem diuino iure præceptam non esse. Hoc argumentum sicut & alterum, prosequar in sequentibus capitibus. Hic obiter attigisse satis est.

CAPVT III.

Christus vsum unius speciei, & verbis, & facto comprobauit.

1 **Q**uod verbis comprobarit, patet ex cap. 6. Ioannis, vbi agens de fructu Eucharistiae, non semel, sed saepius afferuit, unam speciem prodesse ad salutem. *Si quis, inquit, manduauerit ex hoc pane, viuet in aeternum. Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et iterum; *Non sicut manduauerunt Patres vestri Manna, & mortui sunt, Qui manducat hunc panem, viuet in aeternum.* Ex his & similibus verbis concludo, manducationem carnis Christi sub una specie, prodesse ad salutem. At non prodesset, si utraque species esset necessaria.

2 *Dices*, aduersarij negant in illo capite agi de Eucharistia, seu maducatione Sacramentali. *Respondeo*; Aduersarij sunt triplices, ut dixi, Hussitae, Lutherani & Caluinistae. Horum alij negant, ut Lutherani & non nulli Caluinistae: alij concedunt, ut Hussitae, & Caluinistae Gallicani, cum Plessae lib. 4. de Eucharistia cap. 2. pag. 661. Illi ergo se mutuo destruunt, & nos confirmant. Et ab illis sumo tale argumentum; vel agitur in illo capite de Eucharistia, vel non agitur. Si agitur; errant Lutherani & plerique Caluinistae, qui id negant. Si non agitur; errant Hussitae, & Caluinistae Gallicani, qui id concedunt. Rursum, si agitur, quod nos cum tota Patrum antiquitate contendimus, res salua est: Euiciimus unam speciem prodesse ad salutem. *Si quis, inquit Christus, manduauerit ex hoc pane; viuet in aeternum.* Si non agitur; omnes aduersarij temerarij sunt. Hussitae quidem, quia nouum dogma Eucharisticum astruere conati sunt ex eo scripturæ loco, vbi non agitur de Eucharistia. Lutherani vero & Caluinistæ, quia hoc Hussitarum dogma amplexi sunt.

3 Iam,

3 Iam, quod factō vnam speciem Christus approbat, patet ex Luca cap.24. 30. vbi duobus discipulis in Emmaus sub sola specie panis Eucharistiam porrexit. Sic enim scribit Lucas : *Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum, & ipse euanuit ex oculis eorum.* Porro, hunc locum intelligi de pane Eucharistico, fatetur Philippus Melanchton in Apologia Confessionis Augustanæ, & plures alij ex aduersariis. Et tribus modis probari potest. Primo, authoritate Patrum. Sic enim explicant D.Hieronymus in Epitaphio Paulæ ad Eustochium, Augustinus lib. 3. de consensu Euangelistarum cap.25. & sermone 146.de tempore, & Epistola 59. ad Paulinum q.8. Author imperfecti operis, homil. 17. in Matthæum, in fine, Theophylactus in cap.24.Lucæ, & non pauci alij. Et quidem D.Hieronymus loco citato dicit, Christum, consecrando panem Eucharisticum, Cleopha domum in Ecclesiam dedicasse. Verba eius sunt hæc : *Repetitōque itinere venit Nicopolim (nempe Paula Eustochij mater) que prius Emmaus vocabatur, apud quam in fractione panis cognitus Dominus, Cleopha domum in Ecclesiam dedicauit.*

4 Secundo probatur ex ipso contextu. Ac singula penne verba ponderanda sunt. *Et factum est*, inquit. Ita loqui solet scriptura, quando grande aliquod mysterium enarrandum est. Sequitur autem mysterium. *Accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis.* Isdem plane verbis usus est Euangelista in ultima cœna describenda, Matthæi 26. 26. *Accepit panem & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis.* Si ergo hæc verba intelliguntur de pane Eucharistico, ut omnes fatentur: cur non similiter illa : Nihil enim inter se differunt. Vnde infero, Christum bis instituisse Eucharistiam: semel Hierosolymis in ultima cœna ante passionem: & semel

semel in Emaus, post resurrectionem: illic sub vtraque specie: hic sub vna: illic adfuisse Apostolos, qui tunc fiebant Sacerdotes; hic duos discipulos, qui adhuc erant Laici.

5 Terro probatur ex effectu. *Aperti, inquit, sunt oculi eorum, & cognoverunt eum.* Vnde autem aperti sunt? Ex sumptione panis Eucharistici. Sic Augustinus lib. 3. de consensu Euangelistarum cap. 25. cum ait; *Vt cum eis benedictum panem porrigeret, aperirentur oculi eorum, & agnoscerent eum.* Et infra; *Non autem incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum a satana factum fuisse, ne agnosceretur Iesus.* Sed tamen a Christo est facta permissio usque ad Sacramentum panis, ut unitate corporis eius participata remoueri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus possit agnosciri. Et clarissime Theophylactus loco citato; *Insinuat & aliud quiddam, nempe quod oculi eorum, qui benedictum panem assumunt, aperiuntur, ut agnoscat illum.* Magnam enim & indicibilem vim habet caro Domini.

6 His tribus argumentis, nihil habent aduersarij, quod solidè respondeant. Conantur tamen effugere, ut possint; & singulis aliquid opponunt. Ac primùm dicunt, tametsi aliqui Patres illum intelligent de pane Eucharistico; alios tamen esse, qui aliter sentiant. Nihil ergo certi ex Patribus haberí posse. Ego contra sic vrgeo. Si D. Hieronymus, Augustinus, & alij Patres citati, qui diuersis sæculis vixerunt, putarunt Christum sub vna specie dedisse Eucharistiā discipulis in Emaus; consequenter putarunt, communionem sub vna specie non esse prohibitam iure diuino: Ergo siue Christus dederit Eucharistiam sub vna specie, siue non dederit; tamen Patrum antiquorum sententia est, vnam speciem licetē usurpari posse. An hoc satis non est? Nihil enim aliud hic querimus. Et sancte dicant aduersarij; an putent Augustinum, Hieronymum, & similes

Patres

Patres in hac re errasse, necne? Si putant errasse, quomodo hoc probant? Sin minus; neque nos erramus, qui illos sequimur.

7 Alterum effugium est; ex illis verbis, *Accepit panem, benedixit, fregit, porrexit*, non posse quicquam convinci. Nam similia verba reperiuntur Marci 6. 41. *Acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, intuens in celum, benedixit, & fregit panes, & dedit discipulis suis*, ut ponerent ante eos. At hæc verba non intelliguntur de pane Eucharistico, sed de panibus per miraculum multiplicatis: Ergo nec priora necesse est intelligi de pane Eucharistico. Facilis est responsio. Christus in Euangelio ter legitur benedixisse panem. 1. in multiplicatione panum & piscium. 2. in vltima cœna. 3. in Emaus. Ec semper aliquid mysterij seu miraculi operatus est. Unde euidenter concludimus, benedictionem Christi circa panem, fuisse semper efficacem, & alicuius mysterij seu miraculi effectricem, Solùm potest esse quaestio de qualitate mysterij, an scilicet in illa triplici benedictione, quæ diuerso loco ac tempore à Christo facta est, semper fuerit idem mysterium seu miraculum, an potius diuersum. Hoc autem non aliunde melius, quam ex circumstantiis, & Patrum interpretatione discerni potest. Et quidem in prima benedictione, satis constat ex ipso contextu, fuisse miraculum multiplicationis panum. Nam quinque panes ita multiplicati sunt, ut ex iis non modo satiata fuerint quinque millia viorum, sed etiam collecti duodecim cophini fragmentorum, quæ supererant. In altera, quæ facta est in vltima cœna, panis & vinum, in carnem & sanguinem Christi conuersa sunt, ut patet ex illis verbis; *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*. Et sic Patres omnes interpretatur. In tertia quæ in Emaus contigit, de uno constat, de altero disputamus. Constat oculos discipulorum aper-

tos fuisse. Hoc enim Scriptura expresse dicit. Disputamus, an hoc tribuendum sit panis Eucharistico? Affirmant Augustinus & Theophylactus. Et quæ causa est cur negemus? Aduersarij nullam adferunt. Nam illi, qui putant ideo dici apertos fuisse discipulorum oculos, quod Christum agnouerint ex peculiari modo frangendi panem; non causam, sed fabulam adferre mihi videntur. Vnde enim habent, Christum solitum esse tam artificiosè panem frangere manibus, ac si cultro diuisus esset? Euagelistæ nihil huius meminerunt. Merita coniectura est. Et sane, si quid tale præter morem aliorum fecisset Christus; Pharisei minimè dissimulassent. Solent enim, etiam in rebus minimis illum reprehendere, si quid nouum aut alienum ab eorum consuetudine usurparet. Non ergo discipuli agnouerunt Christum ex artificiose panis fractione, quæ nullum in Scriptura fundamentum habet; sed ex sumptione panis Eucharistici, cum ea vis fuit, ut eorum oculi, non solum corporis, sed etiam mentis repente fuerint illuminati.

8 Atque hæc dicta sunt contra eos, qui negant loco citato agi de Eucharistia. Sunt alij, qui quidem id concedunt (quia vident non nisi temere negari posse) negant tamen inde colligi usum unius speciei: quia volunt in fractione panis per synecdochē intelligi totum Sacramentum sub utraque specie. Sed hoc neque probare possunt ex Scriptura; nec ab ullo probato auctore asseritur; nec omnino verisimile est. Nam Lucas scribit, Christum porrecto pane benedicto, euanuisse ex oculis eorum. Ergo post porrectum panem non consecravit calicem.

9 Vnum obiici potest; quia si non admittimus hic synecdochē; ergo sicut ex illo loco colligimus usum unius speciei, sic etiam colligere poterimus consecrationem

tionem vnius speciei. At Catholici negant, vnam speciem sine altera consecrari posse: Ergo etiam negare debent, Christum sub vna specie Eucharistiam porraxisse. *Respondeo.* Si spectemus naturam rei, fateor vnam speciem sine altera consecrari posse, & hoc à Christo factum esse. Si spectemus ius Ecclesiasticū, vna species sine altera consecrati non debet; & hoc volunt Catholici. De hac re iterum dicemus sequenti capite.

C A P V T I V .

Tempore Apostolorum usurpata fuit vna species?

¶ **H**oc colligitur ex duplii Scripturæ loco. Prior habetur Act. 2. 42. vbi Lucas sic scribit; *Erat autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Hic agi de Eucharistia, fatentur aduersarij, Lutherus in serm. de Eucharistia, Kemnitius in 2. p. Examinis, Caluinus lib. 4. inst. cap. 17. §. 35. & plures alij. Et probatur variis modis. Primò, quia fractio panis coniungitur cum doctrina & oratione, tanquam res sacra cum rebus sacris. Non ergo sermo est de communi & domestico pane, sed de Eucharistico. Secundò, quia Syrus interpres sic vertit; *Et communicabant in precibus & fractione Eucharistiae;* ut etiam fatetur Beza in illum locum, & Plessæus lib. 1. de Eucharistia capit. 1. pag. 37. Tertiò, quia Lucas agit de nouis Christianis, qui tum primum erant conuersi & Baptizati. Sic enim loquitur; *Qui ergo receperunt sermonem eius (nempe Petri concionantis) baptizatis sunt.* Et statim subdit; *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis.* Porro constat, Neophytes in primitiva Ecclesia, statim post Baptismum solitos esse Eucharistiam percipere. Quartò, quia

non fuisset magna laus, primos illos Christianos perseverasse in cibo corporali. Imò, nec opus fuisset Lucam id commemorare, quia satis constat, homines quotidie vesci solere pane domestico. At rarum, & commemoratione ac laude dignum est, perseverare in oratione, & Eucharistiae perceptione.

2 Posterior locus habetur Actorum 20. 7. *Vna autem sabbati, cum conuenissimus ad frangendum panem, Paulus dispergit at cum eis prefecturus in crastinum, protractaque sermonem usque ad medium noctem.* Hic etiam agi de Eucharistia, fatentur Caluinus & Beza in illum locū, Kemni-
tius in 2. pagina Examinis, & plures alij. Et patet ex ipso contextu. Primò, quia diligenter notatur dies ille, quo in primitiva Ecclesia solebant fideles conuenire ad sacros conuentus, qui erat prima sabbati, id est, dies Dominicus, ut docent Iustinus lib. 2. & Augustinus epista-
la 86. ad Caſulanum. Secundò, quia Paulus dicitur ma-
ſille Troade septem diebus, & expectasse primam sab-
bati, ut tunc fideles conuenirent ad frangendum panem
in magno cœnaculo, lampadibus copiosissime illustra-
to; idque nocturno tempore, propter metum persecu-
tionis. At certè, si fuisset prophanum conuiuum, quorū
sum adhibitæ essent tot ceremoniæ?

3 Nunc ex utroque loco sic argumentor. Lucas utro-
que loco agit de pane Eucharistico, ut aduersarij faté-
tur & nullam facit mentionem calicis: Ergo omnino credibile est, primos illos Christianos, qui ex Iudeis conuerſi erant, sub vna specie communicasse. Dices forte, Lucam in fractione panis totum sacramentum per synecdochen intellexisse. Sed ex triplici capite refelli id potest. Primò, quia sine fundamento afferitur. Et, si sola coniectura sufficit; cur non similiter dicamus, Christum in deserto, non solum panes, sed etiam aliquot cados vini multiplicasse? Tam enim hoc, quam illud

illud dici potest. At neutrum probatur. Secundò, quia Lucas diuersis locis, ter minimum, si non sàpius, agit de vsl Eucharistiae; & nunquam meminit, nisi vnus speciei. Quis autem credat, præfertim in re tanti momenti, nunquam illum propriè, sed semper synecdochice loqui voluisse? Tertiò, quia Iudæi, qui recens cōuersti erant, adhuc in multis rebus seruabant legé Mosaicam iuxta illud Actor. 21. 20. *Vides frater, quot millia in Iudeis qui crediderunt, & omnes emulatores sunt legis?* At secundum legem Mosaicam solebant in sacrificiis abstinere à sanguine & vino. Ergo planè verisimile est, eos etiam in Eucharistiè perceptione à calice abstinuisse. Et sanè de quibusdam id negari non potest. Multi enim ex iis erant Nazarei, qui non bibebat vinum, nec radebant caput, vsque ad finem dierum voti sui, vt patet Act. 18. 18. & Act. 21. 23. De his quæro, an durante voto sumpserint Eucharistiam, nec ne sumpsisse constat, quia Lucas de omnibus dicit; *Eram autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis.* At durante voto non sumpserunt calicem: Ergo in sola fractione panis communicarunt. Hinc iam patet discrimen inter Lucam & Paulum. Lucas in Actibus semper loquitur de vna specie; Paulus in priori Corinthiaca, de vtraque. Quare hoc? quia Iudæi? de quibus agit Lucas, solent in suis sacrificiis abstinere à vino & sanguine. Corinthij contra, solent vti calice dæmoniorum. Vtique ergo, cum primum conuersti sunt ad Christum, ne statim cogerentur contra suam consuetudinem facere, poterant suo arbitratu, hi sub vtraque, illi sub vna specie communicare.

4 Dices; Si ita est, ergo Apostoli consecravit Eucharistiam sub vna specie, quod Catholici negant fieri posse. *Respondeo.* Quid mirum, Apostolos hoc fecisse, cum ante illos hoc fecerit Christus in Emmaus, vt paulo

ante ostensum est? An non liceat discipulis imitari magistrum suum? Nec soli Apostoli, sed etiam alij post tempora Apostolorum id fecerunt. Refert Volaterranus lib. 7. geographiæ. Innocentium 8. permisisse Noruegis, ut sine vino, sacrificium celebrarent. Et plerique Catholici docent, non male id permissum esse. Tametsi enim iure Ecclesiastico prohibitum sit, vnam speciem consecrare sine alia: tamen neque ex natura rei malum est; & in iure Ecclesiastico potest fieri dispensatio. De hac re videri possunt Genebrardus in chronicō, Claudio repet. 10. de Eucharistia, c. 3. Tapperus art. 15. Ioannes Hesselius de communione sub utraque specie, Henriquez lib. 8. Theologiæ moralis cap. 13. num. 1. Bellarminus lib. 4. de Pontifice cap. 14. in fine, Gabriel in canone Missæ lect. 13. dub. 3. Antoninus 3. p. tit. 13. cap. 6. §. 1. Angelus v. Eucharistia, num. 10. & plures alij.

C A P V T V.

Post tempora Apostolorum fuit una species in usu.

Hoc duplici ordine ostendi potest. Primò, incipiendo à primitiua Ecclesia, & progrediendo usque ad nostra tempora. Secundò, incipiendo à nostris temporibus, & progrediendo ad primitiuanam Ecclesiam. Hunc posteriorem ordinem seruabo, ad redarguendum Plessæi mendacium. Is enim libr. 1. de Eucharistia cap. 10. pag. 126. dicit, communionem sub vna specie tam nouam esse, ut hominiꝫ ætatem vix exceedat. At sanè multo antiquior est. Viguit enim tempore D. Thomæ Aquinatis; qui ante trecentos annos de ea sic scribit; *Est multarum Ecclesiarum usus, ut populo communicanti detur corpus Christi sumendum, non autem sanguis.*

sanguis. Et iterum; *Quia creuit multitudo populi Christiani in qua continentur senes, & iuuenes & parvuli quorum quida non sunt tanta discretionis, ut cautelam debitam circa usum huius sacramenti adhibeant; ideo prouidet in quibusdam Ecclesiis seruatur, ut populo sanguis sumendus non detur, sed solum a sacerdote sumatur. Et rursum; Nihil derogat perfectioni huius sacramenti, si populus sumat corpus sine sanguine. Et denique; Potest a populo sumi corpus sine sanguine. Nec exinde sequitur aliquid detrimentum, quia sub utraque specie totus Christus continetur.* Hæc ante trecotos annos scripta sunt.

2 Plus dicam. Ante annos mille & amplius publicè in Ecclesia tam orientali, quam occidentali, usitata fuit communio sub una specie. Hoc variis argumentis convinci potest. Primum est, quia Manichæi communica- bant olim inter Catholicos (occultata heresi) sub una specie, ut testatur Leo Papa sermone quarto, de Quadragesima: & tamen nunquam ab Ecclesia propter hæc causam reprehensi aut damnati sunt: Ergo communio sub una specie non putabatur olim illicita. Hoc ita confirmo. Augustinus, Epiphanius, & alij plures, accuratè scripserunt de erroribus Manichæorum. At nemo illorum scripsit eos errasse, quod sub una specie communicarent: Ergo communicare sub una specie, non censebatur tunc erroneum. Hoc argumentum magni ponderis apud omnes esse debet. *Quis enim credat vigilissimos Ecclesiæ pastores, qui in notandis & confutandis hereticorum dogmatibus fuerunt diligentissimi, non notatueros fuisse hoc dogma de una specie, si putassent esse hereticum?* At nemo, ut hereticum, notauit.

1 Imò, inquires, duo Pontifices notarunt, Leo & Gelasius. Utique enim damnauit Manichæos, quod abstinerent a calice. Et quidem Leo Papa serm. 4. de Quadragesima sic habet; *Ore indigno Christi corpus acci-*

piunt (Manichæi) sanguinem autem redemptionis nostra haurire omnino declarant. Gelasius verò apud Gratianum cap. comperimus, de consecratione, dist. 2. Comperimus, inquit quod quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacri cruxis abstineant. Qui procul dubio quoniam nescio qua superstitione docentur astringi, aut integra sacramenta percipient aut ab integris arceantur; quia diuisio unius eiusdemque mysterij, sine grandi sacrilegio non potest prouenire.

4 Verum haec obiectio, quam Lutherani & Caluinistæ contra nos virgent, planè confirmat nostram sententiam. Ac primum, quod attinet ad Leonem Papam res sic habet. Erant tunc temporis Romæ multi Manichæi ex Africa profugi, qui ut suam hæresim occultarent, & se Catholicos esse mentirentur (alioqui admissi & tolerati non fuissent) publicè cum Catholicis templo adibant, & cum eis communicabant. At priuatum in clandestinis conuenticulis suam hæresin exercebant. Ut igitur ciues Romani, qui verè Catholic erant, possent sibi cauere ab huiusmodi hominum genere; Pontifex publicè pro concione monuit eos pro Manichæis habendos esse, qui in communione semper à calice abstinerent. Hanc enim sufficientem esse notam, qua ab aliis discerni queant. Alios enim nō semper, sed aliquando; Manichæos semper abstinere à calice. Verba Leonis sunt haec; Cumque ad regend. in infidelitatem suam, nostris audeant interesse mysteriis, ita in sacramentorum communione se temperant, ut interdum intius lateat ore indigno Christi corpus accipiant; sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant. Quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut nobis huiuscmodi homines & his manifestentur inditiis & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & proditi, à sanctorum societate, sacerdotali auhoritate pellantur.

5 Hinc sumo efficax argumentum pro nobis: Et quidem

dem triplex. *Vnum est*; Manichæi, qui Romæ volebant esse occulti, non fuissent ausi publicè abstinere à calice, si omnes Catholici coacti fuissent sumere calicem. Sic enim statim fuissent agniti. Ergo evidens signum est, usum calicis fuisse liberum apud Catholicos. *Alterum*; Leo Papa non monuit Romanos, ut notarent eos qui abstinerent à calice, sed eos, qui semper abstinerent. Hoc enim significat per illam particulam. *Omnino*, cum ait; *sanguinem redemptoris nostræ haurire omnino desinant*. Ergo hoc fuit discriminem inter veros Catholicos, & occultos Manichæos, quod h̄i semper, illi aliquando sub una specie communicarent. Una igitur species fuit tunc licita. *Tertium*; Dicant Lutherani & Caluinistæ, an Communio sub una specie fuerit Romæ tunc temporis noua, & primum introducta à Manichæis; an etiam prius visitata à Catholicis; Si noua; facillimè poterat notari à Romanis; nec opus erat Pontificis monitione. Si prius visitata, nihil nos facimus hoc tempore, quod olim à Catholicis factum non sit.

6 Accedit, quod idem Leo in aliis concionibus populo explicarit, quinam essent errores Manichæorum; ut patet ex serm. 4. de collectis, & ser. 5. de ieiunio decimi mensis. Romanî enim nesciebant, in quibus punctis Manichæi dissiderent à Catholicis. Igitur à Leone Papa instructi sunt. At Leo nunquam dixit eos errare in usu unius speciei; quod tamen sine dubio fecisset, si una species diuino iure esset interdicta; præsertim, cum tam serio ac paternè hortaretur suos ciues, ut ab omni Manichæorum errore essent alieni. Quomodo autem poterunt esse alieni, nisi speciatim de unoquoque monerentur.

7 Veniamus ad Gelasium Papam, qui successit Leonii in Pontificatu post annos triginta duos. Ille igitur,

quia videbat Catholicos aliquando abstinere à calice, sicut fecerant tempore Leonis, & aliorum, qui Leonem proximè secuti sunt; ideoque non satis facile discerni posse à Manichæis; tulit nouam legem, vt deinceps Catholicæ nunquam abstinerent à calice. Sic enim putabat fore, vt statim quotquot abstinerent à calice, noscerentur Manichæi esse, non Catholicæ. Nec tamen hoc ideo fecit, quod existimaret unam speciem licet sumi non posse, sed ne Catholicæ, si pergerent abstinere à calice cum Manichæis, paulatim imbueretur errore Manichæorum. Hi enim dupli de causa abstinencebant à calice. Primò, quod putarent vinum esse fel Draconis. Secundò, quod negaré Christum esse verè mortuum, & verum sanguinem effudisse. In utroque errabant. Ne ergo Catholicæ viderentur ob easdem causas abstinere, iussit Pontifex, ne deinceps abstinerent, ad præcauendam utriusque erroris suspicionem. Itaque illa verba Gelasij, *Diuino unius eiusdemque mysterij sine granli sacrilegio non potest pronenire;* non significant, unam speciem non posse sumi sine sacrilegio, vt falso interpretantur Lutherani & Caluinistæ; sed opinionem illam, qua Manichæi putabant abstinendam esse à calice non posse pronenire, sine suspicione nefandæ heresis. Vide Baronium tomo 6. Annalium, anno Christi. 496. vbi doctè & prolixè de hac re disputat contra Nouatores.

8 Porrò, quod Manichæi fuerint in illo dupli errore, de quo dixi, patet ex Augustino, libro de hæresibus, cap. 46. vbi sic ait, *Nam & vinum non bibunt, dicentes fel esse Principum tenebrarum:* Et ibidem, *Affirmant Christum non fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis humanis sensibus præbuisse, vt mortem & resurrectionem mentiretur,* Similia de iis scribit Leo Papa serm. 4. de collectis, in fine, & serm. 4. de nativitate Domini, circa mediū, & ser.

ser.4.de Epiphania,paulo post medium.Eodem spectat illud Gelasij; *Qui proculdubio, quoniam nescio qua superstitione docentur astringi, &c.* Hinc iterum concludo pro nobis; Gelasius,Augustinus & Leo damnarunt quidem errores; seu superstitiones,propter quas Manichæi abstinebant à calice; non tamen damnarunt ipsam abstinentiam à calice: Ergo putarunt communionem sub vna specie non esse illicitam.

9 Hactenus primum argumentum , quod ex facto Manichæorum desumptum est. Alterum , sumi potest ex vsu Ecclesiæ Orientalis,præsertim Constantinopolitanæ. Nam sicut Romæ tempore Leonis Papæ , liberum fuit sub vna,vel utraque specie communicare ; sic etiam Constantinopoli tempore D.Chrysostomi. Hoc evidenter conuincit historia, quam referunt Sozomenus lib.8.cap.5.Nicephorus lib.13.cap.7. Baronius tomo 5.annalium, anno Christi 400. in fine,& alij complures. Est autem hæc; *Vir quidam (inquit Niceph.) Macedonij morbo laborans , uxorem eadem contagione infestam habebat. Hic cum aliquando in magnum illum virum (nempe D. Chrysostomum) incidisset , quomodo de Deo sentiendum sit , differentem , statim priori opinione relictâ mutatus , dicta illius laudauit , coniugemque , ut itidem & ipsa sententiam suam mutaret , cogere insituit. Vbi vero illa ex consuetudine & colloquiis quotidianis familiarium muliercularum pendens , admonitionem eius non suscepit , & maritus re sepius tentata , nihil effecit ; postremo ei denunciauit , nisi communem atque eandem secum de Deo teneret opinionem , minimè se eam secum habitare passurum esse. Mulier postquam id per simulationem annuit , ex ancillis , quam fidam sibi esse credebat , vni,quid factura esset, credidit , ut per fraudem virum fulleret. Et sacrorum misteriorum tempore accedens illa donum , sicuti mos erat, (qui sacris instituti sunt , quid dicam, intelligunt) accepit ; atque id retinens , perinde atque orationi*

tioni vacatura se inclinata submisit, mysteriumque sacrosanctum occuluit: Et quæ ei assistebat ancilla, pro eo panem communem domo allatum obtulit quem illa ori admouens, in lapidis naturam induratum esse dum dentibus atterere conatur, sensit. Itaque timore percita, ne quid grauius per Dei vindictam patereetur, propter miraculum, quod prater opinionem acciderat, nulla interposita mora ad magnum illum accedit. Patrem, rem altam ei exponit, & lapidem ostendit, certo & aperte mortuus indicium exhibentem, qui iam materiam priorem ignoraret, nūcumque & alienum colorem obtineret. Et venia delicti petita, deinceps in eadem cum marito opinionem perdurauit. Lapis iste ad fidem miraculi eius facientem, longo tempore inter Ecclesiæ donaria asseruatus, spectatoribus miraculo fuit. Hæc Nicephorus.

10 Ex hac historia tria colligimus, quæ ad rem faciunt. Primo, quot tunc temporis Eucharistia sub specie panis data fuerit communicantibus in manu, ut eam postea sumerent, quisque pro sua deuotione. Secundo, quod illa fœmina hæretica, ut in gratiam mariti simularet, se Catholicam esse publicè in manu acceperit panem Eucharisticum à Sacerdote, tanquam paulo post eum comedesta. Tertio, quod digressa à Sacerdote, clam absconderit panem Eucharisticum, & pro eo communem ac prophanum ori admouerit, ut saltē communicasse videri posset. Hinc concludo, tunc temporis liberum fuisse, vel sub una, vel sub utraque specie communicare. Nam si omnes coacti fuissent sumere de calice, non potuisset illa mulier dissimulare suam fraudem, quia calix non dabatur communicantibus in manu, sed à Diacono eorum ori admouebatur, ut habet Cyrillus catechesi mystagogica.

11 Nihil habent hic aduersarij, quod solidè respondeant. Plessæus lib. i. de Eucharistia c. 12. pag. 163. sola interrogatione conatur eludere. In illa, inquit, narratione de

de muliere infideli , quæ Chrysostomum decipere conata , licet Sozomenus panis tantum meminerit in lapidem conuersi , an non de publica Ecclesie Constantiopolitana communione agitur , in qua utramque speciem administratam , quis unquam dubitauit ? At mihi Pleissæ non quæstio , an utramque species publicè fuerit administrata ; sed potius , an liberum fuerit communicantibus , vel unam , vel utramque speciem accipere . Hoc autem liberum fuisse , optimè conuincitur ex historia citata . Nec quisquam salua historiæ veritate , inficiari id potest .

12 *Terium argumentum sumitur ex communione domestica , quæ olim apud Catholicos sub altera specie fuit usitata : Solent enim fideles Eucharistiam domum deferre , & ibi pro sua oportunitate sumere , ut tradunt Tertullianus , Basilius , Clemens Alexandrinus , Cyprianus , Hieronymus , Augustinus , & alij antiqui Patres . Et quidem Tertullianus lib . 2 . ad uxorem (ubi hortatur eam , ne , cum Christiana sit , nubat gentili marito , eo , quod non possit exercere officia Christianæ religionis , quin maritus gentilis aduertat) inter cætera sic ait : Latebis ne tu , cum lectulum , cum corpusculum tuum signas ? Non sciet maritus , quid secreto ante omnem cibum gustes ? Et si scierit , panem non illum credit esse qui dicitur . Hinc apparet , fideles solitos esse domi ante alios cibos sumere panem Eucharisticum . Idem Tertullianus in libro de oratione , in fine : Accepto , inquit , corpore Domini , & reseruato , utrumque saluum est , & participatio sacrificij , & executio officij . Disputat eo loco , an ieiunium soluatur sumptione Eucharistiae . Aliqui affirmabant : ideoque diebus ieiuniorum putabant abstinendum esse à communione . Occurrit Tertullianus , corpus Domini , quod in templo distribuitur , domum deferri posse & reseruari ad horam comedionis : sic enim fore , ut nec ieiunium violetur , nec communio omittatur .*

13 De eadem reservatione Basilius in epistola ad Cæsariam Patriciam sic scribit: *Illud autem, in persecutionis temporibus necessit. ut cogi quempiam, non præscire Sacerdote aut ministro, communionem propriam manu sumere, nequaquam esse graue superuacancum est demonstrare, propterea quod longa consuetudine, hoc ipso rerum usu confirmatum est.* Omnes enim in eremis solitariam vitam agentes, ubi non est Sacerdos communionem domi seruantes, à seipsis communicant. In Aegypto vero & in Aegypto, unusquisque eorum, qui sunt de populo, ut plurimum habet communionem in domo sua.

14 Consentunt alij Patres citati. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, non longè à principio, ait: *Etiam Eucharistiam cum quidam, ut mos est, diuiserint, permittunt unicuique ex populo eius partem sumere.* Et Cypr. serm. de lapsis: *Cum quædam (mulier) arcam suam in qua Domini sanctum fuit, manibus in lignis tentasset aperire; igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere.* Et alius, qui & ipse maculatus, de sacrificio à Sacerdote celebrato partem cū ceteris ausus est latenter accipere, *sanctum Domini edere & conirectare non potuit, & cinerem ferre se aperiis manibus inuenit.* Et Hieronymus in Apologia ad Pamphilium pro libris suis contra Iouinianum: *An alius in publico, alius in domo Christus est? quod in Ecclesia non licet, nec domi licet.* Et August. serm. 252. de tempore: *Omnis viri, quando communicare desiderant, lauant manus suas; Et omnes mulieres nitida exhibent linteola, ubi corpus Christi accipiunt.*

15 Ex his Patrum testimoniosis perspicuum est, fideles olim solitos esse Eucharistiam domum deferre, ibique assertuare ad priuatam communionem. Quod autem soliti sint vnam tantum speciem deferre & conservare; facillimè ostendi potest. Primo, quia citati Patres vnius tantum speciei meminerunt. Secundo, quia plerique non nisi de vna specie intelligi possunt. Quis enim credat, sanguinem Christi sub specie vini à fideli- bus

bus perlatum esse in manibus, arca, vel lincto? corpus Christi portari sic potuit; non sanguis. Tertio, quia D. Athanasius Apologia 2. contra Arrianos, diserte ait, nullum calicem aut poculum mysticum alibi reperiri potuisse, nisi in Ecclesia. Quomodo ergo in domibus Laicorum asseruari potuisset sanguis Christi, sine poculo aut calice?

16 Hoc argumento cōuicti aduersarij fatentur, vnam speciem fuisse olim usurpatam priuatim in domibus: non tamen publicē in Ecclesia. Addit Kemnitius eos ipsos, qui priuatim sumebant Eucharistiam sub specie panis, prius in Ecclesia sumpsisse sub specie vini: ac proinde utramque speciem per internalla temporum usurpasserē. Deinde, se non disputare de priuata, sed publica cœnæ administratione. Sed primum quarto ex Kemnitio, vnde sciat, prius calicem in Ecclesia, deinde panem Eucharisticum in priuatis domibus sumptum fuisse à fidelibus? contrarium planè colligatur ex Tertulliano, cum ait, eodem die, & iejunium, & communionem feriari posse, si corpus Domini ad horam comestionis asseruetur. Quid opus erat, ratione iejunij, tamdiu abstinere à corpore Christi; si iam antea calix fuisse degustatus? de Eremitis res clarior est. Quomodo potuissent calicem sumere in Ecclesia, qui toto anno communicabant in eremo, & non nisi rarissime ad Ecclesiam veniebant? Addo Kemnitium sibi ipsi repugnare. Nam ex vna parte ait, se tantum disputare de eo, quod publicē fiebat in Ecclesia; Et ex altera fateatur, fideles publicē in Ecclesia solum calicem sumpsisse, pane Eucharistico domum asportato: Ergo fateri debet, vsum vnius speciei fuisse publicē usurpatum in Ecclesia, quod tamen vult negare. Denique, quidquid sit de contradictione Kemnitij, si communio sub vna specie, licita & visitata fuit in priuatis Laicorum domibus;

bus; certè diuino præcepto prohibita esse non potuit. Quod enim simpliciter à Deo prohibitum est, nec priuatum, nec publicè rectè fieri potest. Hoe sensu dixit Hieronymus loco citato; *Quod in Ecclesia non licet, nec domi licet.*

17 Plessæus Caluinista, lib. i. de Eucharistia cap. 12. pag. 162. propè finem, quia facile aduerterebat hanc Kemnitij solutionem defendi non posse; aliam viam ingressus est. Ait, quæ hactenus ex Patribus allata sunt, nihil aliud, quam muliercularum & idiotarum extraordinarios quosdam abusus esse. Et hoc probat, quia communio priuata, de qua hactenus locuti sumus, fuit postea dānata ab Ecclesia in Concilio Toletano 1. can. 14. & in Cæsar-Augustino can. 3. At non esset damnata, si liceret domi communicare. Sed valde errat Plessæus. Primò, quia citati Patres loquuntur de priuata communione, tanquam de re sancta, & longo fidelium vsu comprobata. Et sanè, si res mala est, cur Alexandriæ & in tota Ægypto tamdiu fuit tolerata? cur Tertullianus eam sualit in die ieiunij? cur Basilius definiuit posse Laicos ex propria manu communicare, sicut eo tempore faciebant Eremitæ? Secundò, falsum est, in citatis Conciliis damnatam esse priuatam communionem. Non fuit damnata, sed prohibita: nec ideo prohibita, quia in se mala, sed propter irreuerentiam, & varios abusus, qui inde sequebantur. Hoc patet ex ipsis verbis. Sic enim loquitur Concilium Toletanum can. 14. *Si quis acceptam à Sacerdote Eucharistiam non sumpserit, velut sacrilegus propellatur, quasi dicat.* Hactenus multi reperti sunt, qui Eucharistiam acciperent à Sacerdote, non ad sacram refectionem, sed ad illicitos abusus. Deinceps, ne id fiat amplius, singuli participent Eucharistiam à Sacerdote acceptam, nec domum secum auferant, alioqui, qui se-
cus

cus fuerit, de sacrilegio suspectus erit, & pro sacrilegio reputabitur ac punietur. Eodem sensu definiuit Concilium Cæsaraugustanum can. 3. *Eucharistie gratiam si quis probatur acceptam in Ecclesia non sumpsisse, anathema sit in perpetuum.* Nimirum contra Priscillianistas, qui ut suam hæresin occultarent, publicè cum Catholicis accipiebant Eucharistiam à sacerdote, & nunquam postea sumebant. Hæc nota sunt ex historiis. Vnde miror Plessæum, quod in re manifesta fucum facere voluerit.

38. *Quartum argumentum sumi potest ex communione Laica*, quæ in pœnam magni alicuius delicti, olim dabatur clericis, ablata eis cōmunione clericali. Huius crebra mentio est in decretis antiquissimorum Pontificum & Conciliorum. Vide Siricum Papam epist. 1.c. 11. Fælicem 3.epist. 1.c. 2. Concilium Elibertinnum can. 76. Sardicense c. 1. & 2. Agathëse ca. 33. Toletanum 1.c. cap. 4. Toletanum 4. cap. 17. Braccarense 1.c. 31. Cypriani lib. 4. epist. 2. & alios. Hoc argumento vtitur Bellarminus l. 4. de Eucharistia c. 24. asserens nomine *Laice communionis* intelligendam esse communionem sub una specie. Quod si verum est, argumentum est efficacissimum pro vñu vnius speciei. Aliqui tamen, non solum ex aduersariis sed etiam Catholicis, aliter sentiunt; nempe communionem Laicam fuisse illam, quam sumebant olim Laici extra chorūm ; clericalem verò , quam sumebant Clerici in choro. Vtramque tamen sub specie panis & vini. Constat enim fuisse olim moris, vt Laici orarent & communicarent extra cancellos per ministerium Archidiaconi : Episcopi verò, sacerdotes, & reliqui clerci intra cancellos. Huc spectat illud ex Concilio Toletano 4.can. 17. *Sacerdotes & Leuitæ ante altare communicent; in choro Clerus, extra chorūm populus.* Et ex Braccarenſi 1. can. 31. *Ingredi sacrarium ad.*

communicandum, non licet, Laicis, nisi tantum clericis. Itaque iuxta hanc sententiam, pena Clericorum, qui deliquerant, in eo erat posita, ut exclusi ex choro, cogerentur extra chorūm communicare inter Laicos, & quasi in ordinem Laicorum redigerentur. Quod si ita est, non videtur hinc sumi posse argumentum pro communione sub una specie.

19. Ergo de hac re, saluo meliori iudicio, sic sentio. Primò, verum esse, quod olim Laici extra chorūm ; Clerici in choro communicarint. Et hoc sensu, aliam fuisse communionem Laicam, aliam Clericalem; quarum una fuerit distincta ab alia, ratione. Vtranque tamen fuisse publicam. Secundò, verum quoque esse, quod clerici in pœnam alicuius delicti, soliti sint priuari communione Clericorum, quæ siebat in choro; & remitti ad communionem Laicorum, quæ siebat extra chorūm. Vtrumque patet ex Conciliis citatis, Toletano & Braccarenſi. Addo tertiod, præter hanc pœnam, fuisse aliam (non nomine, sed significatione) quam nimis Clerici, propter enormia quædam flagitia, priuabantur communione clericali, & remittebantur ad Laicam, longè alio sensu. Hoc facile ostendo. Nam Felix tertius loco citato, vult Clericos rebaptizatos abstinere ab omni communione usque ad diem obitus, & in ipsa morte non dari illis, nisi communionem laicam. Et Concilium Sardicense c.2. ne in morte quidem dari illam permittit ob crimina quædam grauiora. Sic enim ait, *ut nec Laicam in fine communionem talis accipiat.* Hæc autem testimonia non possunt intelligi de communione Laica iuxta priorem sensum, quia illa siebat publicè in templo, & distinguebatur à clericali, quod hæc fieret in choro, illa extra chorūm. Nihil tale dici potest de communione Laica, quæ priuatim dabatur, vel negabatur Clericis in articulo mortis:

tis: ibi enim non habet locum distinctio communionis in choro, & extra chorū. Vnde necesse est, fuisse morem ut in articulo mortis, Clerici sub vtraque, Laici sub vna specie communicarent. Nam alias non video, quod intelligi possit per laicā communionem, quæ priuatim ægrotantibus dari solet. Et hoc optimè confirmant illa verba Concilij Sardicensis, quæ paulo ante citauit. *Ita ut nec Laicam in fine communionem talis accipiat.* quasi dicat Episcopus, qui tam grande crimen (de quo ibi sermo est) admiserit non solum clericali, sed etiam Laica communione priuabitur in fine vitæ, id est, non solum communione vtriusq; sed etiam vnius speciei, in pœnam tanti delicti; abstinebit. Si hic sensus non est, quis aliud esse potest? Si autem hic est, quid amplius requiri mus?

20. Addi possent alia argumenta, desumpta ex communione ægrotorum, ex communione infantium, & communione ex præsanctificatis; quæ Bellarminus loco citato persequitur. Sed lubens ea omittit: quia quæ hactenus allata sunt, abundè nobis sufficiunt. Ex iis enim perspicuè constat, vsum vnius speciei ante mille annos, & eo amplius in Ecclesia Catholica, tum publicè Romæ & Constantinopoli: tum priuatim in Eremo & in domibus Laicorum, & in articulo mortis, fuisse receptum & approbatum, tametsi propter varios abusus, fuerit aliquando ab breue tempus prohibitus & intermissus. Quod in aliis quoque rebus euenire solet. An non tria immersio, quæ fit in Baptismo, recepta & usitata fuit tempore Tertulliani? Negari non potest. Et tamen postea in Concilio Toletano 4. can. 5. propter legitimam causam interdicta.

CAPUT VI.

*Sub una specie non minus continetur totus Christus.
quam sub utraque.*

1. **O** Stendi haec tenus, vnam speciem usurpatam fuisse, primò à Discipulis in Emaus; deinde à fideliis atque Apostolorum; denique ab aliis, qui postea successerunt. Nunc duæ causæ explicandæ sunt; cur id recte factum sit. Una est, quia sub una specie non minus continetur totus Christus, quam sub utraque. Altera, quia non minor fructus percipitur ex una, quam utraque, ceteris paribus. Priorem hic explicabo; posteriorem in sequenti capite.

2. Circa priorem causam, primò videndum est, quid sentiant Catholici. Illi ergo sic statuunt. Primò, in Christo spectari posse carnem, sanguinem, animam rationalem, & diuinitatem, seu personam verbi. Secundò, Christum secundum hæc omnia contineri in Sacramento Eucharistiae; & hoc esse, quod dici solet, Christum totum contineri in hoc Sacramento. Tertiò, Christum non solum sub utraque specie simul sumpta, sed etiam sub una specie separatim accepta, totum contineri, id est, totum sub specie panis, & totum sub specie vini. Quartò, aliter tamen contineri sub specie panis; aliter sub specie vini. Nam sub specie panis contineri solam carnem vi sacramenti, reliqua per naturalem concomitantiam. Contra sub specie vini, contineri solum sanguinem vi Sacramenti; reliqua per concomitantiam. Hæc omnia habentur in Conc. Trident. sess. 5.c. 3. & sess. 11. can. 3. & apud D. Thomam in 3. p. q. 76. art. 1. & 2.

3. Calvinisti longè aliter sentiunt, Primò, Christum, secundum carnem, sanguinem, & animam rationalem,

Iem, non esse nisi in cōculo ; ac proinde tanto interuallo abesse ab Eucharistia, quanto cōclum distat à terra. Secundò, hinc fieri , vt nec sub vna, nec sub vtraque specie , dicatur contineri. Tertiò, ridiculum esse, quod docent Catholicī de concomitantia. Vide Calvinū li. 4. inst. c. 17. §. 18. 35. & 47. Et in confessione de re sacramentaria , in fine.

4. Lutherani diuisi sunt. Nam aliqui partim cum Catholicis , partim cum Caluinistis conspirant. Cum Catholicis fatentur , Christum esse præsentem in Eucharistia : cum Caluinistis , negant concomitantiam. Itaque secundum illos dicendum esset , solam carnem Christi esse sub specie panis , & solum sanguinem sub specie vini. Animam rationalem sub neutra contineri. Ita videtur sentire Tilmannus Heshusius in libro de sexcentis erroribus Pontificiorum, titulo 27. errore 4. & 18. Hermanus Hamelmannus in libro contra Sacramentarios, parte 2. argumento 25. & parte 3. in solutio- ne 3. obiectionis.

5. Alij cum Catholicis simpliciter afferunt , totum Christum contineri sub vnaquaque specie, etiam separatim sumpta , vt Ioannes Brentius in confessione V Vitembergensi , articulo de Eucharistia, Kemnitius in disputatione de vtraq; specie, & omnes alij , qui defendunt vbiuitatem. Nam si totus Christus secun- dum diuinitatem & humanitatem vbiue est , vt ipsi volunt : necesse est, totum esse in pane , & similiter to- tum in calice.

6. Caluinistæ alibi refutati sunt: nec egent noua re- futatione. Satis sit hoc loco monuisse, eos in Eucharistia Sacramento nihil reliquum habere , præter nuda symbola panis & vini : quia totam eius substantiam turpissime abnegarunt , contra expressa Christi verba ; *Hoc est corpus meum : Hic est sanguis meus.* Vide plura in dī

sputatione de triplici cœna.

7. Lutherani, qui fatentur Christum in Eucharistia præsentem esse, & tamen negant concomitantiam; hoc vno scripturæ loco refelluntur, Rom. 6. 9. *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur; mors illi ultra non dominabitur.* Nam quæro ex ipsis, an caro Christi sit sola sub specie panis, coniuncta cum sanguine, anima rationali, & diuinitate? Si sola est, mortua est. At Christus non moritur, ut inquit Apostolus. Si coniuncta cum sanguine, anima & diuinitate: iam totus Christus est sub specie panis, quod contendimus. Et non est totus vi Sacramenti, quia vis Sacramenti consistit in illis verbis. *Hoc est corpus meum.* Hæc autem verba, vi sua non significant totum Christum, sed tantum corpus seu carnem. Ergo caro Christi est sub specie panis vi verborum Sacramenti: reliqua per concomitantiam,

8. Hoc clariùs sic explico. Sicut in pomo multa spe-
ctari possunt, color, odor, sapor, quantitas, substantia,
sic etiam in Christo, diuinitas, anima rationalis; caro,
sanguis. Rursum; sicut oculi vi sua non vident totam
domum sed solum colorem: & tamen, quia color rea-
liter coniunctus est cum odore, sapore, quantitate &
substantia, censemur videri totum pomum per natura-
lem concomitantiam: sic etiam verba illa, *Hoc est corpus
meum*, vi sua non significant totum Christum, sed tan-
tum carnem Christi: & tamen, quia caro Christi rea-
liter unita est sanguini, animæ rationali & personæ
verbi, censemur totus Christus significari per realem
unionem seu concomitantiam. Porro, quia verba,
quod significant, hoc efficiunt: quod de significatio-
ne dictum est, de efficientia quoque intelligi debet.
Et quid hic monstri est, quod tantopere metuunt ad-
uersarij? Nihil sancto. Perinde est, ac dicam: me quidem

inuita

inuitasse solum Ioannem ad prandium: sed tamen quia Petrus cum eo erat, à quo nolebat diuelli, venisse cum eo Petrum.

9. Ex dictis sic concludo: Si totus Christus non minus continetur sub vna specie, quam sub vtraque: perinde erit, ceteris paribus, siue sub vna, siue sub vtraque Eucharistiam accipiamus. Semper enim accipiemus eundem Christum: & quidem totum ac integrum. At prius verum est: Ergo & posterius.

10. Et confirmari potest à simili. Faciamus legatum mille florenorum à testatore relictum tibi esse, & totum in duplice codicillo descriptum contineri: nec minus tibi profuturum, si vnum, quam si vtrumque codicillum ab heredibus testatoris accipias. Sancte, si heredes alterum codicillum tibi offerant, cuius vigore totum legatum percepturus es: quid habes, quod queraris? Nihil video. Nam æquè certus es de tota pecunia summa, per vnum, quam per vtrumque codicillū, nec aliunde quicquam pateris detrimenti. Plane sic res habet in nostro proposito. Totum Christum accipis, non minus sub vna, quam sub vtraque specie. Quid ergo queri potest?

11. Sed multò luculentius Scriptura nobis hoc explicat similitudine *Manna*, quæ fuit figura Eucharistiae. Sic enim legimus, Exodi 16.17. *Feceruntque ita filii Isræl, & collegerunt; alius plus alius minus.* Et mensi sunt ad mensuram gomor: *Nec qui plus collegerat, habuit amplius: nec qui minus parauerat reperit minus: sed singuli iuxta id, quo edere poterant, congregauerunt.* Nimirum, voluit Deus quasi in figura multò ante significare, non minus percepturos ex Eucharistia, qui vnam, quam qui duas species acceptuti essent: nec plus qui duas, quam qui vnam sumpturi.

12. Hinc ulterius infero, Catholicos merito beatos, Lutheranos & Calvinistas, infelices esse. Nam Catho-

lici iuxta Scripturam , non minus sub vna , quam sub vtraque specie percipiūt. Semper enim exhibetur illis, totus & integer Christus. Lutherani verò , siue sub vna , siue sub vtraque specie communicent, nunquam totum Christum, sed sub vna specie solam carnem , & sub altera solum sanguinem putant se accipere. Et quia id falso putant (Christus enim non moritur , ut ait Apostolus : ideoque caro non est sine sanguine, anima & diuinitate) non plus accipiunt , quam Calvinistæ , id est, nihil. Perinde enim est, siue dicas cum Calvinistis , Christum omnino præsentem non esse in Eucharistia : siue cum Lutheranis , Christum mortuum præsentem esse. Vtrumque enim impium , & sacrilegium est.

CAPUT VII.

Ex una specie non minor fructus percipitur , quam ex vtraque.

Hoc plane conficitur ex dictis. Nam si totus Christus, qui est fons omnium donorum supernaturantium, non minus continetur sub vna , quam sub vtraque specie, certè non minor fructus ex vna, quā ex vtraque sperari potest. Hoc sensu dixit D. Thomas in 3. p. q. 80. art. 12. ad 3. Potest à populo sumi corpus sine sanguine; nec exinde sequitur aliquod detrimentum, quia sub vtraque specie totus Christus continetur. Et Christus ipse , cum de fructu Eucharistiae loquitur , eundem plane effectum tribuit vni speciei , quem vtrique. Ioan. 6. 51. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in eternū. Et infra. Nō sicut manducauerūt Patres vestri Māna; & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in eternum. Huc etiam spectat figura , quæ de Manna supra allata est. Sic enim Manna erat cibus corporis ; ita Eucharistia est cibus animæ.

Et

Et sicut Manna non minus satiabat ac reficiebat vires corporis, siue quis plus, siue minus collegisset: sic etiam Eucharistia non minus reficit mentem, siue sub vna, siue sub vtraque specie sumatur: modo aliunde non sit impedimentum.

2. Sed ut clarius intelligatur, quod dicimus, explicandum est, quid quisq; sentiat de fructu Eucharistiae. Lutherani putant, totum illius fructum in eo consistere, ut fides in nobis excitetur aut confirmetur. Fundamentum eorum duplex est. Vnum, fidem iustificantem nihil aliud esse, quam fiduciam, qua quis certo persuasus est, peccata sibi gratuito remissa esse per merita Christi, iuxta diuinam promissionem. Alterum, Sacra menta instituta esse ad hanc fidem in nobis excitandam & confirmandam. Esse enim signa quædam sensibilia, quibus Deus suam promissionem de gratuita peccatorum remissione per merita Christi obsignauit, & nobis reliquit, ut ex eorum aspectu vel vsu statim excitemur ad certam fiduciam remissionis peccatorum concipiendam.

3. Ex his fundamentis, quæ tamen falsa & alibi refutata sunt, ostendo Lutheranos, si quem fructum ex Eucharistia percipiunt, non minorem ex vna quam ex vtraque specie percipere posse, si velint; ac proinde frustra eos vrgere vtramque speciem. Hoc autem sic ostendo. Vel fides excitatur ex aspectu sacramenti, vel ex auditu verborum, quæ recitantur in Sacramenti administratione; vel ex ipsa sumptione Sacramenti. Si excitatur ex aspectu sacramenti; frustra Lutherani vrgent sumptionem vtriusque speciei. Primo, quia Laici, tametsi alteram tantum speciem accipient, possunt tamen vtramque aspicere, quia Sacerdos vtramque palam spectandam exhibet. Ergo si solus aspectus sufficit, quid vrgent sumptionem vtriusque speciei?

Secundò, non minus excitatur fides ex aspectu vnius speciei in Eucharistia, quam ex aspectu vnius unctionis in Baptismo: Ergo sicut in Baptismo nō requiruntur tres unctiones ad excitandam fidem, sed vna sufficit; sic etiam in Eucharistia non requiruntur duæ species, sed vna sufficit. Tertiò, quando Lutherani communicant sub utraque specie, prius vident speciem panis, quam calicis. Vel ergo ex solo aspectu panis excitatur fides, vel non. Si excitatur, quid vltius volunt? Si non excitatur: quid prodest sumere illam speciem? Dicent, excitari quidem fidem ex aspectu panis Eucharistici: sed confirmari ex aspectu calicis. Sed quero; an fides excitata ex priori aspectu, sit vera fides iustificans, nec ne? Si est, iam verè credunt Lutherani peccata sibi remissa esse. Ergo iam verè remissa sunt. Quid volunt amplius? an quæ semel verè remissa sunt indigent noua remissione? Non opinor. Si autem non est vera fides iustificans, quid ergo est, aut quid tandem prodest? Sed esto: fides semel excitata, confirmanda est. An hoc fieri non potest ex vnius speciei aspectu semel ac idētidem repetito? Sicut enim, qui saepius ac iterato intuerit eandem Christi imaginem, potest saepius excitari ad commemorandam ipsius mortem & passionem: sic etiam in profilo. Vnde, sicut vna imago, non solum ad excitandam, sed etiam ad confirmandam recordationem sufficiens est: sic planè sentiendum est de vna specie Eucharistica. An Lutherani putant, vnum Bibliorum codicem non sufficere ad excitandam & confirmandam fidem, nisi alter adsit, qui priori suppetias ferat? Si ergo non est alius fructus Eucharistiae, quam solo aspectu excitare fidem remissionis peccatorum; is sane æquè percipi potest ex vna, quam ex utraque specie, ut iam ostensum est.

4. Si autem fides excitatur, non ex aspectu Sacramenti,

menti ; sex ex auditu verborum , quæ in Sacramenti administratione recitantur ; nec sic quidem vrgeri potest sumptio vtriusque speciei. Nam Laici non minus audiunt illa verba, quando communicant sub vna specie , quam quando sub vtraq; Ergo nō minus excitari potest illorum fides in sumptione vnius, quam vtriusq; speciei. Imò, quid opus est sumptione Eucharistia, si ex solo verborum auditu fides sufficienter excitatur ? Sat s erit ad fructum illum percipiendum, si minister clara voce recitet verba institutionis ex Euangilio ; & Laici ministrum recitantem audiant.

5. Si denique , neque ex aspectu , neque ex auditu , sed ex ipsa Sacramenti sumptione fides excitatur, quid tandem illud est , quo potissimum excitatur ? Nam multa spectari possunt in sumptione. 1. externa actio sumendi. 2. interna fides & deuotio sumentum. 3. species panis & vini , quæ sumuntur 4. corpus & sanguis Christi, quæ sub illis speciebus continentur. Quid ergo ex his omnibus est , quod fidem excitat in Lutheranis? An externa sumptio ? At illa saluari potest in vna specie. An interna fides & deuotio ? At sic fides seipsum excitaret. Imò fides adeset, antequam excitaretur. At species panis & vini ? At cum vna species continet totum Christum non minus , quam amba simul, cur vna non sufficiat? An denique corpus & sanguis Christi ? At iam dixi , hæc non minus sub vna , quam sub vtraque specie contineri.

6. Vident opinor , Lutherani , quocunque tandem se vertant , non minorem fructum inuenire se posse in vna, quam in vtraque specie , ac proinde ex hoc capite, non rectè vrgere vtramque speciem. Hoc vnum , coronidis loco ab iis querendo, an per illam fidem , quæ in hoc Sacramento in ipsis excitatur , credant Christum vivum præsentem esse in Eucharistia , an mortuum ? Si

mortuum,

mortuum, errant, quia Christus iam non moritur, ut ait Apostolus. Si viuum, etiam errant, saltem sua opinione, quia putant solam carnem esse sub specie panis, & solum sanguinem sub specie vini. At nec sola caro, nec solus sanguis, in se vita habet. Ergo quidquid credunt, illorum fides erronea est. Quomodo ergo iustificat? Etiam, proculdubio, erronee.

7. Venio ad Calvinistas & Zwinglianos. Quid illi sentiant de fructu Eucharistiae, ne ipsos quidem scire arbitror. Omnia apud ipsos dubia sunt: Et praesertim haec tria, quae ad rem maximè faciunt. 1. an Christus sit realiter praesens in hoc Sacramento. 2. quomodo comedatur & bibatur in hoc Sacramento? 3. quis sit fructus manducationis & bibitionis sacramentalis? Haec inquam, dubia & incerta sunt apud Calvinistas. Expedamus singula seorsim. Ac primum quero, an Christus sit realiter praesens in hoc sacramento? Calvinus nunc affirmit, nunc negat. Affirmit in c. 11. prioris Corinthiacæ, his verbis; *Concludo, realiter, ut vulgo loquuntur, nobis in cœna dari Corpus Christi.* Negat in consensione de re sacramentaria, in fine, his verbis; *Quia tamen Christi corpus finitum est; & cœlo ut loco continetur, necesse est à nobis tanto locorum interuallo distare, quanto cœlum abest à terra.* Calvinum imitatur Plessæus, qui lib. 4. de Eucharistia cap. 3. pag. 675. in fine, negat realem praesentiam, quam tamen antea cap. 2. pag. 660. asseruerat his verbis; *Dum sacra cœna ex prescripto Christi celebratur, Christum realiter & substantialiter accipimus.*

8. Secundò quero: quomodo manducetur & bibatur Christus in hoc Sacramento? In hac re Calvinistas & Zwinglianos dissentire, facetur Calvinus ipse lib. 4. Inst. c. 17. §. 5. cum ait; *Sed hoc non perinde inter omnes conuenit, qualis sit eius participandi ratio.* Sunt enim, qui manducare Christi carnem, & sanguinem eius bibere, uno ver-

lo definiunt nihil esse aliud, quam in Christum ipsum credere. Sed mihi expressius quiddam ac sub imius videtur voluisse docere Christus in præclaræ illa concione, vbi carnis sue manducationem nobis commendat nempe vera sui participatione nos vivificari. Quid autem hoc est? Sequitur paulo post; Interim vero hanc non aliam esse, quam fidei manducationem fatemur, et nulla alia fungi potest. Verum hoc inter mea & istorum verba interest, quod illis manducare est dunt axat credere: ego credendo manducari Christi carnem, qua fide noster efficitur. eamque manducationem fructum effelutumq; esse fidei dico. Hæc Caluinus. Qui potest capere, capiat. Quid Plessæus? Multò facilius se expedit. Ait Christum non aliter manducari & bibi in Eucharistia, quam in Baptismo. Sic enim loquitur lib. 4. c. 3. pag. 672. *Cibus in sacra cœna fons in sacro lauacro.* Et utrobique Christus eodem modo. Et paulo post, ut Christus proinde in sacra cœna non aliter quam in Baptismo suscipiatur, capiatur, gustetur. Et quomodo suscipitur, manducatur & babitur in Baptismo? Non aliter, inquit alibi, quam in verbo Dei, id est, sola fide. Ergo Plessæus iam discedit à Caluino: & nihil plus vult tribuere Eucharistiæ, quam Baptismo.

9. Tertio quæro: quis sit fructus manducationis & bibrationis Sacramentalis? Secundum Caluinum, est certitudo seu securitas de vita æterna. Imò tanta certitudo & securitas, ut non magis possimus amittere regnum cœlorum, quam Christus, qui iam illud ingressus est. Sic enim habet Caluinus lib. 4. Instit. c. 17. §. 2. *Magnum vero fiducia ac suavitatis fructum ex hoc sacramento colligere possunt pia animæ, quod testimonium habens in unum corpus nos cum Christo coaluisse, ut quidquid ipsius est, nostrum vocare liceat.* Hinc sequitur, ut nobis securè spondere audeamus, vitam æternam nostram esse cuius ipse est heres: nec regnum cœlorum, quod iam ingressus est, posse magis nobis excidere, quam ipsi rursum peccatis nostris nō posse nos dñnari. Speciosa verba

ba. Longè aliter Plessæus Caluinista lib. 4. de Eucharistia cap. 1. pag. 652. vbi disertè affirmat, eundem esse fructum Eucharistiae & Agni paschalis: Et generatim loquendo, eandem esse vim, præstantiam, & effectum Sacramentorum utriusque populi, Iudaici & Christiani. Inter alia sic ait: *Quæ igitur Christianorum prærogativa? & Sacra menta nostra veteribus quid præstant?* Responso in promptu est. Sermonis Prophetici & Apostolici eadem virtus. Christus utroque, sibi ipsi par & similis. Idem de sacramentis utriusque populi dicendum. Ergo, secundum Plessæum, eundem fructum nos percipimus ex Eucharistia, quem olim Iudei ex eis Agni paschalis. Quid hinc colligis? Si Plessæo credimus, Christianos esse pares Iudeis; si Caluino, pares Christo in cœlo existenti.

10. Vides, nihil certi esse apud Caluinistas, quando de rebus ipsis agendum est. At cum de iudicis symbolis mouetur controvetsia, omnes constanter urgunt utraque speciem. Et cur id quæso? An Christus magis sub utraque, quam sub una præsens est? At secundum ipsos, nec sub una, nec sub utraque præsens est; sed cœlo tantum continetur. An manducatur & bibitur sub utraque potius, quam sub una? At secundum Plessæum, non aliter manducatur & bibitur in Eucharistia, quam in Baptismo. Si ergo una mersio sufficit ad manducandum & bibendum Christum in Baptismo: cur una species non sufficiat in Eucharistia? An maior fructus spectari potest ex utraque specie, quam ex una? At quis ille fructus est? Non aliis secundum Caluinum, quam facere nos certos & securos de vita æterna. At ille fructus, secundum principia Caluinistarum, habetur ante perceptiōnem Eucharistiae, quod sic ostendo. Vel enim sermo est de prædestinatis, vel de reprobis. Si de reprobis, illi numquam certi sunt de vita æterna. Si de prædestinatis, illi per fidem iustificantem habent hanc certitudinem. At fides

fides iustificans præcedit perceptionem Eucharistia. Quid ergo, si fructum quærimus, confert Eucharistia? aut quid potius vtraque species, quam vna prodest? Nihil video, si Caluini sequaris principia. Prædestinati omnes fidem habent, quæ deficere non potest. Per hanc securi sunt de vita æterna. Imò, omnes fidelium filij ante Baptismum continentur in feedere promissionis vitæ æternæ: Et sine Baptismo saluari possunt: Nec magis futuri in cœlo beati, qui Baptismo tincti sunt, quam qui non sunt. Quid ergo præsidij quærant ex vtraque, vel altera specie? Frustra est, apud Caluinistas.

11. At, inquies, aliter Plessæus sentit de fructu, quam Caluinus. Scio, sed nihilo melius. Ait fructum Eucharistia & Agni paschalis eundem esse. Ait Christum non aliter in Eucharistia, quam in Baptismo manducari & bibi. Ait denique, Baptismum nos admittere in fœdus Dei; Eucharistiam in eo conseruare. Hæc neque vniuersæ vera sunt, neque inter se cohærent: neque rem expediunt. Si enim est idem fructus Eucharistia & Agni paschalis: quomodo dixit Augustinus in Psal. 73. *Sacra-menta non sunt eadem, quia alia sunt sacramenta dantia salutem: alia promittentia Saluatorem, Sacra-menta noui testamenti dant salutem; Sacra-menta veteris testamenti promiserunt Saluatorem.*

Rursum, si Christus non aliter manducatur & bibitur in Eucharistia, quam in Baptismo: quomodo aliis est fructus Baptismi, nempe admittere nos in fœdus Dei: & aliis Eucharistia, nempe in eodem fœdere nos conseruare? Denique, si per Eucharistiam conseruamur in fœdere: quomodo id potius per vtramque speciem fit, quam per vnam? Et quæro: si prædestinati sub vna tantum specie communicarent, an conseruarentur in fœdere, nec ne? Si conseruarentur: res salua est. Sin minus:

minus: quid de iis futurum esset: Dices, conseruandos quidem non tamen vi vnię speciei; sed vi prædestinationis. At idem dicturus es in sumptione utriusque speciei. Nam etiam tunc, vi prædestinationis conseruantur. Quid ergo, si fructum spectemus, interest inter vnam & utramque speciem? Nondum video. Nisi forte ad præceptum recurras. Sed de hoc infra. Nunc solum de fructu disputamus.

12. Relinquo Caluinistas, quia nihil solidi apud ipsos inuenio. Negant præsentiam Christi in Eucharistia, contra apertam scripturæ & Sanctorum Patrum sententiam. In explicanda mandatione & bibitione Sacramentali penitus inter se dissident. Nullum fructum, qui huic sacramento proprius ac peculiaris sit, proferre omnino possunt. Quanto solidior verior, & salubrior est Catholicorum doctrina, quæ initio capituli à me præposita, his paucis assertionibus breuiter explicari potest.

13. *Prima assertio.* Christus in sacramento Eucharistiae, sub specie panis & vini, vere, realiter & substancialiter præsens est: ideoque hoc Sacramentum dicitur constare, partim speciebus Sacramentalibus, quæ oculis cernuntur: partim corpore & sanguine Christi, quæ sub illis speciebus latent. Matth, 26. 26. *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus:* Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 4. mystagogica: *Cum Christus ipse dicat, hoc est corpus meum quis deinceps audiat dubitare?*

14. *Altera Assertio.* Hoc sacramentum institutum est, non ut homines per peccatum mortui, vitam spiritualem inde percipient; sed ut homines per gratiam vni, nutriantur, & maiores vires acquirant. Hinc recte vocatur *cibus, potus, esca, viaticum.* Nam sicut homo, qui corporaliter vivit, indiget cibo & potu corporali, ad se nutriendum & conseruandum corporaliter, sic etiam, qui

qui vivit spiritualiter, indiget cibo & potu spirituali, ad se nutriendum & conseruandum spiritualiter. Ioannis 6.23. *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis, id est, non conseruabitis vitam in vobis.* Rursum, sicut homini corporaliter mortuo non prodest cibus aut potus corporalis: ita homini per peccatum mortuo non prodest, sed potius obest cibus & potus Eucharistiae. 1. Corinthior. 11.28. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.

15 *Tertia Assertio.* Hoc interest inter corporalem & spiritualem nutritionem, quod illa fiat cibo & potu, tanquam duabus rebus distinctis: ut aliud sit cibus & aliud potus. Hæc autem fiat una re, quæ simul cibus, simul potus sit. Itaque Christus, qui totus continetur sub specie panis, sub illa eadem specie cibus & potus est: idemque Christus, qui etiam totus continetur sub specie vini, sub eadem quoque specie, cibus & potus est. Non enim differt cibus & potus in spirituali refectione, sicut differt in corporali. Vnde mandicare & bibere, esutire & sitire indifferenter pro eodem sumuntur in Scriptura. Matth. 5.6. *Beati, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Ioan. 6.53. *Ego sum panis vivus, qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiет unquam.*

16 *Quarta Assertio.* Hinc fit, ut perinde sit, si nutritiō nem spiritualem spectes, sive sumas Christum sub specie panis tantum, sive sub specie vini tantum, sive sub vtraque simul: quia ubique totus est: ubique cibi ac potus rationem habet; & consequenter, ubique plenam refectionem præstare potest. Vnde non minor fructus percipitur ex sumptione vnius, quam vtriusque speciei. Cum enim totus fructus pendeat à Christo,

tanquam à fonte honorū omnium spiritualium: & is
æquè sub vna, atque sub vtraque specie præsens sit:
æquè sub vna, atque sub vtraque, cibi & potus ratio-
nem habeat: necesse est, non minorem fructum ab vna,
quām sub vtraque specie sperari posse. Vide, quæ supra
dixi, §. I.

17 *Quinta Assertio.* Porrò in perceptione huius sa-
cramenti, duplex manducatio distinguenda est: vna sa-
cramentalis, altera spiritualis. Eos dicimus sacramenta-
liter manducare Christum, qui hoc sacramentum, in
quo Christus sub speciebus sacramentalibus contine-
tur, ore corporali accipiunt, & in stomachum traiiciūt.
Eos autem spiritualiter, qui quando ore corporis sa-
cramentaliter manducant Christum sub speciebus sa-
cramentalibus, simul etiam percipiunt spiritualem ani-
mæ refectionem, id est, gratiam sacrametalem, qua ani-
ma spiritualiter pascitur & nutritur. Prior manducatio
communis est bonis & malis. Omnes enim tam boni,
quām mali, possunt ore corporis accipere Christum in
Eucharistia: sic undecim Apostoli boni, & Iudas prodi-
tor. Posterior, propria iustorum est. Hi enim soli perci-
piunt spiritualem fructum ex sacramentali manduca-
tione. Est autem duplex hic fructus: alter consistit in
argumento gratiæ & charitatis habitualis; alter in au-
xiliis gratiæ excitantis, quibus Deus nos præuenit, in-
uitat, & corroborat ad bene beatèque operandum. Si-
c ut enim in nutritione corporis, non solum augetur
caro, sanguis & ossa; sed etiam excitantur spiritus sensi-
tiui & vitales, qui apti sunt ad actiones sensitivas & vi-
tales promptè exequendas: sic in nutritione animæ, nō
solum augetur gratia habitualis, & alia dona permane-
tia, sed etiam excitantur motiones diuinæ ac superna-
turales, quibus homo iustus suauiter impellitur & cor-
roboratur ad pia opera promptè exercenda. Atque hec
brevi

breuiter dicta sunt de sententia Catholicorum. Nam cetera, quæ subtiliora sunt, in scholis disputauimus.

18 Sunt tamen quædam obiectiones diluendæ, quæ non quidem ab aduersariis, sed ab ipsis Catholicis, exercitij causa, opponi solent; idque eo fine, ut quod ha-
ctenus dictum est, melius intelligatur & explicetur.
Prima est; si Christus sub vna specie continetur semel totus, & sub altera semel totus: Ergo sub vtraque con-
tinetur bis totus: Ergo plus conferit sub vtraque, quam
sub vna. *Respondeo.* Negatur ultima consequentia; quia
etiam sub vna parte panis consecrati continetur semel totus; & sub duabus partibus bis totus; & tamen, si
fructum species, perinde est, siue quis sumat vnam,
siue duas aut tres particulas panis consecrati. Idem est
de vino consecrato. Alius plus, alius minus bibit ex
eodem calice; & tamen fructus non ideo maior aut
minor est.

19 *Secunda Obiectio.* Unaquæque species per se con-
fert effectum suum: Ergo plus conferunt duæ, quam
vna. *Respondeo* cum distinctione. Quando vna species
sola sumitur per modum vnius refectionis, tunc con-
fert totum illum effectum, quem conferunt ambæ
species simul sumptæ per modum vnius refectionis.
Quando autem vna species sumitur cum alia, tunc par-
tialiter confert eundem effectum. Simile est, de duabus
particulis panis consecrati, aut de duobus haustibus vi-
ni consecrati. *Dices;* vel totus effectus datur in sumptione
panis; vel totus in sumptione vini; vel pars in sumptione
panis, & pars in sumptione vini. Si totus in sumptione
panis: iam nihil efficit sumptio vini. Si totus in sumptione
vini; nihil efficit sumptio panis. Si pars in sumptione
panis, & pars in sumptione vini; ergo plus prodest sumptio
vtriusque, quam vnius speciei. *Respondeo.* Idem argumentum fieri potest de sumptione

duarum particularum panis consecrati , aut de iterato haustu calicis: aut de triplici mersione in Baptismo. Dicendum ergo est , totum effectum conferri in sumptione panis : absolute quidem , si altera species non sequatur: in ordine vero ad alteram, si sequatur. Sicut , si habeas duplēm particulam hostiæ: totum effectum consequeris in sumptione prioris : absolute si illam solum sumperis: in ordine vero ad alteram, si illam adieceris. De duplēi haustu par proportio est.

20 *Tertia obiectio.* Licet totus Christus sit sub vna specie non minus, quam sub vtraque ; tamen, ut supra dictum est, vi verborum sola caro est sub specie panis, & solus sanguis sub specie vini : Ergo vi verborum plus continent duæ species, quam vna : Ergo etiam plus efficiunt. *Respondeo.* Parum refert ad effectum Eucharistiaæ an caro vel sanguis Christi sit ibi vi verborum , an per naturalem concomitantiam. Hoc satis est, quod totus Christus non minus sit sub vna specie, quam sub vtraque. Nam effectus Eucharistiaæ non pendent immediatè à vi verborum , sed ab ipso Christo, qui est præsens in Sacramento. Ut hoc melius intelligatur , distinguendi sunt duo effectus , qui pendent à diuersis causis. Vnus est præsentia Christi in Eucharistia sub speciebus sacramentalibus. Hic immediatè efficitur vi istorum verborum; *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Alter est gratia Sacramentalis , seu interna animæ nutritio & refectione. Hic immediatè efficitur à Christo iam præsente: Et de hoc disputamus,

21 *Quarta obiectio.* Duæ species simul sumptæ plus significant, quam vna : Ergo etiam plus efficiunt; quia efficientia respondet significationi. Antecedens patet, quia duæ species significant integrum conuiuium, cōstans cibo & potu: Vna species significat alteram tantum partem conuiuij : vt species panis , solum cibum;

& species vini, solum potum. *Respondeo* cum distinctio-
ne. Nam significatio Sacramentalis dupliciter specta-
ri potest. Primo, ex parte rei significatae. Secundo, ex
modo tantum significandi, Hoc ostendo in Baptismo.
Exterior enim ablutio spectatur semel, quatenus signi-
ficat internam ablutionem a peccatis; & semel, quate-
nus eam significat, vel per unam, vel per trinam im-
mersionem. Idem est in Eucharistia. Nam hoc Sacra-
mentum spectatur semel, quatenus significat internam
animæ affectionem; & semel, quatenus eam significat,
vel viuis, vel utriusque speciei sumptione. Si ergo
priori modo spectetur; significatio illius semper est
æquè perfecta, quia semper est eadem res significata,
nempe refectio animæ. Si posteriori, perfectior est
significatio sub utraque, quam sub altera tantum spe-
cie, quia modus significandi est perfectior. Efficien-
tia tamen Sacramenti non respondet significationi ex
parte modi significandi, sed ex parte rei signifi-
catæ.

22. *Quinta obieclio.* Si quis in triduo mortis conse-
craisset Eucharistiam, non perceperisset tantum fructum
ex una specie, quantum ex utraque, ut multi fatentur.
Ergo neque nunc percipimus tantum ex una, quam ex
utraque, quia Eucharistia iam non est alia, quam tunc
fuisset, *Respondeo.* Non est simile. Nam in illo triduo
Christus erat mortuus; & non solum corpus ab anima,
sed etiam caro a sanguine separata. Nunc autem viuis
est. Vnde si in illo triduo fuisset facta consecratio tunc
sub specie panis fuisset caro sine sanguine & anima ra-
tionali; & sub specie vini fuisset sanguis sine carne &
anima rationali. Plus ergo fuisset sub utraque specie,
quam sub una. Hinc aliqui putant, maiorem etiam fru-
ctum ab utraque, quam ab una percipi potuisse. Mihi
tamen non videtur hoc sequi. Nam vis & efficacia hu-

ius Sacramenti, non pendet præcisè à carne & sanguine, sed potius à Diuinitate, seu persona verbi. Cum ergo in triduo mortis caro Christi, licet à sanguine esset separata, manserit tamen coniuncta cum Diuinitate seu persona verbi ; retinuit eandem vim & efficaciam, quam nunc habet. Ergo etiam in illo triduo, non maior fructus ab utraque specie, quam ab una tantum, sperari potuisset.

23 Sexta obiectio. Si est tantus fructus unius speciei, quantus utriusque; quare Christus utramque instituit? & quare Sacerdotes non sunt una contenti, sicut iubent Laicos esse contentos? Respondeo. Eucharistia non solum est Sacramentum, sed etiam sacrificium notiæ legis. Igitur ratio Sacramenti saluari potest in una specie : ratio sacrificij requirit utramque speciem. Laici ergo, qui Eucharistiam accipiunt, ut Sacramentum est, una specie contenti sunt. Sacerdotes autem, qui illam, ut sacrificium offerunt, utramque speciem usurpare debent. Plura de hac re in materia de sacrificio Missæ. Hæc pauca pro hoc loco sufficiunt.

C A P V T VIII.

Quæ sint causæ, cur potius sub una quam sub utraque specie, Laici communicent?

IHactenus explicatæ sunt duæ causæ, cur Laici non minus sub una, quam sub utraque specie communicare possint. Prior est, quia totus Christus non minus sub una, quam sub utraque continetur. Posterior, quia non minor fructus ex una, quam ex utraque percipitur. Nunc aliæ causæ adferenda sunt, cur expediatur eos sub una specie potius, quam sub utraque communicare. Sunt autem potissimum tres. Prima,

quia

quia multi sunt abstemij à vino. Altera , quia vinum multis locis haberi non potest , præfertim in tanta copia; vt multa hominum millia possint communicare. Tertia , quia in tanta cōmunicantium multitudine, sēpe esset periculum effusionis aut irreuerentiæ.

2 Hæ causæ sufficiētes sunt , si semel statuamus (quod hactenus probatum est , & infra rursus confirmitur) utramque speciem iure diuino non esse necessariam, sed alteram sufficere : Nec plus utilitatis ex utraque, quam ex altera percipi posse. Nam si ita est, prudenter abstinere possumus à calice , propter rationes iam allatas. Nec id negant aduersarij. Solūm uirgent præceptum de utraque specie , de quo iam non agimus. Excluso ergo præcepto, nihil est, quam amplius obiiciant.

3 Imo , quod magis miror, illi ipsi, qui præceptum uirgent, putant eas causas , quas iam attuli , tanti momenti esse, ut una species licetè usurpari possit. Nā Ioannes Brentius in Apologia pro confessione Virtembergensi faretur, abstemios posse sub una specie cōmunicare. Et Philippus Melanchto in libro de usu integrī Sacramenti, affirmat, Ruthenos ob vini inopiam recte facturos, si pro vino uiterentur medone, seu aqua mellita.

4 Ex hac illorum concessione sic argumentor. Si abstemij & Rutheni possunt licetè cōmunicare , & fructum Eucharistie percipere, sine specie viti; cur nō similiter alij? Dicent sine dubio , obstarē præceptum Christi: abstemios & Ruthenos excusari ab obseruatione præcepti; reliquos non item. Sed frustra. Sic enim insto: Brentius, Philippus , & alij aduersarij, putant præceptum Christi in eo consistere, ut una species non sumatur sine altera: vel ut ipsi loquuntur, ut Sacramentum Eucharistie non mutiletur altera sui parte: Et sa-

crilegos esse, qui id faciant. Sanè, si ita est, Brentius, Philippus & alij Lutherani omnino sacrilegi sunt, qui contra præceptum Christi, permittunt abstemiis & Ruthenis Sacramentum altera sui parte mutilatum. Adde hoc Dilemma; vel iure diuino prohibitum est cōmunicare sub altera tantum specie, vel non est. Si prohibitum est, cur permittitur abstemiis? Si non est, cur reliquis negatur?

5 Ex dictis colligo hæc duo principia. Vnum est; omnes, tam Catholici, quām aduersarij, permittunt abstemiis communionem sub altera tantum specie, nec vñquam auditum est à temporibus Apostolorū ad nos usque abstemios fuisse à communione exclusos. Alterum est: Nulli, nec Catholici, nec aduersarij, possunt dispensare in præcepto diuino: sed quidquid diuino iure mandatum est, ut fiat, hoc omnino fieri debet: Et quidquid diuino iure prohibitum est, ne fiat, hoc nullo modo fieri debet. Hinc ita concludo; Ergo vel communio sub vna specie, non est prohibita iure diuino quod nos contendimus; vel, si prohibita est, non potest fieri dispensatio in illa prohibitione: Et sic abstemij erunt repellendi à communione. Eligant hic aduersarij, quod volunt.

C A P V T I X.

Ecclesia legitime statuit ut Laici communicent sub vna specie.

1 **S**I spectemus ius diuinum, semper in Ecclesia fuit liberum Laicis, vel sub vna, vel sub vtraque specie cūmmunicare, ut hactenus ostensum est. Si autem spectemus ius Ecclesiasticum, res aliter habet. Nam diversis temporibus propter diuersas causas & occasio-

nes,

nes , fuerunt etiam diuersa præcepta Ecclesiastica de
hac re. Et quidem Gelasius Papa, quia videbat suo tem-
pore Manichæos ex falsa superstitione semper abstine-
re ab altera specie: planè statuit, ut nemo, nisi sub vtra-
que specie communicaret: alioqui fore, ut Manichæus
haberetur, qui à calice abstineret. Contra vero, Patres
in Concilio Constantiensis, quia videbant Hussitas in
Bohemia , pertinaciter vrgere vtramque speciem tan-
quam ad salutem necessariam : cum tamen Catholici
passim sub altera communicarent: vñsum vtriusque spe-
ciei, respectu Laicorum, penitus sustulerunt: non sane,
quod putarent esse malum & illicitum : sed partim, ut
hac ratione , Hussitarum errorem corrigerent & dam-
narent : partim etiam , ut consuetudinem communica-
candi sub vna specie, quæ tum multis locis recepta erat,
suo decreto approbarent, & sic in tota Ecclesia, maior
conformitas & concordia seruaretur. Accedebant
etiam & aliæ causæ , quas superiori capite explic-
uimus.

2 Propter has igitur prudenter statutum est, ut Laici
sub vna specie deinceps communicarent. Nec sine
Exemplo id factum est. Nam simile quid contigit olim
circa mersionem Baptismi. Sicut enim iure diuino sem-
per liberum fuit communicare sub vna, vel sub vtraque
specie : sic etiam iure diuino liberum fuit , vnam vel
trinam mersionem adhibere in Baptismo. Et rursus,
sicut hac libertate non obstante , Ecclesia nunc sub
vna , nunc sub vtraque specie , voluit Laicos Euchari-
stiam accipere : sic etiam, nunc vnam, nunc triplicem
mersionem voluit adhiberi in Baptismo , propter di-
uersas causas diversis temporibus occurrentes. Et
quidem in primitiva Ecclesia triplex mersio fuit im-
petrata , ad designandam Trinitatem personarum in
vna Deitate : idque propter haereticos illius temporis,

qui negantes Trinitatem, vna unctione Baptismum conferebant. Hoc patet ex canone 49. Apostolorum, qui sic habet: *Si quis Episcopus aut presbyter non trinam unctionem unius mysterij celebret, sed semel mergat in Baptismate, deponatur.* Vide etiam Tertullianum in libro de corona militis, & Gratianum de consecratione, dist. 4. cap. 78. Postea vero noui haeretici orti sunt, qui putabant Baptismum iterandum esse, ideoque Baptizatos rebaptizabant. Ad hunc errorum corrigendum, statutum fuit in Concilio Toletano 4. can. 5. ut vna unctione Baptismus conferretur, ad designandam unitatem mortis Christi. Cum enim Baptismus representet nobis Christi mortem & passionem, iuxta illud Romanorum 6. 3. *Quicumque Baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius Baptizati sumus:* Et Christus semel tantum mortuus sit: nullo modo Baptismus iterandus est, sed semel tantum conferendus. Vnde Apost. Heb. 6. 6. contra eos, qui putabant in noua lege Baptismum repeti posse, sicut in veteri repetebantur lotiones & Baptismata, sic ait: *Rursum crucifigentes sibi metipss filium Dei, & ostentui habentes.* Et ad Eph. 4. 5. *Vnus Deus, una fides, vnum Baptisma.*

3 Dices: Vnde habet Ecclesia hanc potestatem, ut possit in alteram partem definire & statuere id, quod iure diuino liberum relictum est? Ratio dubitandi est, quia quidquid iure diuino permittitur omnibus Christianis, hoc solo iure humano negari aut tolli non potest. Cum ergo iure diuino, in Baptismo liberum sit, vnam vel trinam unctionem adhibere: & similiter in Eucharistia liberum sit, sub vna vel vtraque specie communicare; quo iure potest Ecclesia, vel vnam unctionem in Baptismo, vel vtramque speciem in Eucharistia prohibere? Respondeo. Ecclesia, vel potius Praelati Ecclesie, habent hanc potestatem a Christo. Sicut enim Rex, qui

qui sibi Vicarium in regni administratione subrogat, solet quædam maioris momenti negotia certis legibus definire, & illi præscribere: alia in ipsius arbitrio ac potestate relinquere: sic Christus agit cum Pastoribus Ecclesiæ, quos quasi Vicarios sibi subrogavit. Quæ enim ad Sacramentorum substantiam, numerum & effectum pertinent: certis legibus ab ipso definita sunt Reliqua, quæ ceremonias & circumstantias attingunt, Pastorum arbitrio ac prudentiæ cōmendata. Huius generis sunt, Baptismum conferre semel vel ter immergendo: Eucharistiam sumere sub vna, vel utraque specie; ante vel post cœnam: dominico aut alio die: lotis vel non lotis pedibus, & his similia. De quibus loquitur Apostolus 1. Corinthiorum 11.34. cum ait; *Cetera, cū venero, disponam.* Vide Augustinum epistola 118. ad Iannuarium, vbi pulchrè de hac re disputat.

C A P V T X.

Soluuntur obiectiones ex Scripturis.

1 **E**xpli cui hactenus sententiam Catholicorum, qui putant nullum extare præceptum dininum de utraque specie: ac proinde vnam speciem licet usurpari posse, & semper in Ecclesia usurpatam esse: idque non minori fructu, quam si ambæ species usurpentur. Nunc aduersariorum argumenta dissoluenda sunt, quæ ipsi in hanc doctrinam adferunt. Sunt autem triplicia: quædam ex Scripturis: alia ex Patribus: alia denique ex ratione desumpta. Singula ordine discutiemus.

2 Et quidem omnes aduersarij, ut supra monui, quærunt in Scripturis præceptum de utraque specie; nec tamen inueniunt. Hoc sitæ querunt in illis verbis: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis sanguinem eius.* Lutherani in illis, *Hoc facite.* Caluinistæ in illis:

Bibite

Bibite ex eo omnes. Alij ex illis: Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Sunt ergo quatuor obiectiones petitæ ex Scripturis, quas iam persequar.

3 *Prima sumitur ex illo Ioan. 6. 53. Nisi manduaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis. Hic volunt Hussitæ contineri præceptum Christi de vtriaque specie. Nos negamus. Et quod mirum est, nobiscum negant Lutherani & plerique Calvinistæ: non tamen ex eodem principio. Illi, quia putant ibi non agi de Sacramentali manducatione. Nos, quia tametsi fateamur agi de Sacramentali manducatione, negamus tamen fieri mentionem vtriusque speciei. Igitur duo nos asserimus. Vnum, Christum loqui de Sacramento Eucharistiæ. Alterum, non tamen, præcipere vtramque speciem. In priori suffragantur nobis Hussitæ; in posteriori, Lutherani & multi Calvinistæ. Vtrumque explicandum est.*

4 *Primò ergo dicimus, Christum in illo cap. 6. apud Ioannem, loqui de triplici cibo. 1. de materiali. 2. de spirituali. 3. de Sacramentali. Sicut enim in aliis rebus solet suos auditores ad ipsorum captum instruere, paulatim à notis ad incognita, à sensibilibus ad occulta, à corporalibus ad spiritualia progrediendo; sic etiam hic facit. Et quidem in principio capitilis agit de panibus à se multiplicatis, quibus turbæ corporaliter pastæ & satiatæ. Et quia propter hoc miraculum, ipsum sequuntur, inde sumpta occasione hortatur eos, ut potius querant cibum spiritualem, quam corporalem. Operamini, inquit, non cibum, qui perit, sed qui permanet in vita eternam. Hinc ulterius progreditur ad cibum Sacramentalem, cum ait; Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. Et iterum; Nisi manduaueritis carnem filij hominis & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis. Ac deinceps: Caro mea verè est cibus, & sanguis*

mens

*ineus verè est potus. Et deniq; Non sicut māducauerunt Pa-
tres vestri Manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc pa-
nem, viuet in aeternum. Hæc & similia dixit Christus de
Sacramentali manducatione suæ carnis, & bibitione
sui sanguinis. Et credebāt illi Petrus, & quidam alij ex
Apostolis? Iudas autem, & Capharnaitæ non cre-
debant, de quibus ipse ait; Sed sunt quidam ex vobis,
qui non credunt. Hos imitantur Lutherani, & multi
Calvinistæ.*

¶ Secundò dicimus (quod ad rem præsentem atti-
net) illa verba, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis,
& biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis;*
continere quidem præceptum de sumenda Euchari-
stia: non tamen de vtraque specie. Duo enim spectari
possunt. 1. substantia sumptionis. 2. modus sumptionis.
Substantia in eo consistit, ut quis manducet car-
nem Christi & bibat eius sanguinem. Modus autem
in eo, ut quis hoc faciat sub vna, vel sub vtraque
specie. Igitur substantia sumptionis est in præcepto:
non modus. Vult etiam Christus, ut manducemus
carnem & bibamus sanguinem ipsius: non tamen vult,
ut id faciamus sub vtraque specie. Hoc euidenter osten-
do, quia nec in verbis ciratis, nec in toto capite fit vlla
mentio vini aut calicis: Ergo neque ex illis verbis, ne-
que ex toto capite conuinci potest præceptum de vtra-
que specie. Imò, nec probabiliter inde colligi potest.
Vnde enim? An ex voce *carnis & sanguinis?* At iam sæpe
dixi, carnem & sanguinem Christi non minus sub vna
specie, quam sub vtraque contineri. Si ergo possum ha-
bere carnem & sanguinem sub vna specie: quæ est ne-
cessitas vtriusque? An ex voce *manducandi & bibendi?*
Ne hoc quidem. Nam supra etiam ostendi, *manduca-
tionem & bibitionem* sæpe pro eodem sumi. Et Paulus,
1. Corinthior. 32. ait; Lac vobis potum dedi: postea c. 9. 7.
dicit;

dicit; *Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Si ergo iuxta Paulum, idem est lac bibere & manducare; cur non idem sit, Christum bibere & manducare? Non desunt alia exempla. An non regius Propheta dixit, Psalm. 68. 22. *Dederunt in escam meam fel:* quod tamen alio vocabulo, sed eodem sensu interpretatus est Euangelista Matth. 27. 34. *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum.* Ecce fel bibitur & manducatur: & hoc capiunt aduersarij. Cur non capiunt, cum dicimus, Christum sub vna specie bibi & manducari?

6 Puto satisfactum esse Hussitis. Nam si in toto illo capite, quod illi nobis obiiciunt, nulla fit mentio utriusque speciei: nec ex ullo apice colligi potest eius necessitas: quid habent, quo virginere nos possunt? Nihil video. Sed tamen ego habeo, quo illos virginere possum: Et quidem ex eodem capite. Nam Christus cum dixisset; *Nisi manducaueretis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem: postea subiecit;* Non sicut manducauerunt Patres vestri Manna, & mortui sunt: qui Manducat hunc panem, viuet in eternum. Hic quare, quid Christus intelligat per panem: vel enim intelligit solam speciem panis: vel intelligit seipsum, id est, carnem & sanguinem suum. Si solam speciem panis: necessario sequitur contra Hussitas, solam speciem panis sufficere ad salutem. Nam hic erit sensus verborum Christi; *Qui manducat hunc panem, id est, Eucharistiam sub sola specie panis, viuet in eternum.* Si autem intelligit seipsum, id est, carnem & sanguinem suum: iterum sequitur contra Hussitas, non solum carnem, sed etiam sanguinem Christi manducari. Erit ergo hic sensus verborum; *Qui manducat hunc panem, id est, qui manducat carnem & sanguinem meum, viuet in eternum.* Idem ergo est manducare & bibere, quod nos contendimus.

7 Haec tenus probauit ex nostris principiis contra Hussitas, non posse colligi præceptum utriusque speciei ex verbis supra citatis. Possum idem probare ex principiis Lutheranorum & Caluinistarum, qui putat citata verba, non de Sacramentali manducatione & bibitione, quæ fit per speciem panis & vini: sed de spirituali, quæ fit per fidem, intelligi oportere. Hoc autem sic facio. Vel Lutherani & Caluinistæ putant vi illorum verborum, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem;* necesse esse, ut sigillatim uno actu fidei manducetur caro Christi, & alio actu fidei bibatur sanguis Christi: vel certè putant sufficere, ut unico actu simul manducetur & bibatur Christus, & consequenter idem sit, fide manducare, & fide bibere. Illud prius non dicent: quia putant satisfieri præcepto si totum Christum pro nobis mortuum & crucifixum, uno actu fidei simul apprehendamus. Si ita est, cur non similiter dicamus satisfieri præcepto, si totus Christus sub una specie manducetur & bibatur? Aut quid necesse est, sigillatim manducare carnem sub specie panis, & sigillatim bibere sanguinem sub specie vini? Sat multa de prima obiectione, quæ est Hussitarum.

8 Secunda obiectio sumitur ex illo Lucæ 22. 19. *Hoc facite in meam commemorationem,* Hie iubet Christus, ut Apostoli faciant, quod ipse fecit. Ipse autem distribuit omnibus præsentibus utramque speciem: Ergo & Apostoli, & eorum successores debent utramque speciem distribuere. *Respondeo.* Valde miror aduersarios, quod hunc locum nobis obiiciant: idque dupli de causa. Primo, quia de sensu illius, inter se ipsi dissentunt. Lutherani volunt ad omnes fideles: Caluinistæ ad solos Ecclesiæ ministros pertinere. Hanc litem inter se primum componant. Secundo, quia nihil inde contra nos evincunt. Hoc ostendo. Nam illa verba, *Hoc facite in meam*

meam commemorationem, non habentur, nisi apud Lucam & Paulum. Cæteri Evangelistæ ea omiserunt. At eam Lucas, quām Paulus ponit illa post sumptionem panis, non autem post sumptionem calicis: Ergo ex illis non potest colligi præceptum de sumptione calicis. Frustra ergo fatigant se aduersarij. Dicent fortè, tametsi post sumptionem panis sint posita, tamen repeti oportere post sumptionem calicis. At vnde hoc constat? Sanè Lucas non repetiuit. Paulus repetiuit quidem, sed cum hac moderatione; *Hoc facite, quotiescumque bibetis in meam commemorationem.* At cum hac moderatione non continent præceptum de sumptione calicis, sed tantum de commemoratione mortis & passionis Christi: idque non absolute, sed sub conditione. Non enim absolute præcipitur illis verbis, ut bibamus calicem: sed sub conditione præcipitur, si velimus bibere calicem, ut faciamus hoc in memoriam Christi. Simile est, quod dixit Christus in Euangelio; *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia qua habes, & da pauperibus.* Hic non præcipit absolute, ut vendamus omnia nostra, & demus pauperibus: sed sub conditione, ut id faciamus, si velimus sequi perfectionem Euangelicam. Eodem modo cum dicit: *Tu autem cum oraueris, intra cubiculum tuum: non præcipit absolute orationem, sed si volumus orare, ut sine inani gloria id præstemus.* Eiusmodi exempla sunt infinita in Scriptura. Et sanè res tam perspicua est, ut non egeat maiori declaratione. Solùm condoleo simplicioribus, qui tam miserè ab aduersariis illuduntur.

9 Tertia obiectio sumitur ex illo Matth. 26.27. *Bibite ex hoc omnes.* Vrget hæc verba Caluinus lib. 4. institut. cap. 17. §. 47. cum ait; *Editium aeterni Dei est, ut omnes bibant.* Et §. 48. *Præcipientis verba sunt, Bibite ex hoc calice omnes.* Respondeo. Caluinus spectat verba, non sensum: ideoque simplici lectori fucum facit. Non enim

enim voluit Christus, vt absolatè omnes biberent ex eo calice; sed vt omnes Apostoli, qui præsentes erant. Hoc patet ex ipso contextu. Cum enim diuisisset panem Eucharisticum in varias partes, & singulis Apostolis singulas porrexisset; calix autem eo modo diuidi non posset; vni ex Apostolis integrum porrexit, cum hac cautione, vt non putaret totum sibi ebibendum esse, sed aliquid inde degustandum, ac deinde reliquis ordine porrigenum. Itaque verba illa, *Bibite ex hoc omnes*, perinde valent, atque illa, *Lucæ 22. 7. Accipite, & diuidite inter vos*, id est, vnuis non exhauriat totum calicem, sed singuli aliquid bibant. Quod & factum est, vt testatur Marcus cap. 14. 24. cum ait, *Et biberunt ex eo omnes*, Vtique illi omnes ex eo biberunt, quibus dictum erat à Christo; *Bibite ex hoc omnes*. Quid quæsto difficultatis est? non plus, quam si paterfamilias, arrepto calice recentis musti, modicè eum degustaret, & postea filiis degustādum porrigeret cum hac formula; *Bibite ex hoc omnes*, id est, singuli modicū aliquid inde capiant: nemo solus totum exhauriat. An propterea, quotquot extra familiam illam essent putarent se cogi præcepto, vt ex eodem calice mustum gustarent? Ridiculum sanè.

10. Sed instant aduersarij hoc modo: Iisdem dictum est, *Bibite*, quibus dictum est, *Manducate*. At hoc dictum est omnibus: Ergo & illud. Respondeo. Vel stupidi, vel importuni sunt, qui sic agunt. Iam ostendi solidis Apostolis præsentibus dictum esse. *Bibite*. Iisdem dictum est, *Manducate*. Et quid opus est noua probatione? Persistam in exemplo paulo ante allato. Si paterfamilias, tempore cœnæ diceret famulis & ancillis præsentibus, *Manducate & bibite*; an idē censetur omnes extraneos præcepto cogere ad manducandum & bibendum? Non opinor. Eodem modo fecit

Christus. Dixit Apostolis in vltima cœna præsentibus,
Manducate & bibite. An illis verbis præceptum dedit
 generale, quo omnes Christianos obligaret? Nihil mi-
 nus. Vbi ergo, inquies, præceptum dedit, si ibi non de-
 dit? *Responsio* in promptu est. Si quæritur præceptum
 de vtraque specie: nusquam dedit. Si de Eucharistia,
 abstrahendo ab vna vel vtraque specie: dedit illis ver-
 bis, Ioannis 6. 53. *Nisi manducaueritis carnem filij homi-*
nis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vo-
bis. Vbi iterum notanda est insignis aduersariorum im-
 pudentia: Nam in his ipsis verbis, *Nisi manducaueritis,*
&c. vbi reuera præceptum est: præceptum non agno-
 scunt. In illis autem, *Bibite ex hoc omnes,* vbi præceptum
 non est, præceptum esse contendunt. Quid agas cum
 hoc hominum genere? Nimirum, contradictionis spi-
 ritum habent.

11. Iterum instant: ipsemet Christus alibi fatetur,
 se omnibus dicere, quidquid dicit Apostolis, iuxta il-
 lud Marci 13. 37. *Quod vobis dico, omnibus dico.* Atqui
 Apostolis dixit, *Bibite:* Ergo omnibus hoc dixit Omnes
 ergo tenentur usurpare calicem. *Respondeo.* Et hic aper-
 te fucum faciunt aduersarij, truncando verba Christi.
 Ipse enim sic dixit; *Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Hanc particulam, *vigilate.* omittunt illi boni viri, ex
 qua tam en sensus totius sententiæ pendet. Non enim
 est hic sensus; *Omnia simpliciter, que vobis, dico omnibus*
dico. Nam multa dixit Apostolis, quæ omnibus non di-
 xit, ut Matth. 26. *Omnes vos scandalum patiemini in me,*
in ista nocte. Et Ioan. 6. 70. *Nonne ego vos duodecim elegi,*
& ex vobis unus diabolus est. Sensus ergo hic est? *Quod di-*
cō vobis, ut vigiletis, hoc omnibus dictū volo. Omnes enim
 debent *vigilare*, ne mors imparatos inueniat. Omnes
 debent imitari virgines prudentes; iuxta illud Matt. 25.
 13. *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.*

13. *Quarta obiectio sumitur ex illo 1. Corint. 11. 23.*
Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, &c. Vbi
Apostolus ostendit utramque speciem, non solum ex
Christi institutione, sed etiam ex Apostolica traditione,
præceptam esse. Hoc enim significat illa particula,
Tradidi vobis. Vnde fit tale argumentum; Omnis traditio
Apostolica est seruanda: sed est traditio Apostolica
de utraque specie. Ergo seruanda est. Respon-
deo. Aduersarij omnia confundunt. Sanè hæc tria;
institutio, traditio, præceptum. omnino distincta sunt. Fa-
teor utramq; speciem à Christo institutam esse: fateor
utramq; ab Apostolo traditam. Nego utramq; iure di-
uino præceptam esse. Et quidem, quod institutio dif-
fierat à præcepto, multis exemplis probatum est cap. 1.
Quod autem traditio & præceptum non sunt idem, ex
eo patet, quia Apostoli multa tradiderunt primis Chri-
stianis, quæ tamen præcepta nobis non sunt. Et ne lō-
ge abeam, ex eodem Pauli probari id potest. Sic enim
habet in fine citati capit. Itaque fratres mei, cū conueni-
tis ad manducandum, in uicem expectate. Si quis esurit, do-
mi manducet. An putant aduersarij contineri hic præcep-
ptum, quod omnes obligat? Sat scio, non tam scrupu-
losos esse.

13. Præter hæc Scripturæ loca, quæ hactenus allata
 sunt, audent etiam proferre pro utraque specie, quod
 dixit Christus Matth. 19. 6. *Quod Deus coniunxit, homo*
non separet. Atqui Deus, inquit, coniunxit utramque
speciem: Ergo Pontifex non potest unam ab altera se-
parare. Respondeo. Ex iis, quæ hactenus allata sunt ab
aduersariis, fatis constat nihil eos solidi adferre posse.
Verum ex hoc loco, planè apparet aut insanos, aut in-
signiter petulantes esse. Quæ enim connexio est; Homo
non potest separare virum ab uxore, Ergo non potest commu-
nicare sub una specie: Si sic pergent, sine dubio persuade-

bunt, nullum reum, quantumuis sceleratum, nullam feram, pecudem, piscem aut auem necari ab homine posse. Quare? quia quod Deus coniunxit, homo non separet: sed Deus coniunxit animam cum corpore tam in hominibus, quam in cæteris animantibus: Ergo nemo potest animam separare à corpore ac proinde nullum viuens interficere. Sed relinquamus has ineptias quæ planè indignæ sunt homine Christiano. Miror autem, aduersarios huiusmodi præsidii se tueri.

C A P. X I.

Soluuntur obiectiones ex Patribus.

Sicut aduersarij frustra in Scripturis quæsiverunt præceptum Christi de vtraque specie: sic frustra quærunt in patribus. Nec tamen minorem conatum hic adhibent, quam ibi. Nam, ut cæteros omittam, Plessæus Calvinista libro 1. de Eucharistia cap. 10. discurrens per singulas pene ætates, à temporibus Apostolorum ad nos usque quotquot potest, corradit Patrum testimonia, pro vtraque specie confirmanda. Sed vel nihil, vel patum ad rem; quod illi homini familiare est. Semper enim extra statum & scopum quæstionis vagatur. Quæstio inter nos & aduersarios, non consistit in eo, an vtraque species fuerit olim in usu, sed potius, an fuerit in præcepto? Patres, qui à Plessæo citantur, significant fuisse in usu, quod libenter concedimus (sicut etiam una species fuit in usu, ut supra ostendi) non tamen dicunt fuisse in præcepto, de quo disputamus. Sunt tamen pauci, qui videntur hoc insinuare, de quibus breuiter & sigillatim dicendum est.

2. Omissis ergo Patribus, qui tantum de usu loquuntur inter cæteros, qui videntur loqui de præcepto, pri-

mo loco obiici potest Cyprianus, qui in sermone de cœna Domini, sic habet; *Nova est huius sacramenti doctrina, & schola Euangelica hoc primum magisterium protulerunt, & Doctore Christo primum hec mundo innotuit disciplina, ut biberent sanguinem Christiani, cuius esum legis antique authoritas districtissime interdicit. Lex quippe esum sanguinis prohibet: Euangelium præcipit, ut bibatur: Respondeo. Hoc testimonium Cypriani planè destruit doctrinam Caluinistarum, & nostram confirmat. Vnde miror à Plessæo adductum esse. Hoc ostendo dupliciter. Primo, quia astruit veritatem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia: quam Caluinistæ negant. Nam Cyprianus dicit, Christianos bibere sanguinem Christi. Caluinistæ dicunt, non bibere eos sanguinem, sed figuram sanguinis Christi, nempe vinum sacramentale. Quod autem Cyprianus loquatur de vero sanguine & non de figura sanguinis, patet ex antithesi, quam facit. Ait enim Iudæis in veteri lege fuisse prohibitum, ne biberent sanguinem: Christianis autem in Euangeliō præceptum esse ut bibant sanguinem. Hoc sanè non potest intelligi de figura sanguinis, sed de vero sanguine. Nam si agatur de figura sanguinis, fatentur Caluinistæ, non minus Iudæos bibisse sanguinem Christi in figura Agni paschalis, & aquæ salientis è petra: quam Christiani bībant sanguinem Christi in figura vini. Huc enim spectat, quod Plessæus ait libro 4. de Eucharistia cap. 1. pag. 65. 3. in fine; *Dicemus idem de Paschate & cœna Dominica. In utroque corpus & sanguis Domini comeduntur & bibuntur. Necesse ergo est Cyprianum loqui de vero sanguine: ac proinde ex sententia Cypriani, verum sanguinem Christi præsentem esse in Eucharistia: quod Caluinistæ negant. Hoc confirmatur ex eodem Cypriano, qui ibidem sic habet; Panis iste quem Dominus discipulis porrigebat, nō ef-**

figie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi, factus est caro.
 Quid clarius contra Caluinistas? Potuisset addere; *Vinum istud, quod Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatum, omnipotentia verbi, factum est sanguis.*
 Longè aliter Caluinistæ. Panis & vinum, inquiunt, nec effigie nec natura, murata sunt, sed tantum significatiōne: nec facta sunt caro & sanguis, sed figurę carnis & sanguinis.

3. Iam vero, cum Cyprianus ait; *Lex eum sanguinis prohibet; Euangelium præcipit, ut bibatur: iterum contra aduersarios facit, non contra nos.* Nam præceptum de quo loquitur, non fundat in illis verbis, *Bibite ex hoc omnes: in quo aduersarij illud fundant; sed in illis, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* At hæc verba, ut supra ostendi, continent quidem præceptum de manducatione carnis & bibitione sanguinis Christi: non tamen de vtraque specie. Et hoc ipsum sentit Cyprianus. Cum enim citasset illa verba; *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem: paulo post subiecit; Potus & eus ad eandem pertinent rationem, quasi dicat, idem est manducare Christum, & bibere Christum.* Qui ergo manducat Christum sub una specie, non solum manducat carnem, sed etiam babit sanguinem ipsius: ac proinde præcepto Euangelico, de quo loquitur Cyprianus, perfectè satisfacit.

4. Secundo obiicitur Chrysostomus homil. 18. in posteriorem Corinthiacam, ubi ait; *Est autem, ubi nihil differt Sacerdos a subdito, ut quando fruendum est horrendis mysteriis. Similiter enim omnes, ut illa percipiamus, digni habemur. Non sicut in veteri lege, partem quidem Sacerdos comedebat, partem autem populus: & non licebat populo participem esse eorum, quorum particeps erat Sacerdos. Sed nunc non sic: verum omnibus unum corpus proponitur, & poculum unum.*

vnum. Respondeo. Nulla hic fit mentio diuini præcepti de vtraque specie. Nec Chrysostomo propositū fuit, eo loco, de tali præcepto disputare. Hoc solum egit, ut assignaret differētiam inter veterem & nouam legem, quoad sacrificia vtriusque legis. Nam in veteri lege, nec Sacerdos, nec populus gaudebat toto sacrificio: sed vnam illius partem Sacerdos, alteram populus comedebat. In noua lege non ita res habet; Totum sacrificium, quantum quidem ad victimam, quæ offeratur, attinet, æquè à populo, æquè à Sacerdote participatur. Vtrique, tam populo, quam Sacerdoti, totus Christus, secundum carnem & sanguinem, manducandus & bibendus proponitur. Quis hoc neget? Nec aliud vult Chrysostomus.

5. Ut tamen res melius intelligatur, notandum est, in lege Mosaica fuisse triplex sacrificium, nempe holocaustum, hostiam pro peccato, & hostiam pacificam. Holocaustum erat omnium perfectissimum, quia totum cremabatur in honorem Dei, & nihil ex eo comedebatur. Hostia pro peccato partim cremabatur, partim cedebat in usum Sacerdotum, qui in atrio templi ex ea vescebantur. Hostia pacifica diuidebatur in tres partes, quarum prima cremabatur: altera cedebat sacerdotibus: tertia populo offerenti. Et quidem sacerdotibus cedebat pectusculum & armus dexter, de quo non licebat populo manducare. Hoc igitur est, quod dicit Chrysostomus; Partem Sacerdos comedebat, partem autem populus: non licebat populo participem esse eorum, quorum particeps erat Sacerdos. Non sic in noua lege. Christus, qui est victimā, totus populo, totus Sacerdoti porrigitur.

6. Quod autē addit Chrysostomus; *Omnibus vnum corpus proponitur, & poenū vnum, nō debet intelligi de speciebus sacramentalibus, sed de ipso Christo, qui*

offertur. Non enim sensus est, omnibus Christianis, tam Laicis, quam Sacerdotibus, proponi eandem speciem panis. & eandem speciem vini: quia hoc falsum est, cum singuli accipiant singulas partes panis & vini consecrati, inter se realiter & numero distinctas: sed omnibus proponi eandem Christi carnem, & eundem sanguinem: ita ut Sacerdos nihil carnis, aut sanguinis percipiat, quod non etiam percipient Laici. Et in hac re ponit discrimen inter noui ac veteris Testamenti Sacerdotes & populum.

7. Tertio obiicitur Leo Papa serm. 4. de Quadragesima, vbi de Manichæis ita scribit; *Ore indigno Christi corpus accipiunt: sanguinem autem redemptionis nostra haurire omnino declinant. Quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis huiuscmodi homines, & his manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & proditi, à sanctorum societate, sacerdotali autoritate pellantur.* Respondeo. Aduersarij duabus modis hic peccant in citando Leone. Primo, quia Leo his verbis confirmat veritatem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, quam ipsi negat. Secundo, quia non condemnat communionem sub una specie in Catholicis, qui eam legitimè tunc usurpabant: sed in Manichæis, qui ex sacrilega superstitione abstinebant à calice, ut super cap. 6. ostensum est.

8. Consulatur historia illius temporis, quæ sic habet. Excisa per Gensericum Africa, Manichæi, qui inde electi erant, sub specie pietatis & Catholicæ religionis, in Italiam irrepserunt: & plerique Romam ingressi, volentes suam hæresim occultare, inter Catholicos habitabant, & cum iis publicè sub una specie communicabant: ut hac ratione pro Catholicis haberri & tolerari possent. Igitur Leo cum primum factus est Pontifex, statim adiecit animum ad eos penitus extirpandos.

pandos. Usus est autem variis mediis. Nam primum pro cōcione instruxit ciues Romanos, quām nefanda essent Manichæorum dogmata & sacrilegia. Secundò, dedit eis manifestum signum, quo à Catholicis discerni possent: asserens illos qui semper abstinerent à calice, pro Manichæis: qui aliquando, pro Catholicis habendos esse. Tertiò, hortatus est populum, ut si alicubi scirent occultari Manichæos, statim eos detergerent, & Ecclesiastico magistratui manifestarent. Quartò, conuocauit Concilium Episcoporum, in quo, præsente Clero Romano, & multis Senatoribus, Manichæorum sacrilegia publicè detecta & examinata sunt. Quintò, scripsit ad vicinos Italiæ Episcopos, ut & ipsi seriò laborent in extirpandis Manichæis, si qui fortè apud illos occultè latitarent. Hæc omnia patent ex ipso Leone, præsertim serm. 4. de collectis, serm. 4. de Quadragesima, serm. 7. de natali Domini, serm. 4. de Epiphania, serm. 5. de iunio decimi mensis, & epist. 93. c. 16.

9. Hinc Prosper in chronicō commendat illū his verbis; *Hoc tempore plurimos Manichæos intra urbem latere, diligentia Papæ Leonis innotuit: qui eos de secretis suis erutos, & oculis totius Ecclesie publicatos, omnes dogmatis sui turpititudinem & damnare fecit & prodere, incensis eorum codicibus, quorū magna moles fuerunt interceptæ. Quæ cura viro sancto diuinitus, ut appareat, inspirata, non solum Romane urbi, sed etiam uniuerso orbi plurimum profuit: siquidem confessionibus in urbe captorum, qui doctores eorū, qui Episcopi, quive presbyteri, in quibus prouinciis vel ciuitatibus degerent, patefactum est. Multique orientalium partium Sacerdotes, industriam Rectoris imitati sunt.* Vide plura apud Baronium tomo 6. annalium Ecclesiasticorum, circa annum Christi 443 & sequentes.

10. Quartò obiicitur Gelasius Papa, qui apud Gratianum cap. competimus, de consecr. dist. 2. sic habet;

Comperimus, quod quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacri cruoris abstineant. Qui proculdubio, quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi, aut Sacra menta integra percipient, aut ab integris arceantur: quia diuisio unius & eiusdem mysterij, sine grādi sacrilegio non potest prouenire. Respondeo. Hæc obiectione est similis præcedenti. Et iam supra cap. 5. notaui, Gelasium reprehendere eos tantum, qui ex superstitione abstinebant à calice, cuiusmodi erant occulti Manichæi. Cætera vide loco citato.

C A P V T X I I.

Soluuntur obiectiones ex ratione.

ADuersarij, ut in re desperata fieri solet, vnde cuncte possunt, querunt subsidia pro vtraque specie, ut oppugnent Catholicos. Sed, ut sæpe dixi, frustra. Certè obiectiones, quas defumunt ex ratione, eiusmodi sunt, ut & nostram causam vehementer confirmet, & illorum reddant deteriorem. Sunt autem hæc.

2. *Prima* sumitur ex figura veteris Testamenti, hoc modo; Omnes Hebræi in deserto biberunt aquam de petra, iuxta illud 1. Corinth. 10. 4. *Omnes eundem potum spiritualem biberunt.* Ergo etiam omnes Christiani in deserto huius vitæ debent bibere sanguinem Christi. Sequela patet ex illo 1. Cor. 10. 6. *Hæc autem in figura facta sunt nostri.* Respondeo. Hoc ipso argumēto convincam aduersarios. Nam si aqua de petra fuit figura Eucharistiæ: sine dubio fuit aqua sacramentalis. Vel ergo sumebatur cum cibo sacramentali, vel sola. Si sola: faret vni speciei, non duabus. Si cum cibo sacramentali: quis ille fuit? Nusquam legimus in tota Scriptura, Hebræos, cum biberet aquā de petra, sumpsisse simul

simul ex precepto diuino cibū aliquē sacramentalem.

3. Adde, si generatim loquamur de figuris Eucharistiae, plus nobis eas patrocinari, quā aduersarijs. Hoc sic ostendo. Catholici agnoscunt has figuras. 1. panem & vinum Melchisedech. 2. panes propositionis. 3. panem subcineritium Eliæ, 4. Manna. 5. aquam de petra. 6. Agnum paschalem. 7. sacrificia Mosaica. Omnes hæ, excepta prima, repræsentant Eucharistiam sub vna specie. Aduersarij autem non agnoscunt priam figuram. Ergo, secundum aduersarios, nulla est figura, quæ repræsentet vtramque speciem. Nam panes propositionis, panis subcineritios; & manna, repræsentant speciem panis. Aqua de petra, repræsentat speciem vi- ni. Agnus paschalis & sacrificia Mosaica sumebantur à laicis per modum cibi tantum. Quid ergo reliquum est Lutheranis, & Caluinistis pro vtraque specie? Nihil, nisi panis & vinum Melchisedech. At hunc ipsum panem & vinum volunt fuisse prophanum, non sa- cramentalem.

4. Cum autem inferunt aduersarij, sicut Hebræi biberūt aquam de petra, sic Christianos debere bibere sanguinem Christi: libenter id concedimus. At inde non conuincitur necessitas vtriusq; speciei. Nam vt se- pe dictum est, Christiani non solum manducant car- nem Christi, sed etiam bibunt sanguinem ipsius, quo- tiescumque communicant sub vna specie: quia totus Christus secundum carnem & sanguinem, non minus sub vna, quam sub vtraque specie continetur.

5. Secunda obiectio sumitur ex institutione & e- xemplu Christi, ad hunc modum: Christus in vltima cœna instituit & distribuit Eucharistiam sub vtraque specie panis & vini: Ergo nos eodem modo debemus distribuere. Respondeo. Quid si regeram & dicam: Chri- stus in Emmaus distribuit Eucharistiam sub vna specie:

Ergo

Ergo nobis eodem modo licet distribuere. Vel sic: Christus in vltima cœna instituit & distribuit Eucharistiam post alios cibos, & lotis prius pedibus: Ergo aduersarij debent idem facere. Cur ergo vesperi non communicant: & cur pedes ante communionem non lauant? cur non parent præcepto Christi dicentis; Ioannis 13.14. *Et vos debetis alter alterius pedes lauare?* Sed, non est necesse ad hanc solutionem confugere. Iam supra dixi, aliud esse institutionem: aliud præceptum. Christus instituit Eucharistiam sub vtraque specie: non tamen præcepit vtramque speciem, sicut instituit officium prædicandi, baptizandi, ordinandi, peccata remittendi ac retinendi: & tamen Laici apud aduersarios non ideo putant, se diuino præcepto ad ista obligari. Vide supra cap. i.

6. *Tertia* sumitur ex ratione testamenti. Christus in vltima cœna, cum videret se breui moriturum, condidit solenne testamentum, quo omnibus Christianis, tanquam filiis adoptiuis, legauit carnem & sanguinem suum titulo hæreditatis, vt patet Luc. 22.20. Ergo Catholici, qui negant laicis sanguinem, & iubent sola carne contentos esse, sunt violatores testamenti, priuant Christianos altera parte hæreditatis sibi debitæ. *Respondeo.* Catholici hoc non faciunt, sed Lutherani & Caluinistæ. Nam Catholici totum Christum, secundum carnem, sanguinem, animam rationalem & diuinitatem, exhibent laicis sub vna specie. Caluinistæ nihil istorum, sed tantum externa signa carnis & sanguinis: perinde atque illi, qui codicillos porrigunt hæredibus, & vniuersam substantiam dissipant. Lutherani, qui negant totum Christum sub vna specie contineri, quid aliud, suo iudicio, quam mortuam carnem sub specie panis, & mortuum sanguinem sub specie vini, exhibere possunt communicantibus?

7. *Quarta sumitur ex fine huius Sacramenti. Finis illius est, commemoratio mortis Christi, ad quam tenentur omnes fideles, iuxta illud. 1. Cor. 11. 24. Hoc facite in meam commemorationem.* Et Paulo post; *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* At mors Christi non potest integrè significari & repræsentari per vnam speciem: Ergo sicut tenemur ad commemo- randam Christi mortem: ita etiam ad utramque spe- ciem percipiendam. *Respondeo.* Hic syllogismus habet duo vitia. 1. quia constat quatuor terminis. Nam in maiori propositione ponitur *commemoratio mortis Christi*; in minori, *repræsentatio*. Hæc autem valde inter se differtunt. 2. quia ex Apostolo contra Apostolum concludit. Nam ex Apostolo sumit, omnes fideles in sumptione Sacramenti Eucharistiae debere memores esse mortis Christi, quod verum est. At contra Apostolum concludit, ad commemorationem mortis Christi, ne- cessariam esse utramque speciem. Nam una sufficit, se- cundum Apostolum. Hoc patet ex ipso textu, cum enim de una specie dixisset; *Acoipite & manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: immediatè subiunxit;* *Hoc facite in meam commemorationem.* Et rursum; cum de altera dixisset; *Hic calix nouum Testa- mentum est in meo sanguine: iterum immediatè subiunxit;* *Hoc facite, quotiescunque bibetis in meā commemora- tionem.* Ergo secundum Apostolum, unaquæque spe- cies per se sumpta, sufficit ad commemorationem mortis Christi. Vnde si ex vitioso aduersariorum syl- logismo fiat probus ac legitimus: planè contra ipsos concludemus, hoc modo; Omnes fideles in sumptione Eucharistiae, tenentur ad commemorationem mor- tis Christi, sed commemorationis mortis Christi, potest fieri, per unam speciem, ut ex Apostolo ostensum est: er-

go per vna speciem satis fit obligationi. Quid apertius?

8. Sed ne tergiuersentur aduersarij exemplo domestico rem explicabo. Quidam vir nobilis ab hoste captus, & in vincula coniectus est, cum amissione bonorum omnium. Imperator liberat illum à vinculis; & vt tanti beneficij memor sit, nouo beneficio illum afficit. Nimirum, ex mensa Imperatoria, perpetuam annonam illi constituit in pane & vino: vt quotiescunq[ue] manducandum aut bibendum est, prioris beneficij memoria illi occurrat. Hicquero ab aduersarijs, an Nobilis ille non possit recordari beneficij Imperatoris, si sumat panem sine vino, aut etiam, si sumat vinum sine pane. Potest vtique. Siue enim vtatur solo pane, siue solo vino, semper illi in mentem venit, Imperatoris beneficio se viuere & sustentari. Simile est in nostro proposito. Eramus capti ab hoste humani generis & in carcerem compacti. Christus sua morte & passione liberauit ac redemit nos. Ut tanti beneficij memores essemus, nouo beneficio cumulate nos voluit. Non panem & vinum, sed carnem & sanguinem suum, sub specie panis & vini, in perpetuam alimoniam nobis reliquit. Siue ergo manducemus carnem & bibamus sanguinem illius sub specie panis tantum: siue sub specie vini tantum: siue sub vtraque: parum interest. Semper enim occurrit cogitatio, alieno beneficio nos viuere, manducare, bibere.

9. Porro, quod supra adieci, commemorationem mortis Christi, differre ab eius repræsentatione. tametsi notum sit, breuiter etiam explicandum est. Et persistam in exemplo allato. Nobilis ille, qui ab Imperatore liberatus à carcere est, varijs modis excitari potest ad recordationem beneficij in se collati. Primo, si vt iam dictum est, annona illi constituta sit in hunc finem; vt quoties manducat aut bibit, benefactoris sui recordetur.

detur. Secundò, si memoriae causa, in libello, qui quotidie in manibus sit, Imperatoris liberalitatem descriptam habeat. Tertiò, si effigiem, quæ Imperatorem representat, ex collo gestet, aut domi affixam conseruet. Omitto alios modos. Nam hi tres ad rem explicandam sufficiunt. Igitur in tribus illis modis, ubique certatur commemoratio beneficij: in solo tertio, repræsentatio. Eius rursus in tertio modo, commemoratio oritur ex præsentatione. Nam hoc ipso quod is, qui beneficio affectus est, intuetur imaginem sui benefactoris, quæ illum repræsentat, non potest non illius meminisse, si animo præsens est. Facile hæc ad propositum applicatur. Varijs modis possumus recordari beneficij, quo Christus Redemptor sua morte nos affecit. Primò ex perceptione Sacramenti Eucharistiae, quod in eum finem à Christo institutum est. Secundò, ex lectione Euangelij, in quo mors & passio eius describitur. Tertiò, ex aspeetu imaginis Christi, quem ipsum, aut passionem eius repræsentat. Vides, opinor, quo pacto representatione diuersa sit à commemoratione.

10. Atque ex his, quæ clara & aperta sunt, infero, Catholicos in commemoranda Christi morte, multo diligentiores esse, quam aduersarios, præsertim Calvinistas. Nam Catholici, non solum ex perceptione Sacramenti Eucharistie, vel lectione Euangelij, sed etiam ex aspeetu imaginis Crucifixi, recordantur beneficij à Christo in se collati. At Calvinistæ iam pridem Christi imaginem è suis templis, addo etiam ex animis, proscripterunt & exturbarunt. Sed de hoc alibi. Prosequamur reliquas aduersariorum obiectiones.

11. *Quinta* obiectio sumitur à simili. Si licet auferre laicis unam partem Eucharistie: licebit etiam auferre unam partem Baptismi. At hoc non licet: Ergo nec illud. *Respondeo.* Partes Sacramentorum sunt duplices: aliae

aliæ substantiales seu essentiales: aliæ solum integrantes. Priores non licet auferre ab ullo Sacramento. Nec Catholici hoc faciunt. Posteriores licet auferre. Nam in Baptismo, ex tribus unctionibus possunt duæ tolli: Vna enim sufficit. Et in Eucharistia, ex duabus speciebus potest auferri altera. Hoc Christus fecit in Emmaus: Christiani tempore Apostolorum: & alij deinceps, ut supra ostensum est. Nos idem facimus. Porro, aduersarij in hoc genete audacieores sunt. Tollunt ipsi, non solum integrantes, sed etiam essentiales partes Eucharistiae. Et quidem Calvinistæ tollunt carnem & sanguinem Christi: & sola symbola extera relinquunt laicis. Lutherani, à specie panis tollunt sanguinem, animam rationalem, Diuinitatem: & solam carnem exanguem & exanimem sibi reseruant. Plus dico: Aduersarij non solum partes sacramentorum, sed integra tollunt sacramenta. Ex septem, quæ Ecclesia Catholica cum Augustino agnoscit, vix duo vel tria illis super sunt. Sed nolo hic hærere.

12. *Sexta* sumitur ab incommmodo. Si potest laicis negari vna species poterit negari & altera: & sic nihil habebunt. *Respondeo.* Hoc non sequitur: ut patet in simili. Nō enim recte colligis: Si in Baptismo potest tolli vna unctione, poterit etiam altera & tertia tolli. Deinde, præceptum Christi est, ut sumamus Eucharistiam, quocunq; modo id fiat. Non autem præceptum est ut sumamus sub utraq; specie. Potest ergo vna species negari. Sicut in simili, potest omitti vna aut altera unctione: Nō tamen potest Baptismus omitti. Aut, si vis exēplum magis accommodatum: Non potest integrè omitti omnis cibus & unus corporalis, quia vita sustentanda est: potest tamen è duabus scutellis omitti vna, si in altera sufficiens nutrimentum est. Cum igitur sub specie panis sit totus Christus, totum nutrimentum, tota alimonia,

monia; quid tantopere necesse est, alterum adhibere? Et hoc pro Catholicis dixero. Quid porro pro se dicet Calvinistæ qui quidem duas scutellas, sed omnino vacuas, sine omni cibo & potu obtrudunt esuriéibus & sitiéibus? id est, qui externa tantum symbola panis & vini exhibent: & omnem Christi carnem ac sanguinē, quo nostras animas nutriti oportebat, è medio tollunt. Hæc hactenus.

C A P. X I I I.

Omnino igitur in Catholicorum sententia persistendum est.

EX iis, quæ hactenus dicta sunt, due rationes deducuntur, cur in Catholicorum sententia persistendum sit. Prior est, quia Catholicæ, qui defendunt usum unius speciei, habent pro se exemplum Christi, Apostolorum, & totius antiquitatis usque ad nostra tempora, Habent pro se duo solidissima fundamenta, quibus tueri se possunt. Vnum, quia Christus non minus sub una, quam sub utraque specie, totus & integer continetur. Alterum, quia non minor fructus ex una, quam ex altera percipi potest. Aduersarij vero, qui virgint necessitatem utriusque speciei, nullum possunt in scripturis inuenire præceptū de utraq; specie: in illo querendo, penitus inter se dissident: nullo solido arguento suam sententiam stabilire possunt. Imo, ut hactenus visum est, suis ipsorum argumentis confixi ac refutati sunt.

2. Posterior est: quia Catholicæ in asserenda communione sub una specie, nihil unquam dixerunt, quod offendit aut scandalum esse possit. Aduersarij vero, præsertim Lutherani & Calvinistæ, posteaquam usum

vnius speciei oppugnare cœperūt, in manifestos errores prolapsi sunt. Lutherani, afferendo corpus Christi sub specie panis contineri mortuum & sine sanguine: Caluinistæ negando vllam Christi partem sub specie sacramentali præsentem esse. Prudens Lector apud se æstimet, quos in hac sequi tutius sit.



OPVS CVLVM VII.

MARTINI BECANI

Theologi Moguntini,

AD

F R I D E R I C V M B A L -
D V I N V M

Theologum Wittembergensem,

De

Communione sub vtraque specie,

E P I S T O L A.

M A R T I N V S B E C A N V S

F R I D E R I C O B A L -

D V I N O . S . D .



Rouocas me ad scribendū, Balduine vel ut
planiū dicam, ad litigandum. Ægrè addu-
cor, ut faciam. Et doplex mihi causa. Vna,
quod aliis scriptiōnib. sim occupatissimus.
Altera quod Caluinistas hactenus, nō Lutheranos, ex
quo

quorū numero tu es, hostes mihi & aduersarios delegerim. Sed, quia sponte me laces sis, quid faciā? En sisto me, & ad pugnā capessendā præsto sū. Et ne lögē abeamus; hoc agitur inter nos, an cōmunionio sub vtraq; specie sit in præcepto diuino, necne? Ego in mea disputatio ne, quāpridem de hoc argumento scripsi, contendō non esse. Tu in tuis Notis, quas in eandem disputationem meditatus es, contrarium asseris. Vter rectius, in controuersiam nunc venit. De Iudice, qui lité hanc dirimat, non facile inter nos conueniet. Tu enim, sac scio, non alium, nisi te ipsum, vel certè sacram scripturā tuo sensu intellectam, admissurus es. Igitur arbitros designemus, necesse est. Nec ab uno, quin omnes, quotquot lecturi sunt, ex arbitrio sententiam dicant.

2. Longiori præfatione nō opus est. Ad rē venio, Ne gaudi cōmunionem sub vtraq; specie, diuino præcepto, omnibus necessariā esse. Et confirmaui hoc ordine ac methodo. 1. Aliud est institutio diuina; aliud præceptū diuinum. 2. Christus instituit communionē sub vtraq; specie; nō tamen præcepit omnibus usum vtriusq; speciei. 3. Imò usum vnius speciei, tum verbo, tū facto, ipse comprobauit. Verbo quidem, Ioan. 6. Facto autem in Emmaus. 4. Quod etiā id fecerunt Apostoli, ut ex actibus illorum perspicuum est. 5. Et post Apostolos primitiuā Ecclesia, tam Orientalis quam Occidentalis. 6. Et recte ab iis factū. Nam sub vna specie non minus continetur totus Christus, quā sub vtraque. 7. Nec minor fructus percipitur ex vna, quam ex vtraque cæteris paribus.

8. Et aliunde possunt esse legitimæ causæ, cur potius sub vna, quam sub vtraque communicent laici. Propter quas etiam statutum est ab Ecclesia, ut sub vna deinceps communicarent. 9. Nec aduersarij quicquam obiliunt, quod dilui commodè non possit. Hæc ego. 3. Quid tu vero, Balduine? Primum ais, omnia argu menta, quæ à me allata sunt, pridem solidissimè refuta-

ta esse à Ioan. Husso. Deinde, tuam etiam refutationem
attexis. Cuius hæc ferè capita, seu fundamenta sunt. 1.
contendis omnem institutionem diuinam continere
præceptum. 2. ac proinde, sicut Christus instituit com-
munionem sub vtraque specie, ita etiam præcepisse. 3.
Negas Christum in Emmaus vnam speciem suo factò cō-
probasse. 4. Negas Apostolos id fecisse. 5. Et, si Ecclesia
primitiva id fecisset, ais te non sequi Ecclesiam, sed
Christum. 6. Addis totum Christum contineri quidem
süb vna specie personaliter, nec rāmen sacramentaliter,
7. Et maiorem fructum percipi ex vtraque specie, quām
ex vna. 8. Nec aliunde esse causas, cur sub vna potius,
quām sub vtraque communicandum sit. 9. Et hoc effi-
caciter probari ex illis verbis, *Hoc facite, Comedite, Bibite.*
Hæc ferè, quæ directè ad rem pertinent.

4. Addis multa alia, ex quibus ea. quæ sequuntur. 1.
Christum secūdum humanitatem esse ubique. 2. Chri-
sti benedictionem non semper fuisse efficacem. 3. Pau-
lum Apostolum in tertio cœlo audiuisse verba institu-
tionis Eucharistiæ. 4. antiquos Patres, & nominatim
Cyprianum non agnouisse mutationem substantiæ
panis, quam vocamus Transubstantiationem. 5. Eucha-
ristiam non esse sacramentum extra usum. 6. Mini-
stros non debete sumere Eucharistiam, sed tantum
aliis porrigere sicut Christus fecit. 7. falsum esse, quod
Christus porrexerit Eucharistiam post lotionē pedum.
8. hoc sacramento, non modo animam; sed & cor-
pus refici. 9. Abstemios posse quidem communica-
re sub vna specie; suadendum tamen iis esse, ut integrè
abstineant.

5 Omitto conuitia, quæ passim inspergis; quanquam
in hoc genere modestior es, quā plerique alij Luthera-
ni in Saxonia. Omitto inepta & frigida argumenta,
quæ tibi familiaria sunt. Et cū illa desunt, nuda verbo-
rum

rum assertione, mea refellis, tua astruis. Denique non raro, cum aliud non occurrit, ad conscientias tenerorum, quas trāquillare videri vis, importunè prouocas: præsertim, quando firmioribus argumentis vrgeri tē sentis. Tunc enim, responsionis loco, identidem inculcas illud: *Non satisfit conscientiis tenerorum.* Ad conscientias tenerorum appello. Cum tamen nesciam, quos intellegas nomine tenerorū, qui tant. delicatas habent conscientias. Catholicos certè nō intelligis. Nam illorum cōscientiis abundē fit satis per vnius speciei sumptuonem, vt experientia testis est. Nec Caluinistas, opinor. Hi enim, non delicati & teneri, sed sacrilegi vobis in hoc Sacramēto sunt. An ergo Lutheranos? At illorum conscientiæ tranquillantur ex illo Lutheri Euangelio; *Sola fides iustificat.* Et, *nullo opere, nulla lege, Christiano homini opus est, cum per fidem liber sit ab omni lege.* Quid ergo Lutherani curent legem de vtraque specie?

6. Hæc obiter, Balduine, ex tuis notis. Vt singula & omnia refellantur, nihil necesse est. Nam pleraque aut nullius, aut parui admodum momenti sunt. Et legisse, penè refutasse est. Accedit angustia temporis, qua premor. Vix pauci dies supersunt ad nundinas; & iam primum à fideli amico libellum tuum nactus sum. Vellem autem, vt iisdem nundinis, quibus lucem aspecturus est, mea quoque refutatione inclarescat. Ergo, omissis aliis, hæc pauca capita excutienda sunt.

1. *De Ioanne Husso.*
2. *De Ubiquitate Christi.*
3. *An omnis institutio diuina contineat preceptum?*
4. *An debeamus Christum sequi, non Ecclesiam?*
5. *An Christi benedictio semper fuerit efficax?*
6. *An Paulus Apostolus in tertio cælo audinerit verba institutionis?*
7. *An Patres agnouerint Transubstantiationem?*

8. An ministri debeant tantum porrigerere, non autem sumere Eucharistiam?
9. An Christus porrexerit Eucharistiam ante, vel post locationem?
10. An hoc Sacramento, non tantum anima, sed & corpus reficiatur?
11. An abstemij sub una specie possint communicare?

Hæc pauca, inquam, hoc tempore. Si alias oportunum erit, fusiùs tecum agere paratus sum. Quanquam, quid dico, fusiùs? Nihil opus nisi alia, quæ maioris ponderis sint à te adferantur. Nunc ergo ad rem.

C A P. I.
De Ioanne Husso.

1. IN Præfatione ad Lectorem, ais, omnia mea argumenta, ante duo ferè saecula, solidissimè refutata esse à Ioanne Husso. Verba tua sunt hæc; *Ioannis Hussei Constantissimi Martyris confessionem in hoc frontispicio annotare placet, ex qua liquido constabit, Recanum ea ferè omnia in hac sua Disputatione, quasi data opera, corrasisse, quæ iam ante duo fermè saecula solidissimè fuere refutata.*
2. Sed duo hic occurunt, quæ velim mihi explices. Vnum est, si Ioannes Hussus ante duo saecula, solidissime refutauit mea argumenta, vt tu asseris; quid necesse erat, te iisdem refutandis operam perdere? Vel tu melius id præstas, quā ille, vel deterius. Situ melius quomodo ille solidissime? Si deterius, in quē finem? an ut despici & rideri possis? Hoc alia via poteras assequi. Addo, refutationē Hussei, vt à te quidē transcripta est breuissimam esse: tuā multo verbosiorē. Quid ergo Lectori molestus es, obtrudendo verbosam & inanē, qui breuissima & solidissima contentissimus esse potest.

3. Alterum est, si Hussus, quem Germaniæ Cyprianum vocas, solidissimè omnia scripsit de Communione sub vtraque specie: cur postea in progressu ait, errasse illum, quod cap. 6. Ioan. de Sacramentali mandatione interpretatus sit? Certè, si ibi errauit, vbi posuit fundamentum Communionis sub vtraque specie: non potuit ex illo fundamento solidissimè omnia refutare. Nisi apud vos Lutheranos, etiam ex falsis principiis, solidissima veritatis assertio procudi possit: quod tibi æstimandum relinquo.

C A P V T I I.

De Ubiquitate Christi.

1. Dixeram in mea disputatione, vos Lutheranos (cum obiicitis nobis, quod laicos fraudemus dimidia parte Christi, exhibeo illis carnem sine sanguine) necessariò supponere, Christum mortuum esse in Sacramento: quod sic probauit. Illi censem Christum esse mortuum, qui putant sub specie panis dimidium Christum, & sub specie vini reliquam eius partem cointineri: at qui Lutherani hoc putant, quando obiiciunt Catholicis, quod solam carnem Christi exhibeant laicos sub specie panis: Ergo Lutherani censem Christum esse mortuum in Sacramento: quod est absurdum.

2. Ut elueres hanc maculam, Balduine, nouis laqueis te implicuisti. Nam pag. 12. sic respondes: *Distingue inter naturalem corporis Christi existentiam, & sacramentalem. Secundum illam sane vbi est Christus, ibi totus est: secundum hanc autem manifesta est institutio Christi, qua cum symbolo panis, corpus: cum symbolo vini, sanguinem unitum esse, ac distribui docet. Quia de re plura suo loco. Hoc dicens, opinor, Christum totum esse sub una specie*

per existentiam naturalem; non tamen totum per existentiam sacramentalem. Et remittis nos ad alium locum, vbi plura te dicturum de hac re polliceris. Id prætas pag. 27. his verbis; *Libenter concedimus, Christum non minus sub uno symbolo, quam sub duobus præsentem esse in Sacramento; sed non sacramentali præsentia adest, verum personali, secundum quam, ut Deus & homo nullibi exclusus est.* Hic igitur distinguis duplicem præsentiam: vnam personalem, qua Christus vbiique est; alteram sacramentalem, qua in solo Sacramento est, non tamen totus sub vna specie,

3. Nunc quæro, an vtroque loco idem dicas, an diuersum? In priori distinguis inter existentiam naturalem & sacramentalem: in posteriori, inter personalem & sacramentalem. De sacramentali, quæ vtroque loco ponitur, non laboro. An naturalis & personalis, idem tibi sint, an diuersum, hoc quæro. Si diuersum; non cohæret doctrina tua. Nec rectè ex vno loco ad alterum nos remittis. Si idem; cur postea distinguis inter personalem & naturalem? Sic enim habes pag. 148. *Distinguendum est inter ista tria; inter præsentiam Christi personalem, naturalem & sacramentalem. Illa nupsiam est exclusus: ista, corpus & anima in Christo semper sunt coniuncta, extra mortem: hac, in Sacramento tantum coniuncta sunt.*

4. Hic primùm miror tuam inconstantiam. Tribus locis, ter mutasti. Primo loco agnoscis naturalem & sacramentalem præsentiam: Secundò, personalem & sacramentalem: Tertiò, personalem, naturalem & sacramentalem. Sed sine dubio, posteriores cogitationes sunt meliores prioribus: Accipiamus ergo, quod vltimo loco dixisti, tres esse præsentias Christi, personalem, naturalem, & sacramentalem. Quam verò vocas personalem? Eam, inquis, qua Christus, etiam secundum

cundum humanitatem vbique est, & nullibi exclusus. Valde dubito, an satis ipse intelligas, quid velis. Nam hoc monstrum Vbiquitatis ita varium ac impenetrabile est, ut non solùm omnes Catholici & Caluinistæ, sed plerique etiam Lutherani fateantur se assequi non posse. Tu tamen, quia aliter à morte Christum vindicare non potes, ad hoc asylum, ex desperatione, confugisti. Sed dic sodes, quomodo intelligis hanc propositionem: *Christus per presentiam personalem est ubique?* Vis hoc solùm dicere, personam Christi ubique esse? Rectè quidem, sed nihil ad rem. An hoc etiam, humanitatem Christi esse ubique? Nisi hoc dicas, nihil dicis. Et tamen, si hoc dicis, planè non intelligis, quid dicas. Nam si humanitas Christi ubique est: per quid quæso, ubique est? per præsentiam, inquis, personalem. Sed persona Christi, seu verbi, per quid ubique est? Sine dubio, per immensitatem. At immensitas est attributum essentiale, & commune toti Trinitati. Sicut enim *Aeternitas, & Omnipotentia: sic etiam Immensitas tribus personis communis est.* Hoc patet ex Symbolo Athanasij, quod sic habet: *Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus. Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus sanctus.* Et tamen non tres aeterni, sed unus aeternus: *sicut non tres immensi, sed unus immensus.* Similiter, *omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus.* Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens. Hic vides, Balduine, Immensitatem, qua Deus ubique est: Aeternitatem, qua semper est: & Omnipotentiam, qua omnia operatur: esse tria attributa, quæ toti Trinitati communia sunt. Sicut ergo Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sunt aeterni & omnipotentes per unam numero aeternitatem & omnipotentiam: sic etiam sunt ubique per unam numero immensitatem. Si ergo humanitas Christi per eandem Immensitatem

vbiq[ue] est, necessariò sequitur, per eandem quoque æternitatem, æternam esse: & per eandem omnipotentiam, omnipotentem: & sic de aliis attributis essentia libus. Omnia enim sunt vna & indiuisibilis entitas, in qua nulla multitudo, nulla distinctio, (exceptis relationibus) locum habet. Hic vide, quid respondeas.

5. Quid addis de præsentia naturali & sacramentali, non sat[is] intelligo. Vel idem dicis, quod nos, vel diuersum: Si idem, quid litigas? Si diuersum, explica te. Nos dicimus, vi sacramenti, seu vi istorum verborum, *Hoc est corpus meum, solum corpus Christi præsens esse sub specie panis: sanguinem vero, & animam rationalem, per naturalem concomitantiam.* Cum enim corpus illud viuum sit, naturaliter debet esse coniunctum cum sanguine & anima rationali. Tu dicis, per existentiam sacramentalem, solum corpus Christi præsens esse sub specie panis; & reliqua, per naturalem. Quid hic differs à nobis, nisi forte verbis? Nam, quod nos dicimus, vi sacramenti, adesse; hoc tu dicis, per sacramentalē existentiam, adesse. Et rursum, quod nos, dicimus, per naturalem concomitantiam, hoc tu vocas naturalem existentiam. Si ita est, quid verbo negas, quod recipia admittis? Sin secus, cur non disertè te explicas.

C A P V T I I I .

*An omnis institutio diuina contineat
præceptum?*

I. **T**V affirmas, pag. 19. his verbis; *Dico omnem institutionem Dei includere præceptum, quo obligantur iij, in quarum gratiam aliquid instituitur.* Hic quero, in quorum gratiam institutum sit matrimonium? An tantum in eorum, qui reuera matrimonium ineunt?

Hoc

Hoc non dixeris. Alioqui, qui cœlibatum seruant, ex diuina institutione exclusi essent à matrimonio: & consequenter, si omnis institutio includeret præceptū, ut tu vis; etiam diuino præcepto à nuptriis arcerentur; quod sanè falsum est. Si ergo in gratiam omnium hominum, cum adoleuerint, institutum à Deo matrimonium est (nemo enim vi institutionis excluditur). necesse erit ex tua doctrina, omnes homines diuino præcepto obligari ad matrimonium. At hoc est contra Apostolum, 1. Corinth. 7.8. *Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permaneant, quasi dicat, bonum est, ut non nuptæ, permaneant non nuptæ; & ut viduæ, permaneant viduæ.* Non ergo præceptum diuinum est, ut non nuptæ, matrimonium ineant.

2. Addis pag. 18. hunc syllogismum; *Pro quibus totum sacramentum Cœnæ fuit institutum, iis etiam præcepta est totius sacramenti usurpatio. Pro omnibus Ecclesiæ ciuibus sacramentum totum fuit institutum: Ergo eius usurpatio omnibus Ecclesiæ ciuibus præcepta fuit.* Ego in simili forma, hunc tibi regero; *Pro quibus matrimonii fuit institutum, iis etiā præcepta est matrimonij usurpatio.* Pro omnibus Ecclesiæ ciuibus matrimonium fuit institutum: Ergo eius usurpatio omnibus Ecclesiæ ciuibus præcepta fuit. Admittis hoc Balduine? Vide, quid dicas. Alioqui fatendum tibi erit, eos non fuisse Ecclesiæ ciues, qui matrimonii non usurparunt; inter quos fuit Apostolus Paulus, qui de seipso dixit, 1. Corinth. 7. vers. 7. *Volo omnes homines esse, sicut meipsum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo; alius quidem sic, alijs vero sic.*

3. Iam illa conclusio tui syllogismi (*Ergo totius Sacramenti usurpatio omnibus Ecclesiæ ciuibus præcepta fuit*) quomodo consistit cum eo, quod alibi dicas, Ministros Ecclesiæ non debere usurpare Sacramentum

Eucharistiae, sed alijs duntaxat distribuere? Si enim, ex tua sententia, usurpare sacramentum non debent; sane, vel Ecclesiae ciues non sunt; vel si sunt, falsum est, quod concludis, omnes Ecclesiae ciues praecepto tene-ri ad totius Sacramenti usurpationem. Sed de hoc iterum. c. 8.

C A P. I V.

An debeamus Christum sequi, non Ecclesiam?

1. **N**Os quidem, & Christum sequi volumus, qui de seipso dixit; *Ego sum via, veritas & vita.* Et similiter sponsam eius Ecclesiam, de qua idem dixit; *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* At tu, Balduine, nescio quo spiritu impulsus, aliter sentis. Ais enim pag. 92. *Non sequimur Ecclesiam, sed Christum.* Perinde ac si dicas; Non sequimur sponsam, sed sponsum. An nescis, Christum & Ecclesiam indissolubili vinculo coiunctos esse? Audi Apostolum, Eph. 5.3. *Relinquet homo patrem & matrem suam, & adhaerabit uxori sua; & erunt duo in carne una.* Sacramentum hoc magnum est: *Ego autem dico, in Christo & Ecclesia.* An nescis, Ecclesiam fundatam esse supra firmam petram, ut labi non possit? An nescis, firmamentum esse veritatis? *In ventre Ecclesiae,* inquit S. August. veritas manet. Quid ergo in mentem tibi venit, ut palam profiteri ausus, te non sequi Ecclesiam, sed Christum? Non potes sequi Christum, nisi & Ecclesiam sequaris. Hoc ipse fatetur, cum ait; *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.*

2. Planius tecum agam. Vel putas Christi Ecclesiam errare posse in doctrina, vel non posse. Si non potest errare, cur eam sequi non vis? Si potest, vel tu in Ecclesia non es, vel similiter cum Ecclesia errare potes. Si errare cum

cum illa potes; profectò, sicut illam sequi non audes, ita nec te ipsum sequi debes. Imò, nec Discipuli, quos Witembergæ instruis, sequi te debent. Quis enim errantem sequatur?

C A P. V.

An benedictio Christi fuerit semper efficax.

1. **E**go in mea Disputatione asserui; sed cum dupli-
ci limitatione. 1. quod hoc velim intelligi de ea,
quæ facta est circa panem. Itaque plena mea assertio
est hæc, omnem Christi benedictionem, quam in Eu-
angelio legitur fecisse circa panem, fuisse efficacem,
& alicuius mysterij seu miraculi effectricem. Hanc sic
probaui; Christus in Euangelio ter legitur benedixisse
panem. Primo, in multiplicatione panum & piscium.
Secundo, in vltima cœna. Tertio in Emaus. Et semper
aliquid mysterij seu miraculi operatus est. Ergo omnis
Christi benedictio circa panem, quam in Euangelio
legimus, fuit efficax.

2. Contra hanc meam assertionem sic scribis, Bal-
duine, pag. 64. *Nulla nos cogit euidens necessitas, ut dicam-
mus benedictionem Christi semper importare aliquid my-
sterij seu miraculi. Nam Marci 10. 16. impositis manibus
benedixit infantibus ad se allatis, nec quicquam secutū est
vel miraculi, vel mysterij. Et benedictio panis ipsi familiaris
fuit, non ex peculiari aliquo consilio, sed communi illa ratio-
ne, qua cibi omnes sanctificantur per verbum. & precatio-
nem, 1. Timoth. 4.5.*

3. Nescio, an his verbis directè velis me oppugna-
re; an solùm aliquid dicere. Si oppugnare vis, certè
non efficis, quod conaris. Nam primo, extra rem ad-
fers illud de infantibus. Mea enim assertio fuit hæc;
benedictionem Christi circa panem, fuisse semper effi-

cacem. An̄ putas hanc eneruari, si opponas, non fuisse efficacem circa infantes? Ludit Balduine. Et unde, obsecro, tibi constat, circa infantes non fuisse efficacem? *Quia nihil, inquis, miraculi vel mysterij secutum est.* Audio. Sed quomodo id probas? Legamus Euangelium. Tunc, inquit Matthæus, oblati sunt ei paruuli, ut manus eis imponeret & oraret. Hic primum aduerte, quo animo parentes obtulerint Christo suos paruulos. Nempe, ut manus eis imponeret, & oraret. Et quid inde sperare poterant? Aliquid sanè. Sciebant enim, non solum antiquos Patriarchas, eximia quædam beneficia largitos esse suis filijs ac nepotibus, per benedictionem; sed etiam Christum, qui tunc præsens aderat, præclara miracula, tum attactu manuum, tum oratione, tum alijs externis signis, in Iudea perpetrasse. Igitur hac freti confidētia, osterebant illi paruulos, ut & illis similiter aliquid doni, seu gratiæ impartiretur. Quis autem credat, Christum orando pro illis, & sacratissimas manus imponendo, parentum spem elusisse, & nihil peculiare circa paruulos operatum esse? Nemo, nisi Balduinus.

4. Iam quod addis, benedictionem panis fuisse Christo familiarem; vel generatim accipis de quacunque benedictione, quam Christus adhibuit pani; Et sic iterum extra scopum vagaris: vel de ea speciatim, cuius aperta fit mentio in Euangelio; & sic non recte loqueris. Nam in Euangelio non sæpius, quam ter, inuenio Christum benedixisse panem, ut supra notaui. Quod autem quis legitur ter tantum fecisse, non propriè dicitur fuisse illi familiare. Alias necesse erit fateri Petro familiarem fuisse negationem Christi, quia ter Christum negauit. Similiter Paulo familiare fuisse, cedi virginis & naufragium pati, quia ter virgis cæsus & naufragium passus legitur. Quæ omnia absurdâ sunt.

5. Denique, quod annexis, benedictionem panis, ex communi consuetudine, non ex peculiari aliquo consilio, fuisse à Christo usurpatum; sine dubio falsum est. Vel enim loqueris de illa sola benedictione panis, cuius sit mentio in Euangelio; vel de omni. Illud prius dici non potest, quia certum est, triplicem illam benedictionem; cuius sit mentio in Euangelio, factam esse ex peculiari consilio. Quis enim neget, Christum ex peculiari consilio benedixisse panem in solitudine, quando aliquot millia hominum satiavit? in cœna vltima, quando sacramentum instituit? in Emaus, quando Discipolorum oculos aperuit? Hinc colligo, nec posterius dici posse. Non enim potest generatim verum esse de omni benedictione, quod speciatim falsum est de aliqua: at iam ostendi falsum esse de triplici benedictione Euangelica, quod non sit facta ex peculiari aliquo consilio: Ergo etiam falsum est de benedictione generatim sumpta.

C A P. V I.

An Paulus in tertio Cœlo audiuerit verba institutionis Eucharistiae?

1. **H**oc tu affirmas Balduine, pag. 28. cum ais; D. Paulus verba institutionis in tertio cœlo repetita & declarata audiuit. Vis hoc dicere, verba institutionis, quæ in vltima cœna coram alijs Apost. primum prolatæ sunt; eadem in tertio cœlo corā Paulo, (qui in vltima cœna non fuerat,) repetita esse, & secundum legitimum sensum explicata. Sed vnde hoc habes, mi homo? Scribit quidem Paulus de seipso. 1. Corinth. 11. 23. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Sed nō addit, se accepisse in tertio cœlo. Nec verisimile est,*

triplici de causa. Primo, quia quæ audiuit in tertio cœlo, erant arcana verba, quæ non licet homini loqui, ut ipse de se fatetur 2. Corinth. 12. 4. *Raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* At verba institutionis Eucharistiae non sunt arcana, quæ non licet homini loqui. Ergo verba institutionis Eucharistiae, verisimile est, non audiuisse in tertio cœlo.

2. Sed multo efficacius id conuinco ex his principijs. Primum est, quod raptus Pauli in tertium cœlum, contigerit multis annis post conuersionem. Nam conuersio eius (in via prope Damascum) facta est anno Domini 35. Raptus autem contigit 14. annis ante scriptam posteriorem epistolam ad Corinthios, ut ipse fatetur 2. Corinth. 12. 2. his verbis; *Scio hominem in Christo ante annos 14. raptum usque ad tertium cœlum.* Porro epistola illa scripta est Anno Domini 58. Vnde necesse est, raptum contigisse anno 44. ac proinde inter conuersionem & raptum, plusquam octennium intercessisse. Videri potest Baronius tom. 1. Annalium, Serarius in Paulo, & alij, qui hanc rem diligenter examinarunt. Alterum principium est, quod Paulus statim post conuersionem cœperit Euangelium Christi prædicare, ut patet Act. 9. 20. vbi statim post conuersionem, *ingressus in Synagogas, prædicabat Iesum, quoniam hic est filius Dei:* *Et confundebat Iudeos, qui habitant Damasci.* Tertium est, quod Euangelium Christi, quod statim post conuersionem cœpit prædicare, non dederit ab hominibus, sed ab ipso Christo, ut patet ex illo, ad Galat. 1. 11. *Notum vobis facio Euangelium, quod euangelizatum est à me, quia non secundum hominem: neq; enim ego ab homine accepi illud, sed per reuelationem Iesu Christi.* Quartum est, quod institutio Baptismi, & Eucharistiae, perireat ad Euangelium Christi; ac proinde nemo possit perfectè prædicare Euangelium Christi, nisi sufficienter instructus

instructus sit de institutione Baptismi & Eucharistiae. Cum enim sint Sacra menta nouæ legis, seu Euangelij, eorum notitia necessaria est ad plenam notitiam nouæ legis & Euangelij.

3. Ex his principiis sic concludo, Paulus statim post conuersionem (quæ octennio præcessit raptum ipsius ad tertium cœlum) missus fuit ad prædicandum Christi Euangeli um, & sine dubio sufficienter instructus de iis, quæ ad illud munus requirebantur: atqui notitia institutionis Eucharistiae requirebatur ad munus prædicandi Euangeli um Christi. Ergo de illa fuit sufficienter instructus, statim post conuersionem. Ergo in raptu, qui octennio post contigit, non didicit verba institutionis, sed multo ante perspecta habuit.

4. Hoc ipsum euidenter colligitur ex illo ad Galat. 1.15. *Cum autē placuit ei, qui vocauit me per gratiā suam, ut reuelaret filium suum in me, ut Euangelizarem illum in Gentibus, cōtinuò non acqueui carni, & sanguini, neque ve ni Ierosolymam ad antecessores meos Apostolos, sed ab ij in Arabiam, & iterum reuersus sum Damascum.* Hic enim tria insinuantur, quæ ad rem nostram faciunt. 1. quod in prima conuersione, quæ contigit in via prope Damascum, reuelatus sit illi filius Dei. 2. quod in eū finē reuelatus sit, ut euangelizaret eum in gentibus. 3. quod statim profectus sit in Arabiam, ut præstaret quod ipsi iniunctum erat. At cur non potius iuit Ierosolymam ad Petrum & Iacobum, ut ab iis instrueretur, & Iudeis, qui carne & sanguine coniuncti illi erant, Christū annunciatet? Causa in promptu est, tum quia maiori instructione non indigebat, cum à Christo sufficienter esset edoctus; tū quia Christus non miserat illum, ut Iudeis, sed ut Gentibus Euangeli um annunciatet. Sic enim de illo loquitur ad Ananiam. Act. 9.15. *Vas electio nis est mihi iste ut portet nomen meum coram Gentibus.*

ipse de seipso ad Galat. 2.7. Creditum est mihi Euangeliū præputij sicut Petro circumcisōnis. Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisōnis; operatus est & mihi inter Gentes.

5. Accedit tertium argumentum; quia alij Apostoli, qui vltimæ cœnæ præsentes interfuerant, non minus sciebant verba institutionis Eucharistiæ, quam Paulus. qui præsens non interfuit, sed postea audiuit. At ea quæ in tertio cœlo reuelata sunt Paulo, non erant eque aliis Apostolis perspecta. Ergo inter ea non sunt numerada verba institutionis. Minor probatur, quia Paulus 2. Corint. 11. & 12. conferens se cum aliis Apostolis, disertè ait, in plerisque se non esse illis inferiorem. Existimo, inquit, nihil me minus fecisse à magnis Apostolis. In multis etiam superiorem, præsertim in reuelationibus, quæ in tertio cœlo illi acciderunt. At quomodo in iis superior esset, si de institutione Eucharistiæ duntaxat, & similibus rebus fuisset ibi instructus? Hæc pauca habui, Balduine, quæ tibi opponerem. Tu, si quid validius occurrit, vicissim regere, si videbitur.

C A P. V I I.

An Patres agnouerint Transubstantiationem?

1. **T**V negas, pag. 65. his verbis; *Quod autem conuersionis aut mutationis aliquando meminerunt Patres, non intellexerunt Transelementationem, qualis in Papatu docetur, sed mutationem sacramentalem, qua elementa externa (panis & vinum) à communi & vulgari usu ad usum mysticum & sacramentalem consecrantur.*

2. Duo hic dicis, ut video. 1. quod Patres, quando loquuntur de mutatione seu conuersione, quæ sit in Eucha-

Eucharistia , non intelligent talem mutationem, qualis in Papatu docetur. 2. quod intelligent talem , qualis in Lutheranismo defenditur. Mutatio autem , quæ in Papatu docetur, consistit in reali & substantiali conversione , quia substantia seu natura panis mutatur in substantiam seu naturam carnis Christi. At quæ apud Lutheranos defenditur , in eo solum consistit, quod panis, retinens substantiam & naturam panis, à communis & vulgari vsu transferatur ad usum mysticum & sacramentalem ; sicut olim in antiquo Testamento , panes propositionis retinebant quidem naturam & substantiam panis, sed tamen eorum usus non permettebatur passim omnibus, sed iis potissimum, qui in templo seruiebantur. Et hoc solo, à laicis panib. distinguebatur.

3. Videamus nunc , de qua mutatione loquantur Patres; an de ea , quam Lutherani , an potius de ea, quam nos Catholici agnoscimus & profitemur. Nec difficile erit iudicare, si verba, mentem , & scopum illorum inspiciamus. Ac primò loco occurrit Ambrosius, qui de hoc argumento ex professo scripsit in libro de his, qui mysteriis initiantur, c. 9. vbi sic habet ; *Fortassis, aliud video, quomodo tu mihi asseris, quod Christi corpus accipiā? & hoc nobis adhuc superest, ut probemus. Quātis igitur utimur exemplis, ut probemus nō hoc esse, quod natura formauit, sed quod benedictio consecravit: maioremq. vim esse benedictionis, quam naturae, quia benedictione etiā ipsa natura mutatur. Virgam tenebat Moyses proiecit eam, & facta est serpens. Rursum apprehendit caudam serpentis, & in virgē naturam reuertitur. Vides igitur prophetica gratia bis mutatam esse naturam, & serpentis & virgē. Currebant & Egypti flumina puro aquarum meatu , subito de fontium venis sanguis cœpit erūpere. Non erat potus in fluviis, rurus ad Prophetas voces cruor cessauit fluminum , aquarum natura remedauit. Circumclusus undique erat populus*

Hebraeorum hinc Aegyptiis vallatus, inde mari clausus, Virgam levavit Moyses separavit se aqua, & in murorum speciem congelauit: utq[ue] inter undas via pedestris apparuit. Iordanis retrosum conuersus contra naturam in sui fontis revertitur exordium. Nonne clarerat naturam, vel maritimorum fluctuum, vel fluialis cursus esse mutatam? Sitiebat populus patrum tetigit Moyses petram, & aqua de petra fluxit. Nunquid non præter naturam operata est gratia, ut aquam someret petra quam non habebat natura? Marath fluvius amarissimus erat, ut sitiens populus bibere non posset. Misit lignum in aquam, & amaritudinem suam aquarum natura deposuit, quam infusa subito gratia temporauit. Sub Eliseo Prophetæ uni ex filiis Prophetarū excusum est ferrum de securo, & statim mersum est. Rogauit Elisa, qui amiserat ferrum, misit etiam Elisa lignum in aquam, & ferrum natavit, utique & hoc præter naturam factum esse agnoscimus. Grauior est enim ferris species, quæ aquarum liquor. Aduentinus igitur maioris esse virtutis gratiam, quæ naturam, & ad mecum propterica benedictionis numeramus gratiam? Quod si tantum humana valuit benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione diuina, ubi verba ipsa domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Eliae, ut ignem de celo deponere, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum de totius mundi operibus legisti? Quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creare sunt; sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea, quæ sunt, in id mutare, quod non erant? Nō enim minus est nouas rebus dare, quæ immutare naturas. Sed quoad argumentis utimur? suis utramque exemplis, incarnationisque astruamus mysterij veritatem. Numquid naturæ usus præcessit, cum Iesus Dominus ex Maria nasceretur? si ordinem querimus, viro nupta femina generare consuevit. Lignet igitur quod præter natura ordi

ordinē virgo generauit; & hoc, quod cōficiuntur, corpus ex virgine est. Quid hic queris naturā ordinē in Christi corpore, cū prater naturā sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine? vera utiq^z, caro Christi que crucifixa, que sepulta est, vere ergo carnis illius Sacramentū est. Ipse clamat Dominus Iesus, Hoc est corpus meum: ante benedictionem verborum cœlestium, alia species nominatur; post consecrationem, corpus Christi significatur. Ipse dicit sanguinē suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tunc dieis, Amen, hoc est verum est; quod os loquitur, mens interna fateatur, quod sermo sonat affectus sentiat.

4. Ex his verbis Ambrosij colligo duo efficacia argumenta pro Catholicis, contra Lutheranos. Vnum est, quod Ambrosius loquatur de mutatione, qua ipsa natura panis mutatur, *Quantis, inquit, exemplis utimur ut probemus non hoc esse, quod natura formauit, quia benedictione (Sacramento) etiam ipsa natura (panis) mutatur.* Alterum est, quod conetur ostendere, huiusmodi mutationem, qua natura panis conuertitur in carnem Christi, non esse Deo impossibilem. Ostendit autem generatim tripliciter. Primo, quia Deus potuit facere, ut naturae rerum existerent, quæ antea non existebant; ergo potest facere, ut postquam iam existunt, natura unius mutetur in naturam alterius. Secundo, potuit facere, ut virga Moysis mutaretur in serpem, & iterum, serpens mutaretur in virgam, ita ut facta fuerit mutatio secundum naturam. (Hoc enim significant illa verba; *Vides, bis mutatam esse naturam, & serpentis, & virginem.*) Cur non possit efficere, ut natura panis mutetur in naturam carnis? Tertio, potuit multa alia facere, quæ supra naturam sunt, ut nimirū aquæ Ægypti mutarentur in sanguinem; ut aqua amara fieret dulcis: ut ferrum securis nataret super aquam, ut ignis de celo descenderet: ut Christus nasceretur ex virgine. Cur

non possit efficere, ut substantia panis, supra naturam, mutetur in substantiam carnis?

5. Quid obsecro, necesse erat Ambrosium ut his argumentis & exemplis, quibus probaret naturas rerum a Deo mutari & transmutari posse, si nihil aliud voluisset ostendere, quam fieri a Deo posse, ut panis, manente natura panis, a vulgari usu transferatur ad Sacramentalem, nulla facta mutatione substantiae? Nihil profecto. Multo melius hoc ostendisset, exemplo sumpto a panibus propositionis, qui in veteri Testamento, sineulla naturae mutatione, a profano ad sacram usum deputati erant.

6. Cum Ambrosio sentiunt alij Patres. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 4. mystagogica; Aquam, inquit, mutauit in vinum in Cana Galileæ sola voluntate; & non erit dignus cui credatur, quod vinum in sanguinem transmutarit? Si enim ad nuptias corporeas inuitatus stupendum miraculum operatus est; an non multo magis corpus & sanguinem suum, filiis sponsi dedisse illum confitebimur? quare cum omni certitudine corpus & sanguinem Christi sumamus: nam sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur tibi sanguis. Et infra; Qui videtur panis, non est panis, etiam si gustu ita appareat, sed corpus Christi: & quod videtur vinum, non est vinum, etiam si gustus id velit, sed sanguis Christi. Ex hoc testimonio summa tria argumenta. Primum; Sicut Christus in Cana Galileæ mutauit aquam in vinum; sic in ultima cena mutauit vinum in sanguinem. At aqua realiter & substancialiter mutata est in vinum: Ergo etiam vinum realiter & substancialiter mutatum est in sanguinem. Alterum; Si Christus in nuptiis corporeis, stupendo miraculo, conuerxit aquam in vinum; magis stupendo miraculo in conuiuio spiritali, mutauit vinum & panem in sanguinem & corpus suum. At non esset magis stupendum miracu-

miraculum, immo ne miraculum quidem, si panem & vinum non aliter mutasset, quam ex prophano usu ad sacram transferendo. Quid enim miraculi fuit in panibus propositionis? Haec tenus nemo agnouit. Tertius; Talis fuit illa conuersio panis in ultima cena, ut post conuersionem non amplius esset panis, sed corpus Christi: Ergo necesse est naturam panis fuisse mutatam, Si enim mansisset natura panis, utique mansisset panis. Et si mansisset panis, quomodo verum esset, quod ait Cyril. *Qui videtur panis, non est panis, sed corpus Christi?*

7. Audiamus & alios. Cyprianus sermone de cena Domini; *Panis iste, inquit, non effigie, sed natura mutatus, Omnipotentia verbi factus est caro.* Quid clarius? Panis, inquit, mutatus est. Qua vi & virtute? Omnipotentia verbi. Et quomodo mutatus? Non effigie, sed natura. Et in quid mutatus? in carnem Christi. *Factus est, inquit, caro.* Longe haec distant a mutatione, quam Lutherani agnoscent: ab illa, inquam, mutatione, qua non aliud fit, quam quod panis, qui antea communis mensa seruiebat, nunc ad sacram deputatus sit. Ad hoc enim non requiritur Omnipotentia verbi; non mutatio naturae; non conuersio in carnem Christi.

8. Hilarius lib.8. de Trinitate; *De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus.* Nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est: & haec accepta atque hausta id efficiunt, ut & nos in Christo, & Christus in nobis sit. Hic explicat Hilarius terminum illius mutationis, quæ fit in Sacramento Eucharistiae. Nec aliud agnoscit, quam verè carnem, & verè sanguinem. *Quod breuissimè dixit Gregorius Nyssenus orat. catechetica cap.37.* Recte nunc quoque credo, *Dei verbo sanctificatum panem, in Dei verbi corpus transmutari.* Et haec ipsa transmutatio est, quam nos Catholici profitemur.

9. Pluribus testimoniis opus non est. Nam ea, quæ adduxi, tam clara & perspicua sunt, ut non nisi ab homine pertinaci ac impudente, eludi non possint. Nec tu aliter, Balduine, affirmare ausis, sat scio.

C A P V T V I I I .

An Ministri debeant tantum porrigerere, non autem sumere Eucharistiam?

1. **H**oc tu asseris, Balduine; Et nescio, an ullus ante te vñquam. Sic enim scribis pag. 261. *Ministrantes iubentur facere, quod Christus fecit. Christus autem non edit consecratum panem (hoc enim apud nullum Euangelistam legitur) sed distribuit panem & calicem omnibus suis communicantibus. Idem ergo & discipuli facere iubentur; nimis non edere panem consecratum, & bibere de calice benedictio, sed aliis utramque speciem communicare.*

2. Verè dictum est, nihil esse tam absurdum, quod non inueniat auctorem. An non absurdum est assere-re, Apostolos & alios ministros, Apostolorum successores, iussos esse à Christo non sumere Eucharistiam, sed aliis duntaxat ministrare? Et tu tamen hoc asseris. Sed & illud verè dictum est, oportere mendacem sui memorem esse. Hic peccasti, Balduine. Nam pag. 274. nihil de tuo mendacio cogitans, te ipsum mendacij arguis, cùm aīs; *Scimus utique, Apostolis multa esse dicta, præsertim quæ munus ipsorum concernunt, quæ ad alios applicari non possunt. Interea tamen, & hoc verum est, unam esse apud Deum rationem salutis ac iustificationis nostræ, eadem etiam media atque organa, eundem modū, tam quoad Apostolos, quam quoad fideles. Idcirco quemadmodum omnibus vigilantia atque cura opus est, ne à diabolo circumventi, gratia Dei fide & salute excidant: ita omnibus a quæ*

iisdem

isdem mediis opus est, quibus in fide confirmari; in pugna contra diabolū animari, & ad salutem conseruari queant; inter quæ media non postremum est Eucharistiæ sacramen-tum. Quam ob causam non male dictum illud; Quod vo-bis dico, omnibus dico, ad negotium sacramenti accom-modatur.

3. Quomodo poteras apertiū teipsum iugulare? Antea sic ratiō in abatis; Apostoli & alij Ministri iubentur facere, quod Christus fecit: At Christus non sumpsit Eucharistiam, sed tantum aliis porrexit: Ergo Apostoli & alij ministri iubentur non sumere Eucha-ristiam, sed aliis duntaxat porrigerere. Hic autem tui planè immemor sic concludis; Media salutis sunt om-nibus æquè necessaria, tam Apostolis, quam aliis: at qui inter media salutis, præcipuum est Sacramentum Eu-charistiæ: Ergo Sacramentum Eucharistiæ omnibus, tam Apostolis, quam aliis, æquè necessarium est. Quo-modo hæc conclusio cohæret cum priori? Hic colli-gis sacramentum Eucharistiæ omnibus æquè necessa-rium esse, etiam Apostolis & Ministris. Ibi cōtra, Apo-stolos & Ministros, iussu Christi, arceri à perceptione Eucharistiæ. Abi cum tuis ineptiis.

C A P V T I X.

*An Christus, porrexerit Eucharistiam ante,
an post lotionem pedum?*

1. **H**ic etiam noui aliquid sectatus es. Fortè, ut ve-rē sectarius haberi possis. Sic enim habes pag. 309. Scribit Becanus, *Christum distribuisse Eucharistiā, lotis prius pedibus, quod falsum est: alias sequeretur, Iudam Iscariotem non interfuisse sacra cœnæ, quia post lotionem pedum, accepta offa egressus scribitur, Ioan. 13. Diuus Lu-cas autem restatur, cum Christus sacram Cœnam instituit, manum proditionis sui cum ipso fuisse in mensa.*

2. Ergo ex tua sententia, Christus lauit pedes Apostolorum post cœnam Eucharisticam; quod sic probas: Iudas interfuit cœnæ Eucharisticæ: At non interfuisset, si celebrata esset post lotionem pedum, quia post lotionem, accepta offa, egressus est. Miror tuam subtilitatem. Demus hoc, Iudam interfuisse. Demus etiam, post lotionem pedū, accepta offa (vt tu loqueris) egressum esse. An hinc sequitur, statim post lotionem, nulla mora interposita, egressum esse; Neque tu affirmare hoc ausis. Nam si inter lotionem pédum, & egressum Iudæ, nihil moræ fuisset interpositum: quomodo offam accepisset post lotionem, ante egressum? Aut, si tatum erat temporis interiectum, vt offam sumeret: cur non etiam, vt Eucharistiam sumeret?

3. Sed clarius tecum agam. In ultima illa cœna, de qua agimus, multa contigerunt. 1. facta est cœna legalis, in qua agnus Paschalis comestus est. 2. cœna communis, in qua visitati cibi appositi. 3. cœna Eucharistica, in qua corpus & sanguis Christi porrectus. 4. lotio pedum. 5. discessio Iudæ. 6. concio Christi, quæ apud Ioannem describitur. Nunc quæstio est, quo ordine hæc omnia gesta sint? quam video à doctissimis viris diligentissimè excussam esse. Sunt autem duæ potissimum sententiæ. Vna statuit hunc ordinem, vt 1. loco fuerit cœna legalis. 2. lotio pedum. 3. institutio Sacramenti. 4. cœna communis, in qua Christus dedit Iudæ bucellam panis. 5. discessio Iudæ. 6. concio Christi. Altera hunc statuit, vt 1. fuerit cœna legalis. 2. cœna communis. 3. lotio pedum. 4. institutio Sacramenti. 5. discessio Iudæ. 6. Concio Christi. Vtrique ut magnos authores, ita magna argumenta habet. Nolim ego hic de toto ordine disputare: solum de lotione & institutione Eucharistiæ inter nos contentio est. Et quidem si alterutram illarum sententiarum sequamur,

quamur, res salua est. Ambæ enim lotionem pedum prius factam, ac deinde sacramentum institutum esse, confirmant. Quod & ego sentio, Balduine. Igitur ex hac parte, melior mea, quam tua conditio est.

4. Deinde, si relicta authoritate (quæ tamen magni ponderis apud homines cordatos esse debet) vi argumentorum agamus, facile puto me euicturum. Tibi vnicum argumentum est; in quo vis nulla, ut paulò ante ostendi. Hæc meas sunt. Primum, Christus lauit pedes Discipulorum suorum, non modo ut exemplum humilitatis eis præberet; sed etiam, ut significaret mundos esse oportere, qui corpus & sanguinem suum acceptuti essent. Hæc autem munditia requiritur ante sumptionem Eucharistiae: Ergo lotio pedum non est secuta Eucharistiam. Huc spectat illud Apostoli, i. Corinti. ii. 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini, quasi dicat antequā accedatis ad Eucharistiā, excutite & mundate conscientiā vestrā, ut puri ac loti accedatis. Alioqui si immundi ac indigni acceditis, sicut Iudas fecit; iudicium vobis manducatis & bibitis.

5. Alterum, ex Evangelio Ioannis constat, Christum seruasse hunc ordinem. 1. surrexisse à cœna. 2. lauisse pedes. 3. iterum recubuisse. 4. dixisse Apostolis, *Vnus ex vobis tradet me.* Sic enim scribit Ioan. Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua, & cum accepisset linteum, præcinxit se, & cœpit lauare pedes discipulorum. Et infra Postquam ergo lauit pedes eorum, & accepit vestimenta sua cum recubuisse, dixit eis; *Amen amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me.* Hinc ergo constat Christum post lotionem pedum, iterum accubuisse cum duodecim Apost. & dixisse. *Vnus ex vobis tradet me.* Ex quo duplicitate oppugno, Balduine. Primò, si post lotionem pedum,

pedum, iterum accubuit, & dixit illa verba: ergo Iudas post lotionem pedum non statim egressus est, ut tu putas, sed cum alijs assedit mensa. Potuit ergo interea sumere Eucharistiam. Secundò, hæc verba, *Vnus ex vobis tradet me*, prolatæ sunt post lotionem pedum, teste Ioanne, & ex alijs Euangelistis constat prolatæ esse ante cœnam Eucharisticam. Cum ergo Ioannes & alij Euangelistæ non sunt sibi contrarij, necesse est, cœnam Eucharisticam fuisse posteriorē lotione pedum. Mat. c. 26. 20. sic habet; *Vespere autem facto, discumbebat cum 12. Discipulis suis. Et edentibus illis dixit; Amen dico vobis*, quia *vnis vestrum me traditurus est. Et contristati valde, cœperunt singuli dicere, Numquid ego sum Dominus?* At ipse respondens ait: *Qui intingit mecum manum in paropside hic me tradet. Respondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit; Nunquid ego sum Rabbi? Ait illi, tu dixisti. Cœnantibus autem illis, accepit Jesus panem, & benedixit ac fregit, deditq; discipulis, & ait: Accipite & comedite: Hoc est corpus meum, &c.* Aduerte hic Balduine. Post verba illa, *Vnus ex vobis tradet me*, sequitur institutio sacramenti. Quod etiam habent Marcus & Lucas. Si ergo verba illa, secundum tres Euangelistas, prolatæ sunt ante cœnam Eucharisticam; & secundum Ioan. post lotionem pedum: quis non clare videt, lotionem pedum priorem fuisse cœna Eucharistica? Si iam mecum sentis gaudeo: sin minus, firmioribus argumentis instructus sis, necesse est.

C A P. X.

An hoc Sacramento non tantum anima, sed & corpus reficiatur?

I. **D**ixeram in mea disputatione, hoc cibo Eucharistico refici ac nutriti animam; sicut cibo corporali

rati reficitur ac nutritur corpus. Hoc tu reprehendis, tanquam male à me positum: Et affirmas non modo animam, sed etiam corpus refici ac nutritri hoc Sacramento. Sic enim habes pag. 202. Quod soli animæ spirituali refectionem tribuere videris, id vero falsum est. Nam mens instituentis fuit, ut & caro & anima reficiatur hoc sacramento. Et infra; Quemadmodum Baptismus sanctificationem totius hominis corporis ac animæ præstat, ita & cœna Domini, corporis ac animæ alimentum est. Ex qua fundamento Irenæus corporibus resurrectionem à mortuis promittit, &c.

2. Sed primùm, immetitò me reprehendis. Dixi quidem, animam nutriti hoc sacramento: non tamen dixi, solam animam nutriti. Hoc tu mihi affingis. Deinde, te ipsum iugulas. Nam sicut hic asseris, & carnem & animam pasci hoc sacramento; ita paulo post contrarium scribis ex Hieronymo, pag. 278. his verbis: Est enim esca animæ, non corporis. Postremò, repugnas suis principijs. Nam vos Lutherani docetis, sacramenta non alio fine esse a Christo instituta, nisi excitandæ & alendæ fidei causa. At quid hoc ad nutriendum corpus?

3. Ut clariùs te intelligam: quid obsecro est in sacramento, quod carnem reficit? an corpus & sanguis Christi, prout habent presentiam naturalem, quam tu agnoscis? At sic immortalia & alterationis incapaci sunt, ut nutrimenti corporalis loco esse non possint. An prout habent presentiam sacramentalem? At sic fideli duntaxat alendæ, ut vos dicitis, ex Christi institutione deseruiunt. An potius panis & vinum; quæ ex vestra sententia, manent cum corpore & sanguine Christi? At panis & vinum habent vim reficiendi corpus ex natura sua, non autem ex institutione Christi. At tu asseris, mentem instituentis fuisse, ut caro reficiatur hoc sacramento. Porro, quid ego de hac rem sentiam, in

scholasticis prælectionibus significatum est. Hic tuam contradictionem breuiter attigisse sufficiat.

C A P. XI.

An abstemij possint sub vna specie communicare.

1. Non damnas sententiam Brentij, qui id affirmat. Addis tamen consultius esse, ut integrè abstineant ab vtraque specie, quam ut vnam sine alia usurpent: eo quod totum fructum Eucharistie possint percipere sola fide, sine externa susceptione Sacramenti. Sic enim scribis pag. 231. Brentius abstemiis vnam specie concedit. Sed consilium hoc est, non preceptum. Et infra pag. 233. Quidquid autem sit de consilio D. Brentij; optimum consilium est B. Lutheri, satius esse, abstemios prorsus abstinerere à sacra coena, quam vna saltem specie uti. Interim tamen salutari fructu Sacramenti non carent, quo per fidem potiri possunt, etiam extra usum sacramenti. Consolentur se Baptismo suo, qui est stipulatio bona conscientia cum Deo.

2. Hic primum consentis cum Brentio, abstemios posse sub vna specie communicare. Nunc velim soluas mihi hoc dilemma: Vel iure diuino prohibitum est communicare sub vna specie, vel non est. Si prohibitum est, cur permittitur abstemij? Si non est, cur reliquis negatur? Aut sane illud: Usurpatio vnius speciei sine altera, vel est reuera sacrilegium & mutilatio sacramenti, vel non est. Si est, cur permittitur abstemij? Si non est, cur negatur alijs?

3. Praefers tamen consilium Lutheri, ut abstemij integrè abstineant. Causam addis, quia possunt per fidem potiri fructu sacramenti. Porro fructus huius Sacramenti, secundum te, duplex est; alter augere fidem; alter nutrire corpus. Si ergo abstemij sine sacramento possunt utrumque fructum percipere per fidem: ne cesset

cesser est fidem ipsorum, quam habent, præstare hunc duplum effectum. 1. vt augeat seipsum. 2. vt nutriat corpus. At ubi docet hoc scriptura? aut unde habes haec doctrinam? Deinde, si ita est, quæ potest esse necessitas huius Sacramenti? Cæteri fideles non sunt deterioris conditionis, quam abstemij. Si ergo abstemij sine Sacramento possunt omnia habere, quæ alij per Sacramentum habent; quid opus est usurpare Sacramentum? Et si abstemij consolantur se Baptismo suo, qui est stipulatio bonæ conscientiæ cum Deo; cur non alij eodem modo se consolentur? aut quid ulterius querunt, præter stipulationem bonæ conscientiæ cum Deo?

4. Hic reuocas mihi in mentem, quod supra ad initium notaui. Hoc, inquam, quod solitus sis, cum argumentis Catholicorum vrgeri te putas, prouocare ad conscientias tenerorum: & idem tidem illud occinere; *Sive utraq; specie, non satisfit tenerorum conscientijs. Quomodo, mi Balduine, non satisfit? an non dixisti iam, Baptismum esse stipulationem bonæ conscientiæ cum Deo? Solum Baptismum sufficere ad consolandas & tranquillandas corā Deo conscientias? Si sufficit, quid opus est utraq; specie? aut quis scrupulus conscientijs reliquus esse potest, si per Baptismum, stipulationem bonæ conscientiæ cum Deo natus es? Collige te melius.*

E P I L O G V S.

Hæc habui, Balduine, quæ breuiter ac amicè, non tam disceptare, quam conferre tecum volui per epistolam. Accipies, opinor, in bonam partem, & non mea sponte, sed tuo potius impulsu, factum à me esse, interpretaberis. Egisset forte prolixius; sed quod initio monui, temporis angustia non patitur. Vix biduum absimus à Nundinis: & iam prope

properat Typographus ad mercatum. Et probè tibi conscius
 es, libellum tuum (cui respondeo) vix lucem affexisse, & certè
 iam primum ad hasce Nundinas proditurum. Igitur aut fe-
 stinandum mihi fuit, aut responsio differenda. Hoc nolui, il-
 lud arripui. Quod autem in hac ipsa festinatione, parcus
 forte, quād argumenti ratio postulabat, de communione sub
 utraq, specie differuerim, minimè mirum est. Nam quæ alias
 à me de hoc argomento disputata sunt, non videntur tuis
 Notis magnopere labefactata esse, ac proinde noua defen-
 sione non egent. Vnum superest, Balduine. Ægrè tu listi (ut
 colligo ex tuo libello) quod in disputatione, Lutheranos cum
 Caluinistis coniunxerim, quasi indignum ac probr̄osum sit
 bonos viros inter improbos annumerari. Fateor me id feci-
 se. Nego eo consilio fecisse, quo tu interpretaris, quasi sub e-
 x̄ō, ut tu loqueris, Caluinistarum nomine Lutheranos
 diffamare conatus sim. Non ita est. Ideò feci, quia in hoc
 pūnto de Communione sub utraq, specie, conspirant Luthe-
 rani cum Caluinistis. Alias, non eram sanè facturus. Scio
 enim, & iam pàlam orbi Christiano notum est, vos extremè
 detestari Caluinistas. Et cum ita sit, Balduine cur illis præ-
 termisis, me lacesse voluisti? Si animus pugnandi tibi est,
 eos expugna, si potes. Et certè potes, si vis. Monstrosa illo-
 rum dogmata sunt, quæ debellare non magni laboris sit. In
 eo certamine deinceps te exerce. Si tamen nolis, & mihi mo-
 lestus esse pergas (quod tibi integrum relinqu) à me vicissim
 plagam expectare oportebit. Vale mi Balduine, & ad verita-
 tis semitam regredere: quod tibi, tametsi erroribus anticipatis
 implicitus sis, difficile futuram non existimo, si diuine gra-
 tie opem ac subsidium sedulò imploraueris. Moguntia ex
 Archiepiscopali Collegio nostro, 2. Aprilis, Anno 1616.



OPVSCVLVM VIII.
 SERENISSIMI
 IACOBI ANGLIÆ
 REGIS,
 APOLOGIÆ ET MONI-
 TORIAE PRAEFATIONIS AD
 Imperatorem, Reges & Principes,
 REFUTATIO.

IMPERATORI, REGI-
 BV S E T PRINCIPIBV S
 C H R I S T I A N I S,

Martinus Becanus.

LICEAT mihi, inuictissime Imperator, Serenissimi
 Reges, Illustrissimi Principes; liceat mihi, inquā,
 priuato homini, vos Christiani orbis Heroes,
 paucis interpellare. Spondeo non fore me importu-
 num. Prodiit, non ita pridem, Serenissimi Regis Angliae
 Apologia, cum monitoria Praefatione, Vestro Sacratissi-
 mo Nomini inscripta, & dedicata. In ea, duo potissimum
 persuadere conatur Rex. *Vnum*, vt abiurata Romani
 Pontificis autoritate, *Vos* ipsi in vestrīs Imperiis, re-
 gnis & prouinciis, Ecclesiæ Primum usurpetis. *Alte-*
Opusc. Tom. II. D d rum,

rum, ut deserta fide ac religione, in qua nati & educati estis, aliam, in qua ipse est, amplectamini. De prudenteria, qua id facit, non dispuo. De euentu certe, quem ipse sperat ausim polliceri, frustra illum laborare, *Vos ne ea ætate, consilio, constantia, Viros Principes*, tam facile permouendos, ut subito ad aliud vitæ ac sectæ institutū proruatis, verisimile sit? *Vos*, qui hactenus, Majorū vestrorum exemplo, Ecclesiæ Romanæ acerrimi Defensores, non sine immortali Nominis vestri gloria, fuistis; mox, vnius, Regis quidem, sed tamen hominis impulsu, mutata sententia eandem oppugnaturos sperare quis audeat? Absit. Nec mihi propositum est horari *Vos*, ut in fide & officio persistatis. Spōte vestra facturi id estis. Hoc tantum agam, ut omnes intelligent, recte, an secus de Primatu Ecclesiæ sentiat Serenissimus Rex. Quæso pro vestra Clementia, æqui bonique labore hunc meum consulite.

LECTORI.



Hristiane Lector, Serenissimus Angliae Rex (quod verè, sed verecundè dico) apertum indicit bellum Pontifici & Ecclesiæ. Ego, tametsi Regiae Maiestati impar (impar, inquam, dignitate, non causa) hanc iniuriam propulsatum eo. Non tamen mea sponte. Qui ausim, tam paruis viribus? Authoritate, exemplo, ratione impulsus sum, ut velim. Excitarunt me viri magni, & coram & per literas. Eorum hortatu rem tantam aggredi ausus sum. Nec sine exemplo. Olim contra Iulianum Imperatorem Greg. Nazianz. & Cyril. Alexandrinus; contra Constantium, Hilarius & Lucifer Calaritanus, magno Catholicorum bono se opposuerunt. Cur modo, in simili causa, contra Regem Iacobum, non liceat? Imo necesse est. Quid enim? Ecclesia, fidelium Mater, aperto Marte impetitur. Ho-

fis

stis potentissimus est. Reges & Principes in belli societate sollicitantur. Subditi perplexi sunt. Ingens omnino periculum est. Nos interea otiosi ac ignavi Spectatores ut simus? Dederus sit. Arma spiritualia corripienda sunt. Ecclesiæ succurrendum: Religio conseruanda. Atq; utinam multi sint, qui Zelo diuino excitati id faciant. Ego, quod potero, conferre paratus sum. Tu benebole Lector, bene ut interpretaris, velim.

S E R E N I S S I M I
I A C O B I A N G L I A E
R E G I S,

Apologiae, & monitoriae Praefationis ad Imperatorem, Reges & Principes,
REFUTATIO.

MULTA sunt in libro Serenissimi Regis' (siue ipse, siue aliis quis Author sit) quæ merito refutari possunt. Ego pauca ex iis seleniam; ac ea potissimum, quæ vel planè noua, vel certè non admodum protrita sunt. A reliquis, quæ sæpe in disceptationem venerunt, lubens abstinebo. Erunt autem duæ partes Refutationis: quarum priori discutienda hæc controuersia est; *An Rex Angliae in suo regno, iure usurpet sibi Primatum Ecclesiæ, necne?* Ipse affirmat. Ego contrarium ostendam. Vtar autem hac methodo.

1. *An Rex iure naturali habeat Primatum Ecclesiæ?*
2. *An iure diuino Veteris Testamenti?*
3. *An iure diuino Novi Testamenti.*
4. *An iure Civili vel Canonico.*
5. *An consensu doctorum hominum.*
6. *Antititulo prescriptionis.*

7. *An secundum principia sua doctrina*
8. *Si non habet Primum Ecclesiæ, quod ergo officium illius circa Ecclesiam sit.*

Posteriori parte refutationis, refellam breuiter aliquot Paradoxa, seu falsa dogmata, quæ pâssim repetio in libro Serenissimi Regis; & quatenus fortasse, à nemine ex professo refutata sunt, ac præsertim de his capitibus.

1. *De Vicario Christi.*
2. *De Vicario Dei.*
3. *De statu Henoch & Heliae.*
4. *Demorte Henoch & Heliae.*
5. *De duobus Testibus Apoc. 11.*
6. *De B. Virgine Maria.*
7. *De fundamento fidei.*
8. *De Concilio Generali conuocando.*

His duabus partibus, perficietur tota Refutatio; in qua, & breuitatem sectabòr, ne molestus sim; & modestiam, ne offendam. Cur autem nihil addam, vel de Antichristo, de quo tamen copiosè disputat Serenissimus Rex: vel de iuramento fidelitatis, propter quod omnis controversia nata est; nemo mirari debet. Vix dubito, quin Reuerendiss. & Illustriss. Cardinalis Bellarminus de hoc posteriori puncto aëturus sit: & quidem suo more, tam solidè ac netuose, ut nihil opus sit, alios in eodem argumento operâ ponere. Antichristū verò tripli de causa non attingo. Primo, quia iam ante de illo tractani in libello, qui inscribitur: *Disputatio de Antichristo reformato.* Secundo, quia in hoc genere nihil fere præter coniecturas à Rege: nihil præter mendacia, ab aliis adferri video. Tertio, quia ranta est inter ipsos dissensio, ut se potius cōficiant, quā nos. Hoc facile ostendam in solis Anglicanis scriptoribus. Gabriel Pouelus, Oxoniensis Baccalaureus in suo tractatu de Antichristo,

sto, sancte affirmat, hanc propositionem, *Papa est Antichristus*, esse articulum fidei. Verba eius sunt haec: *Deum sancte testor, me tam certo scire Pontificem Romanum esse magnū illum Antichristum, quam Deum ipsum esse in cælo Creatorem visibilium & inuisibilium, & Iesum Christū esse verum Messia.* At hoc negat Rex Anglie. Tametsi enim, non semel dicat, Papam esse Antichristum; non tamē vult adeo certum & exploratum id esse, ut pro articulo fidei habēdum sit, sed pro sola coniectura. Sic enim habet in monitoria Præfatione: *Sane, quod ad definitionē Antichristi, nolo rem tam obscuram & inuolutam tanquam omnibus Christianis ad credendum necessariam, urgere.* (Quod sine dubio faceret Baccalaureus, si Rex esset.) Et iterum *Id autem mihi maximè in votis est, ut si cui hæc meā de Antichristo coniecturam libebit refellere, singulis disputationis meā partibus ordine respondeat.* Coniecturam vocat: non articulum fidei. Nisi forte hæc duo in Anglia pro synonymis sint. Imò quod amplius est, ingenuè fatetur, se tanti facere Pontificē Romanum, ut ipsi potius, quam ulli alteri Episcopo daturus esset suffragiū, si de Primatu inter ipsos ageretur. *Quod si in eo, inquit, quæstio adhuc vertoretur, meo libens suffragio primum locū Episcopo Romano deferrem: Ego Occidentalis Rex, Occidentali Patriarchæ adhærerem.* Quomodo ergo potest illum agnoscere pro Antichristo? Iam Sacellanus Regis, non minùs honorifice de eo sentit. Nimirum, concedit illi potestatem excommunicandi Reges. *Aliud,* inquit, *est, priuare Regem bonis Ecclesiæ communibns, quod facit sententia, & potest forte Pontifex: aliud priuare bono proprio, id est, regno suo, quod nō facit sententia, nec potest Pontifex.* Aēdit quidem particulam, forte, sed inde satis colligitur, quod non credit esse articulum fidei, *Papam esse Antichristum.*

Propter has igitur causas, nihil de Antichristo, nihil

de iuramento fidelitatis tractare volui. Porro duas illas partes refutationis, quas paulo ante proposui, ea breuitate & modestia, qua potero, iam aggressurus sum: idque ad maiorem Dei gloriam, & Ecclesiæ Christi ædificationem.

Prima pars refutationis,

DE PRIMATV REGIS
ANGLIAE.

Serenissimus ac potentissimus Rex Angliae Iacobus in sua *Apologia pro iuramento fidelitatis*, & in *monitoria Praefatione Ad Imperatorem*, Reges & Principes, conatur ostendere se in Anglia, & vnumquemque Regem in suo Regno, esse caput seu Primatem Ecclesiæ. Episcopos & Pontificem, non modò in temporalibus, sed etiā in Ecclesiasticis rebus, inferiores esse Rege ac Principe sacerulari. Hunc Regis Primum cōfirmat Sacellanus ipsius in libro, qui inscribitur *Tortura Torti: Iure, an iniuria, deinceps inquirendum est.*

2. Sed ne confusio oriatur, status controvèrsiæ prius explicandus, & certa ab incertis secernenda sunt. Ac primò non disceptamus de primatu in temporalibus. Illam quisque Rex in suo regno legitimè habeat. De Primatu Ecclesiæ, seu de potestate Ecclesiastica totalis est. Solet autem distingui triplex potestas Ecclesiastica. Vna ordinis; altera iurisdictionis interioris, tertia iurisdictionis exterioris. Prima refertur ad Sacramenta conficienda & ministranda. Secunda ad regendum populum Christianum in foro conscientiæ. Tertia, ad eundem populum regendum in foro exteriori. Igitur ad potestatem ordinis spectat baptismum & sacros ordines conferre, Eucharistiam confidere &

mini

ministrare, Chrisma & oleum infirmorum benedicere. Ad potestatem iurisdictionis interioris, ius dicere in foro conscientiae, id est, absoluere vel ligare. Ad potestatem iurisdictionis exterioris, Synodum conuocare & in ea praesidere, constitutiones condere, causas audire & cognoscere, controuersias dirimere, beneficia conferre, ministros Ecclesiae constituere, delinquentes excommunicare. Vno verbo; omnium causarum & controuersiarum, quae ad fidem & religionem pertinent, Iudicem agere.

4. Quando ergo queritur, an Rex Angliae in suo regno habeat Primatum Ecclesiae, debet sic intelligi, an habeat triplicem illam potestatem excellentiori modo, quam Episcopi & Pontifex? Vel, quod idem est, an in triplici illa potestate, supra Episcopos & Pontificem collocandus sit.

4. Duo certa sunt; unum in controuersia. Primo, certum est, Regem non vindicare sibi potestatem ordinis; & multo minus in ea superiorem esse Episcopis & Pontifice. Non enim ordinatus & consecratus est ad Sacraenta conficienda & ministranda, ut per se constat. Nec in hoc genere supra Episcopos & Pontificem collocari vult. Nouit enim quid in simili causa dictum sit Oziæ Regi, 2. Paralip. 26. 18. *Non est tui officij Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, qui consecrati sunt ad huiusmodi ministerium.*

5. Secundò, æquè certum est, non habere potestatem iurisdictionis interioris, quæ in absoluendo & ligando consistit. Non enim Regibus, sed Apostolis & Sacerdotibus dictum est; *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remissa sunt eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.*

6. Tota ergo controuersia versatur circa potestatem iurisdictionis exterioris, an eam Rex habeat in

suo regno, & quidem supra Episcopos & Pontificem? id est, an Rex sit supremus Iudex Ecclesiasticus, qui sua auctoritate à nullo alio in terris dependente, possit conuocare Synodos, iis praesidere, controuerbias circa fidem & religionem dirimere, beneficia conferre, Episcopos constitutere & deponere, & similes actus religionis exercere? Hoc enim est, habere Primatum in Ecclesia, quoad gubernationem exteriorem. Ut autem distinctè examinetur hæc quæstio, hoc ordine procedendum est.

1. *An Rex iure naturali habeat Primatum Ecclesiæ?*
 2. *An iure diuino veteris Testamenti?*
 3. *An iure diuino noui Testamenti?*
 4. *An iure ciuili vel canonico?*
 5. *An consensu doctorum hominum?*
 6. *An titulo præscriptionis?*
 7. *An secundum principia suæ doctrinæ?*
 8. *Si Rex non habet Primatum Ecclesiæ, quodnam illius officium circa Ecclesiam sit?*
-

C A P V T . I.

An Rex iure naturali habeat Primatum Ecclesiæ?

- I. **N**E ipse quidem ausit hoc affirmare. Et ratio est neuidens. Nam status politicus seu ciuilis ex natura rei habet distinctum tribunal & iudicium: Ergo iure naturali necesse non est, ut qui praest vni, praesit etiam alteri. Ergo Rex ex eo præcisè, quia iurisdictionem habet in tribunali politico, non habet etiam ex natura rei in Ecclesiastico. Sicut vicissim, Episcopus, qui habet iurisdictionem in foro Ecclesiastico, non habet ex natura rei in temporali. Nihil certius. Ut tamen res melius

melius explicetur, adiungendæ sunt duæ cōclusiones.

2. *Prior conclusio.* In Republica Christiana, duplex est potestas publica. Vna temporalis seu politica; altera spiritualis, seu Ecclesiastica. Ratio est, quia duplex finis Christiano homini propositus est, ad quem debet pertingere. Vnus naturalis, qui est pax & tranquillitas Reipublicæ. Alter supernaturalis, qui est æterna beatitudo. Ad hos fines debet peruenire per diuersa media, quæ sint illis proportionata. Huiusmodi autem media inuenire & præscribere communitati, non est cuiusvis, sed eius, qui supra alios potestatem habet. Itaque duplex debet esse potestas publica: vna temporalis seu politica, quæ præscribat media necessaria ad finem naturalem; altera Ecclesiastica seu spiritualis, quæ præscribat media necessaria ad finem supernaturalem. Loquor autem de potestate publica, ut excludam priuatam, qualis est parentum in filios. Virorum in uxores, & Dominorum in seruos.

3. *Posterior conclusio.* Hæ duæ potestates publicæ in multis differunt, ut facile ex dictis colligi potest. Primò, ex parte finis & mediorum; quia politica respicit finem & media naturalia; Ecclesiastica vero supernaturalia. Secundò, ex parte causæ efficientis; quia politica potest alicui tribui, vel immediate à Deo, quo pacto tributa est Mosi, Iosue, Saüli, David: vel à communitate, quo pacto tribuitur Regi Poloniæ, qui eligitur à Senatu: vel iure successionis, quo pacto in Hispania, Gallia, Anglia, filij succedunt parentibus in regimine: vel iure belli, quo pacto Rex vnius regni, lacerfitus à Rege alterius regni, potest iusto bello se vindicare, & regnum illius inuadere. Secus est de potestate Ecclesiastica. Cum enim supernaturalis sit, non potest tribui, nisi à solo Deo, præsertim si sermo sit de suprema, de qua hic agimus. Tertiò, differunt ratione

dignitatis. Nam Ecclesiastica nobilior & excellentior est, quam politica. Vnde Innocentius 3. cap. Solitae, de Maioritate & obedientia, comparat has duas potestates duobus luminaribus firmamenti, Soli & Lunæ: Et dicit Ecclesiasticam esse luminare maius, quod præest diei spiritualium; politicam, luminare minus, quod præest nocti temporalium. Et hoc indicat Christus, cum ait: *Regnum meum non est de hoc mundo*, quasi dicat; Potestas seu iurisdictio temporalis est de hoc mundo: at spiritualis seu Ecclesiastica est de cælo. Ergo nobilior est. Et Chrysostomus homil. 5. de verbis Isaiæ: *Hoc regnum illo maius est, Regi ea, quæ hic sunt, commissa sunt; Sacerdoti cœlestia.*

4. Ex dictis duo colligimus. Vnum est, quod hæ duæ potestates ex natura rei distinctæ sint, & ab inuisi-
cem separari possint. Nulla enim potest esse naturalis connexio inter potestatem naturalem & supernaturalem. Vnde si homo creatus esset à Deo in statu puræ naturæ, & ad solum finem naturalem (quod fieri potuit) nulla fuisset potestas supernaturalis seu Ecclesiastica, qualis nunc est: ac proinde ciuilis seu politica fuisset re ipsa separata ab Ecclesiastica. Nunc etiam in statu gratiæ, in quo utraque potestas locum habet, una fuit in Christo sine alia. Nam Christus habuit Primum in Ecclesia, nō tamen in Republica ciuili & temporali, saltem quoad usum.

5. Alterum est, quod hæ duæ potestates, cum ex natura rei distinctæ & separatæ sint, non nisi iure diuino, vel humano coniungi possunt. Igitur deinceps inquirendum est, an Rex Angliæ, qui titulo successionis habet supremam potestatem politicam in suo regno, habeat simul coniunctam potestatem Ecclesiasticam aliquo iure posituo, siue diuino, siue humano.

C A P. I I.

*An Rex habeat primatum Ecclesiæ iure diuino
Veteris Testamenti?*

1. **H**oc ipse omnino videtur velle. Sic enim habet Hin sua Apologia, pag. 155. Sub veteri testamēto Reges haud dubio gubernatores erant Ecclesiæ intra fines suos: corruptelas purgauere: abusus sustulere: arcam ad constitutum quietis locum perduxere: arca deportanda ipsi præstauere: Templum edificauere: edificatum dedicare: & sua præsentia opus consecrationis cohonestarunt: librum legis te-nebris erutum populo recitari fecerunt: fœdus inter Deum populumque redintegrarunt: confregere serpentem æneum, quamuis & diserto Dei mandato erectum, & Christum Dominum suo modo figurantem: idola omnia, Deosq; falsos exterminauerent: reformationes publicas instituere, conuocatis eo fine & congregatis promiscuè sacerdotibus & laicis: exau-
ctorauerunt summum Pontificem, aliumque in eius locum subrogauerunt. In summa, cuncta moderati sunt, quæ ad Ecclesiasticum regimen quoquo modo pertinuerunt. Nec verò tituli, & nota, quibus insigniuntur honorarie, ab his eorum actionibus discordant. Vocantur enim filij Altissimi, imo Dij, & Vncti Domini, in Dei solio sedentes. Famuli Dei, imo Angeli Dei, facti iuxta cor Dei. Lumina Israëlis, Nutricij Ecclesiæ. Hucusque Rex.

2. Ex quibus verbis cōstrui potest hoc argumētū, Reges veteris Testamēti, iure diuino habebāt Primum Ecclesiæ: ergo & Reges noui Testamenti. Vel sic potius; Reges veteris Testamēti, iure diuino habebant Primum Ecclesiæ: at hoc ius non est abrogatum, sed adhuc manet. Ergo eodē iure gaudet Reges noui Testamenti. At duplex peccatum in hoc syllogismo committitur. Nam & maior, & minor propositio falsa est.

Nega

Negamus, in veteri Testamento fuisse ius diuinum de Primatu Regis in Ecclesia. Et, si fuisset, negamus adhuc durare, & non abrogatum esse. Vtrumque breuiter explicandum est per sequentes conclusiones.

3. *Prima Conclusio.* Ius diuinum veteris Testamenti continetur lege Mosaica. Sunt autem triplicia praecepta legis Mosaicæ, moralia, ceremonialia, iudicialia; ut docet D. Thom. in 1.2.q.99.art.2.& sequentib. Et colligitur ex illo Deut.5.31. *Loquar tibi omnia mādata mea & ceremonias, atque iudicia.* Et Deuter.6.1. *Hæc sunt præcepta, & ceremoniae, atque iudicia, quæ mandauit Dominus Deus vester, ut docerem vos.* Et Rom.7.12. *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum.* Vbi Apostolus mādatum legis vocat sanctum, propter ceremonialia: iustum, propter iudicialia: bonum, propter moralia, ut explicat D. Thom. loco citato, art.4. Ratio huius conclusionis est, quia omnis Respublica bene instituta, continent tria præceptorum genera: quorum alia ad priuatos singulorum ciuium mores; alia ad publicam religionem, & cultum Dei; alia ad communem politiam & temporalem gubernationem pertinent.

4. *Secunda conclusio.* Præcepta moralia summatim continentur in decem præceptis Decalogi, ut docet D. Thom. in 1.2.q.100.art.3. Et quidem tria priora respiciunt cultum diuinum; reliqua, iustitiam cum proximo seruandā. Deus enim colitur tribus modis. 1. per fidelitatem, adhærendo soli vero Deo, & non habendo Deos alienos. 2. per reuerentiam, non assumendo nomen Dei in vanum. 3. per famulatum, colendo sabbathum. Et ita constituuntur tria prima præcepta Decalogi. Cum proximo autem seruatur iustitia, si & parentes honoremus, & alios non lèdamus, neque ore, neque opere, neque corde. Et hæc est summa reliquorum præceptorum Decalogi. Dices in Decalogo habetur

habetur præceptum de sabbatho sanctificando, quod non est morale, sed ceremoniale. *Respondeo.* Est morale, quoad substantiam; ceremoniale, quoad determinationem certi temporis. Nam ratio naturalis dicit, Deo deberi aliquem famulatum, cum ipse sit Dominus omnium. Quando autem præstandus sit illi famulatus, pendet ex libera ipsius determinatione.

5. *Tertia Conclusio.* Præcepta ceremonialia, quæ prescribunt certas ceremonias pertinentes ad religionē, nihil aliud sunt, quam quædam determinations eorum præceptorum Decalogi, quæ ad diuinum cultum referuntur, ut docet D. Thomas q. 101. art. 1. Vnde sequitur, tot esse genera præceptorum ceremonialium, quot sunt genera eorum, quæ ad cultum diuinum pertinent. Hæc autem sunt quatuor. 1. sacrificia, ut holocaustum, hostia pacifica, & hostia pro peccato. 2. sacramenta, partim communia omnibus, ut Circumcisio, Eius Agni paschalis, purifications à quibusdam, exterioribus immunditijs, expiationes à peccatis; partim propria Sacerdotibus, ut consecratio Sacerdotum; Eius panum propositionis & aliorum, quæ erant vībus Sacerdotum deputata, ablutio manuum ac pedum & raso pilorum.

3. Instrumenta diuini cultus, ut Tabernaculum, Templum, arca fœderis, propitiatorium, cādelabrum, mensa, duplex altare, vas, vestes sacerdotales, & similia. 4. obseruantiae legales, quibus ex decreto Dei, populus Iudæorum discernebatur ab alijs gentibus, ut certus vīsus ciborum & vestium, ac solennitates festorum. Circa hæc quatuor rerum genera versantur præcepta ceremonialia.

6. *Quarta Conclusio.* Præcepta iudicialia, quæ prescribunt certam formam conseruandi iustitiam inter homines, nihil aliud sunt, quam determinationes quædam

dam eorum præceptorum Decalogi, quæ ad iustitiam & politiam humanam conseruandam spectant, ut docet D. Thomas, q. 104 art. 1. Vnde etiam sequitur, tot esse genera præceptorum iudicialium, quot sunt genera hominum, inter quos iustitia seruari debet. Ea autem sunt quadruplicia. Nam quædam prescribunt certum ordinem iustitiae inter Principem & populum: quædam inter ipsos populares inter se: quædam inter populum & extraneos. quædam denique inter domesticos eiusdem familiæ, ut inter parentes & filios; inter maritum & uxorem; inter seruum & Dominum verbi gratia. Pro Principe dantur præcepta, quomodo creatus sit, & se gerere debeat in officio. Pro popularibus, præcepta emptionis, venditionis, & aliorum contratu. Circa extraneos, de bello gerendo, de susceptione peregrinorum & aduenarum. Denique circa domesticos, de seruis, de uxoribus, de filijs.

7. *Quinta Conclusio.* Inter hæc triplicia præcepta, triplex potissimum discrimen est. Primum, quod moralia per se contineantur in Decalogo: reliqua extra Decalogum. Alterum, quod moralia sint iuris naturalis; reliqua positivi. Tertium, quod moralia non sint abrogata a Christo, sed melius explicata, Mat. 5. At reliqua abrogata sunt, iuxta illud Lucæ 16.16. *Lex & prophetæ usque ad Ioannē.* Et ad Galatas. 3.24. *Lex pedagogus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificemur: at ubi venit fides, iam non sumus sub padagogo.* Et Hebr. 7.12. *Translato sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat.* Et infra v. 18. *Reprobatio fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Et ratio est, quia lex Mosaica fuit umbra legis Evangelicæ, teste Apostolo, Coloss. 2.16. & Hebr. 10.1. At umbra cessat, accidente lumine: Ergo veniente lege Evangelica, necesse fuit abrogari Mosaicam.

8. Ex dictis sic concludo; Si Rex Angliae, iure diuino Veteris Testamenti habet Primum Ecclesiæ; vel illud ius diuinum continetur in lege morali, vel in ceremoniali, vel in iudicali. Certum est non contineri in morali. Nam moralis lex generatim comprehenditur decem præceptis Decalogi, ut dictum est. At in ratio Decalogo nulla sit mentio Primatus Regis in Ecclesia. Ergo ius diuinum de primatu Ecclesiæ non potest fundari in lege morali. Sed neque in ceremoniali vel iudicali fundari potest, duplii de causa. Primo, quia utraque lex per Christum abrogata est: Ergo tametsi Reges in Veteri Testamento, iure diuino habuissent Primum Ecclesiæ; non tamen sequeretur, Reges in Nouo Testamento gaudere eodem iure, cum iam penitus abrogatum sit. Et hoc patet in similibus exemplis. Nam in Veteri Testamento iure diuino statutum erat, ut esset unum templum, in quo omnes adorarentur; ut omnes sacerdotes & ministri Ecclesiæ assumerentur ex sola tribu Leui, ut eorum sacrificia essent cruenta ex animalibus, ut iudices & Reges eligerentur a Deo, non a populo. At haec omnia iam abrogata sunt. Ergo quæ iure diuino statuta erant in Veteri Testamento, non amplius eodem iure debent censeri statuta in Nouo Testamento. Vnde sicut haec consequentia non valet; *Omnis minister Ecclesiæ erant olim in eadem tribu: Ergo et nunc ita fieri debet.* Sic neque valet ista; *Omnis Rex habebant olim primatum Ecclesiæ: Ergo etiam nunc habent.*

9. Addo, numquam in Veteri Testamento, diuino iure concessum fuisse Regibus primatum Ecclesiæ. Hoc si probauerero, corruit totum fundamentum Regalis Hierarchiæ. Probo autem efficaciter tribus rationibus. Prima est, quia totum Ius, quod Deus disposuit circa Reges Veteris Testamenti, habetur Deuteronomio 17.14. his verbis; *Cum ingressus fueris terram, quam Dominus*

Deus

Deus tuus dabit tibi, & possederis eam & dixeris, Constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus. Cumq[ue] fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero subleuatus, praesertim cum Dominus præceperit vobis, ut nequaquam amplius per eandem viam reuertamini. Non habebit uxores plurimas quæ allicitant animum eius, neq[ue] argenti & auri immensa pondera. Postquam autem sederit in solio regni sui describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vita sue, ut discat timere Dominū Deum suum, & custodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt. Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistrā, ut longo tempore regnet ipse & filius eius super Israël. Habes hic totam dispositionem iuris diuini circa Reges Veteris Testamenti. Atqui nulla fit mentio Primatus Ecclesiæ. Solùm explicantur hæ paucæ conditiones. Prima, vt Rex eligatur à Deo. Secunda, vt ex populo Iudæorum, non ex gentibus assumatur. Tertia, vt non multiplicet equos, nec reducat populum in Ægyptū. Quarta, vt non habeat plurimas uxores, praesertim alienigenas, quæ allicitant illum ad idololatriam, sicut accidit Salomoni. Quinta, vt non colligat immensas diuitias, quia ex illarum cupiditate solent reges ad tyrannidem declinare, & iustitiam derelinquere. Sexta, vt à sacerdotibus accipiat præcepta legis Mosaicæ; ea que describat, & diligenter obseruet. Cur autem à Sacerdotibus? quia illorum est iudicare, quæ circa legem & religionem sunt. Septima, vt moderatè se gerat erga alios, & non eleuetur cor eius in superbiam super fratres

tres suos. Multo minus supra sacerdotes, Episcopos, & Pontifices. Octaua, ut secessetur iustitiam, & non declinet ad dextram vel sinistram, quod solet euenire vel ex fauore & acceptione personarum, vel ex spe lucri, & utilitatis, vel ex odio seu alia peruersa affectione.

10. Ex his omnibus ita concludo; Quidquid de Regis electione, officio, & potestate statutum est iure diuino Veteris Testamenti, hoc continetur in supradictis conditionibus. Atqui in illis nihil habetur de Primatu Regis in rebus Ecclesiasticis: Ergo primatus Regis in rebus Ecclesiasticis non est de iure diuino veteris Testamenti.

11. Loquor autem de iure diuino, quia constat in Veteri Testamento fuisse duplex ius Regium: Alterum diuinum, quod iam explicatum est, & de quo solo hic agimus: alterum usurpatum seu tyrannicum, quod describitur i. Reg. 8. 10. his verbis; *Dixit itaq^z Samuel omnia verba Domini ad populū, qui petierat à se Regē, & ait, hoc erit ius Regis qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, faciet q^z, sibi equites & precursores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos & centuriones & aratores agrorum suorum, & messores segatum, & fabros armorū & curruum suorum. Filias quoq^z vestras faciet sibi unguentarias, & focarias & panificas. Agros quoque vestros, & vineas & oliueta optima tollet & dabit seruis suis. Sed & segetes vestras & vinearum redditus addecimabit, ut det Eunuchis & famulis suis. Seruos etiam vestros & ancillas & iuuenes optimos & asinos auferet, & ponet in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit, vosq^z eritis ei serui. Et clamabit is in die illa à facie Regis vestri, quē elegistis vobis: & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis Regem.* His, inquam, verbis non describitur ius Regis, quod à Deo concessum est, sed quod à tyrannis solet usurpari, ut recte docet diuus Thomas in 2.

q.105.art.1.ad 5.&c fatetur Calvinus lib.4.instit.cap.vl-timo,§.26. Et de hoc iure loquitur Christus Matt. 20. 25.& Luc. 22. 25. *Reges gentium dominantur eorum; vos autem non sic.*

12. Hinc etiam patet, quare Samuel aegrè tulerit, quod Iudei petuerint sibi Regem dari; quia nimis petebant Regem, qui more gentilium, non qui iure diuino, eos gubernaret, ut aperte colligitur ex illo 1. Regum 8.4. *Congregati ergo vniuersi maiores natu Israël, venerunt ad Samuelem in Ramatha. Dixerunt q[ui] ei: Ecce, tu senuisti, & filij tui non ambulant in viis tuis: constitue nobis Regem, ut iudicet nos, sicut & vniuersae habent nationes &c.* Hactenus prima ratio,

13. Secunda est; ipsi met Reges Veteris Testamenti ingenuè fassi sunt, se non habere primum Ecclesiæ sed sacerdotes: Ergo manifestum est, non ipsos sed sacerdotes habuisse. Antecedens patet, quia Iosaphat Rex, qui sanè fuit optimus, & officij sui minimè ignarus, de Regis & sacerdotis potestate sic ait. 2. Paralip. 19.11. *Amarias Sacerdos, & Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinēt, præsidebit: Porro Zabadias filius Ismael, qui est Dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent. Quid clarius?* Hæc duo hic opponuntur: Præsidere his, quæ ad Deum pertinent; Et præsidere his, quæ ad officium Regis pertinent. Illud prius conuenit Sacerdoti seu Pontifici hoc posterius, Vicario Regis. Atqui primum habere in Ecclesia, est vnu ex iis, quæ ad Deum pertinent: Ergo conuenit Pontifici, non Regi, aut Vicario Regis.

14. Tertia ratio. Ille censetur habere primum Ecclesiæ à Deo, qui in rebus ad legem diuinam & eius interpretationem pertinentibus constitutus est supremus Iudex, cui oporteat obedire, ut supra explicatum est: Atqui non Rex, sed sacerdos constitutus est talis Iudex à Deo:

à Deo : Ergo non Rex, sed Sacerdos habet Primum Ecclesiæ à Deo. Minor patet ex illo Deuteronomio. 17. 8. Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter causam & causam; Et iudicium intra portas tuas videris verba variari: surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad indicem, qui fuerit illo tempore, quæresq; ab eis qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius; sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dextram; neque ad sinistram. Qui autem superbiebit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, decreto Iudicis, morietur homo ille. Hic tria notanda sunt .Primum; quod sermo sit de controversiis legalibus, quæ difficultatem habent, & in utramque partem ab inferioribus iudicibus trahuntur. Alterum , quod huiusmodi controversiæ non ad Regem, sed ad summum sacerdotem, tanquam ad legitimum iudicem deferenda sint. Tertium quod sub pena mortis oporteat acquiescere sententiæ sacerdotis. At si Rex esset supra sacerdotem à Deo constitutus, nō opus esset stare iudicio Sacerdotis, sed liceret ad Regem tanquam ad superiorum iudicem prouocare. At hoc non licet. Non ergo Rex, sed Sacerdos est supremus iudex controversiarum legalium à Deo constitutus.

15. Huc spectat illud Aggæi 2. 12. *Hæc dicit Dominus; Interroga Sacerdotem legem. Non Regem. Et Malach. 2. 7. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam; & legem requirunt ex ore eius. Non ex ore Regis, sed Sacerdotis. Et quare? Causa mox additur, quia Angelus Domini exercituum est. quasi dicat, Sacerdos est nuncius seu interpres diuinæ voluntatis. Igitur à Sacerdote petendum est, quid Deus fieri à nobis, vel circa nos velit. Quod clarius explicatur Numer. 27. 21. Pro Iosue, si quid*

agendum erit, Eleazar Sacerdos consulat Dominum. Ad verbum eius egredietur & ingredietur ipse, & omnes filii Israël cū eo, & cetera multitudo. Eodem pertinet illud Leuit. 10. 8. Dixit quoque Dominus ad Aaron: Vinum, & omne, quod inebriare potest, nō bibetis tu, & filii tui, quando intratis in tabernaculum testimonij: ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum: doceatisq; filios Israel omnia legitima mea. Hic vides, non Regum, sed Sacerdotum esse discernere inter sanctum & prophanum, & legem Dei docere ac interpretari. Vnde sicut Azarias pontifex ad Oziam Regem dixit 2. Paral. 26. 18. Nō est tui officij Ozia, ut adoleas incēsum Domino, sed sacerdotū, qui consecrati sunt ad huiuscmodi ministerium: sic etiam potuisse dicere; Nō est tui officij Ozia, ut discernas inter sanctum & prophanū, sed sacerdotum, qui ad hoc ministerium à Deo constituti sunt. Et consequenter, Non est tui officij Rex, ut gubernes Ecclesiam, sed sacerdotum, quibus iure diuino id commissum est. Rursus sicut Ozias Rex, contra imperium Pontificis volens adolere incensum, lepra percussus est, sic etiam, qui vellet sibi arrogare primatum Ecclesiae, eadem pœna haud indignus esset.

16. Ostendi haec tenus, Regem Angliae nihil praesidijs pro suo Primatu stabiliendo habere posse ex Veteri Testamento, duplii de causa. Primo, quia Reges in Veteri Testamento non habuerunt primatum Ecclesiae iure diuino, sed sacerdotes, ut tribus rationibus iam probatum est. Secundo etiamsi habuissent, non tamen sequeretur, etiam Christianos Reges habere, cum ius Veteris Testamenti abrogatum sit. Contra hanc posteriorem partem nihil opponit Rex Angliae. Contra priorem vero multa obiicit, non ex iure, sed ex facto petita, ut supra vidimus, quæ sigillatim discutienda sunt.

I. Obiectio, ex facto Regis Iosaphat.

17. **R**ad formam syllogisticam, ut facilius earum vis appareat. Prima est hæc: Quicunque constituit Leuitas & Sacerdotes in aliqua ciuitate, habet Primum Ecclesiæ; Atqui Rex Iosaphat constituit Leuitas & Sacerdotes in Ierusalem: Ergo habuit Primum Ecclesiæ. Minor patet ex illa 2. Paralip. 19. 8. In Ierusalem quoque constituit Iosaphat Leuitas & Sacerdotes, & Principes familiarum, &c.

18. Respondeo. Si textus integrè citaretur, multo fortius argumentum fieret contra Regem, quam pro Rege. Textus enim sic habet; In Ierusalem quoque constituit Iosaphat Leuitas, & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Israël, ut indicium & causam domini iudicarent habitatoribus eius. Praecepitque eis dicens. Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in urbibus suis, ostendite eis, ut non peccent in Dominum. Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit. Porro Zabadius filius Ismaël, qui est Dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent. In quo textu tria notanda sunt. Primo, quod Iosaphat Rex, non solum Leuitas & Sacerdotes, sed etiam Principes familiarum constituerit in Ierusalem. Secundo, quod illos omnes in eū finem constituerit, ut essent Iudices controversiarum, quæ in populo oriri solent. Tertio, quod in controversiis Ecclesiasticis, quæ ad Deum pertinent, Sacerdotes constituti sint Iudices; in ciuilibus vero, quæ ad officium Regis spectant, Principes familiarū. Hinc sumo tale argumentum contra Regem Angliae; Sacerdotes iure diuino constituti sunt supremi Iudices om-

nium controversiarum, quæ ad Deum & Religionem pertinent : Ergo sacerdotes iure diuino tenent primatum Ecclesiæ: Item; Ea, quæ ad Deum pertinent, distincta sunt ab iis, quæ pertinent ad officium Regis : Ergo Rex ex officio suo, non potest immiscere se iis, quæ ad Deum pertinent: Ergo non tenet primatum Ecclesiæ.

18. Argumentum contrarium facile soluitur. Non enim Iosaphat Rex constituit, id est, creauit & consecravit Sacerdotes, quia hoc ad officium eius non pertinebat ; sed ex iis qui iam antea creati & consecrati erant, certos delegit, qui Iudicium Domini exercecerent in Ierusalé; sicut etiam certos delegerat , qui in aliis ciuitatibus populum docerent, ut habetur 2. Paral. 17.7. Vbi notandum est , tria spectari posse in ministris Ecclesiæ Veteris Testamenti. 1. Electionem seu designationem personæ. 2. Consecrationem. 3. Applicationem ad certum usum seu exercitium. Electio seu designationem non fiebat à Rege , sed à Deo, qui solam tribū Leui ad ministerium sacrum deputauerat. Consecratio vero commissa erat Aaroni, tanquam summo sacerdoti, & eius successoribus. Applicatio vero ad certum officium poterat fieri à Rege; sicut etiam nunc fieri potest. Quo pacto Rex Angliæ diceretur in suo regno constituere Jesuitas & sacerdotes , si ex iis iam antea ordinatis & consecratis quosdam aliunde enocaret , quorum alij conciones ad populum haberent, alij confessiones exciperent, alij aliis ministeriis deputarentur. Et hoc passim apud Catholicos in usu est. Nemo tamen propterea censet eos Principes , qui hoc modo Jesuitas ad se vocant, Primatum Ecclesiæ tenere.

*I I. Obiectio, ex facto Dauidis &
aliorum Regum.*

20. **S**ecunda obiectio est hæc; Qui tollunt abusus & corruptelas Ecclesiasticas, habént Primum in Ecclesia: Reges veteris Testamenti sustulerunt abusus & corruptelas Ecclesiasticas: Ergo habuerunt Primum in Ecclesia. Minorem probat Sacellanus Angliæ dupliciter. Primò ex illis verbis 2. Reg 5.6. *Et abiit Rex & omnes viri, qui erant cum eo, in Ierusalem, ad Iebusum habitatorem terræ, dictumque est David ab eis: Non ingredieris huc, nisi abstuleris cacos & cludos dicentes: Non ingredietur David huc.* Ex quibus verbis sic argumentatur; Ad Regem Dauidem spectabat, de templo cæcum & claudum tollere: Ergo ad eum spectabat, omnes abusus tollere. *Non enim abusus aliunde existunt, quam vel de incuria, quod in officio claudicent, vel de inscitia, quod cæci sint homines.* Secundò probat exemplo aliorum Regum, qui in Scriptura reprehenduntur; quod excelsa non sustulerint. At non reprehenderentur, nisi ad eorum officium pertineret, excelsa tollere. *Quid autem aliud est tollere excelsa, quam tollere abusus & corruptelas?*

21. Respondeo, generatiū cum distinctione. Nam aliud est, iudicare seu decernere, quæ nam sint corruptelæ & abusus in religione: aliud verò, corruptelas & abusus quādo certò constat tales esse, tollere & exterminare. Prius pertinet ad officiū summi Sacerdotis, ut supra dictum est. Posterius non modo Regi, sed etiam cuiilibet patrifamilias concessum est. *Quilibet enim in sua domo potest ea emendare, quæ certò constat per abusum irreplisse;* Vtrumque ostendo exemplis noui Testamēti. Inter Christianos quæri solet, an sit abusus

seu corruptela, habere & colere imagines, inuocare sanctos, pro defunctis orare, plura possidere beneficia Ecclesiastica, voto castitatis se obstringere, certis diebus à carnibus abstinere? de his iudicare, non pertinet ad Principes sacerulares, sed ad Prælatos Ecclesiae. At postquam res iudicata est, quilibet Rex in suo regno, quilibet magistratus in sua ciuitate, quilibet paterfamilias in sua domo, potest executionem præstare. Idem factum est in veteri Testamento. Deus sæpe per prophetas ostendit, displicere sibi, quod populus aduleret in excelsis. Itaque diuinitus constabat, abusum seu corruptelam esse. Rex in suo regno poterat tollere hunc abusum. Imò tenebarur. Nec ideo tamen Primatum habebat in Ecclesia. Non magis, quā si Deus per Prophetas ostenderet, connubia fidelium cum gentibus fibi displicere: & quisque paterfamilias in sua domo, si quid in hoc genere peccatum esset, in posterum emendaret. An ideo Primatum teneret in rebus ad religionem pertinentibus? Nequaquam: Sed executor esset voluntatis diuinæ. Cur autem potius Reges, quam Sacerdotes in veteri Testamento reprehensi sunt, quod excelsa non tollerent: ideo factum est, quia populus Iudeorum, propter duritatem cordis, nō curabat exhortationes & monita Sacerdotum ac Prophetarū: nec aliter, quam vi & authoritate Regis, ab errore sinebant se reuocati. Itaque si Rex in hac re negligētior esset, merito à Deo reprehendebatur. Hoc generatim.

22. Duo in particulari explicanda sunt. Alterum de abusu adulendi & sacrificandi in excelsis. Alterum, de cæcis & claudis eiiciendis. Quod ad prius attinet, tria certa sunt. Primum est, quod ab egressu filiorum Israël ex Ægypto, fuerint 480. anni, antequam templum à Salomone ædificaretur, ut patet ex illo 3. Regum 6.1. Factum est ergo quadringentesimo & 80. anno
egressio

egressionis filiorum Israël de terra Ægypti, edificari cœpit domus Domino. Secundum est, quod toto illo tempore, secundum legem ordinariam, iussi sint Israëlitæ offerre sacrificia in eo loco, in quo esset tabernaculum fœderis cum Arca, ut habetur Leuit. 17. 4. Porro tabernaculum cum Arca non semper mansit eodem loco. Nam primis 40. annis fuit cum populo in deserto. Postea cum terram promissionis ingressi essent, & eam pacificè possiderent, positum fuit in Silo, ita illud Ios. 8. 1. Congregatique sunt omnes filij Israël in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonij, & fuit eis terra subiecta. Inde separatim Arca, separatim tabernaculum, in diuersa loca translata sunt. Arca quidem in eum locū, in quo Israëlitæ bello victi sunt à Philistinis, ultimo anno Heli Sacerdotis, 1. Reg. 4. 3. Tunc enim & capta est à Phil. 1. Reg. 4. 11. & asportata in Azotum, 1. Reg. 5. 1. Et mansit in eorum regione 7. mensibus 1. Reg. 6. 1. Deinde remissa est ab illis in urbē Betsames 1. Reg. 6. 12. Postea in Cariathiarim, 1. Reg. 7. 1. Ibique mansit, donec Dauid confirmato iam regno super Iudam & Israël, reduxit eam ex Cariathiarim, 1. Paral. 13. 6. mansitque in domo Obededom Gethæi tribus mēsibus, 1. Paral. 15. 25. Tabernaculum autem ex Silo (licet de tempore non satis constet) translatum fuit in Nobe ciuitatem Sacerdotum, ubi erat, cum Dauid fugiebat Saülem 1. Reg. 21. 1. Inde venit in Gabaon, urbē Tribus Benjamin, 1. Paral. 21. 29. Ibi autem mansit, donec cum Arca illatum est à Salomone in Templum, 1. Reg. 8. 4.

23. Tertium est, quod ab eo tempore, quo perfectū fuit Templū Salomonis, non alibi, quam in illo Templo licuerit offerre sacrificia, secundum legem ordinariam, ut patet ex illo Deut. 12. 13. *Cane ne offeras holocausta tua in omni loco, quæ videris; sed in eo, quem elegerit Dominus.* Et cap. 26. 1. *Cumq[ue] intraueris terrā, quam Do-*

minus Deus tuus tibi daturus est possidenda, tolles de cunctis frugibus tuis primitias, pergesque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi inuocetur nomen eius, accedesque ad Sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, &c. Dixi secundum legem ordinariam, quia tam ante, quam post Templi ædificationem, licebat ex speciali Dei dispensatione, etiam alibi, quam in Tabernaculo vel Templo, sacrificare. Hoc modo Samuel immolauit in Ramatha & in Galgalis 1. Reg. 7.17. & c. 11.14. Dauid in area Ornata Iesuæi, 1. Par. 21.26. Elias in monte Carmeli, 3. Reg. 18.19.

24. Ex his omnibus sequitur, nunquam licuisse, secundum legem ordinariam, immolare vel adolere in Excelsis, ubi non esset Tabernaculum: Et hunc fuisse abusum, quem Deus reprehendit saepè in scripturis, ut 3. Reg. 3.3. Dilexit Salomon Dominum ambulans in praceptis Dauid patris sui, excepto quod in Excelsis immolabat, & accendebat thymiana. Et 3. Reg. 22.43. Fecitque Iosaphat, quod relictum erat in conspectu Domini. Verumtamen excelsa non abstulit. Adhuc enim populus sacrificabat & adolebat incensum in excelsis. Loquor autem de Excelsis, ubi non esset Tabernaculum, quia in excelso Gabaon, ubi erat Tabernaculum licebat immolare, 1. Regum 3.4. Abiit Salomon in Gabaon, ut immolaret ibi: illud quippe erat Excelsum maximum, id est, præferebat omnibus Excelsis, quod in eo esset Tabernaculum à Mose factum, ut patet 1. Paral. 21.29. Tabernaculum autem Domini, quod fecerat Moses in deserto, & altare holocaustorum, ea tempestate erat in excelso Gabaon. Et 2. Paral. 1.3. Et abiit cum uniuersa multitudine in excelsum Gabaon, ubi erat Tabernaculum fœderis Domini, quod fecit Moses famulus Dei in solitudine. Vbi obiter notandum est, fuisse duo Tabernacula. Vnum à Mose factū, de quo haetenus dixi. Alterum à Dauide, quod ipse tetendit in Ierusalem, quando eo deduxit Arcam fœderis, de quo 2. Paral.

2. Paral. i. 4. Arcam autem Dei adduxerat David de Cariathiarim in locum, quem preparauerat ei, & ubi fixerat illi Tabernaculum, hoc est, in Ierusalem. Et 3. Reg. i. 50. Adonias autem timens Salomonem surrexit, & abiit, tenuitque cornu altaris. Et cap. 2. 28. Fugit ergo Ioab in Tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris. Hæc non possunt intelligi de Tabernaculo à Mose facto, quia illud eo tempore erat in Gabaon, ut supra dictum est. Debet ergo intelligi de Tabernaculo à Davide facto, quod erat in Ierusalem. Vide Abulensem lib. 3. Reg. cap. i. quæst. 41.

25. Hactenus de abusu adulandi in Excelsis. Quod ad factum Davidis attinet, qui dicitur cæcos & claudos eieisse, parum, vel nihil ad rem facit. Historia sic habet. Intellexerat David diuino instinctu, ut ex Psalmis colligitur, Ierusalem fore Templi ac regni Iudeorum sedem, ac proinde cum exercitu eò profectus est, & à Iebusæis, qui eam colebant, dditionem illius postulauit. At illi responderunt; Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos, dicentes. Non ingredieris David huc. Porro quid cæcorum & claudorum nomine intelligendum sit, variæ sunt authorum interpretationes. Nam aliqui putant; fuisse tantum statuas, seu imagines; alij veros homines. Statuas quidem tripliciter. Primo, ut per eas super muros positas significati fuerint homines otiosi, quasi dicat; Etiā nobis nihil agentibus, intrare nō poteris, tam scilicet munita vrbis nostra est. Secundo, ut per eas significata fuerint ædium fastigia, quibus illæ affixæ essent, quasi dicat; Nisi transiens ædium nostrarum fastigiis, nō ingredieris. Tertio, ut fuerint duæ imagines, quarum altera repræsentauerit Isaac cæcutientem, altera Iacob claudicantem. Et hæc duæ præterea fuerint ad muros, seu portas ciuitatis affixæ, ut significarent, Iudeis non licere bello infesta

infestare Iebusæos, eo quod parentes eorum, Isaac & Jacob, percussissent olim fœdus pacis cum Rege Abimelech, cuius posteri erant Iebusæi; interposito etiam iuramento, quod in ore illarum imaginum descriptum erat. Hęc Rabinorum sententia est, sed falsa. Primo, quia si illud fœdus cum Rege Abimelech non est initum à Jacob, seu ab Abrahā, vt habetur Genes. 21.

22. Eodem tempore dixit Abimelech ad Abraham: Deus tecum est in uniuersis quae agis. Iura ergo per Deum, ne noceas mihi & posteris meis. Dixitque Abraham, Ego iurabo. Et infra. Percusseruntque ambo fœdus. Secundò, quia si Iebusæi voluissent pacare animum Dauidis, & militum eius, per aspectum seu memoriam Isaac & Jacob, non debuissent eos in forma cœci & claudi (quæ potius ad contemptum & derisum spectabat) sed in alia decentiori & augustiori repræsentare. Tertiò, quia illa verba, quæ sequuntur, in textu, cœcos & cludos, odientes animam Dauid; nullo modo possunt accommodari Isaac & Jacob; neque præ se ferunt desiderium pacis, sed odij potius ac contentionis.

26. Alij ergo rectius sentiunt, fuisse veros homines: quod etiam tripliciter intelligi potest. Primo, quod fuerint ipsi met Iebusæi, qui dixerint Dauidi; Nisi abstuleris cœcos & cludos: id est, nisi nos abstuleris, quos tu conuitio militari cœcos & cludos appellasti, non ingredieris huc. Secundò, quod fuerint cœci & claudi, non corpore, sed animo, id est, peccatores & flagitiosi. Tertiò, quod fuerint verè cœci & claudi, quos in contemptum Dauidis posuerint Iebusæi in mœnibus, quasi dicat. Nostra ciuitas tam firma & munita est, vt non egeat alijs defensoribus, quā his cœcis & claudis, qui sufficienter potuerunt eam contra tuum exercitū tueri ac propugnare. Hęc est vera explicatio huius loci, quā sequitur Joseph. lib. 7. cap. 2. Theodoreetus quæst. 16.

17. *Glossa interlinearis Abulensi. quæst. 7. & plures alijs.*
Simile quid legimus contigisse in urbe Tyro, quæ cum
esset fortissima, ciues in contemptum obsidentium,
posuerunt Pygmæos in mœnibus, quasi illi abundè
sufficerent ad eius defensionem, nec indigerent alio
propugnatore. De his loquitur Ezechiel Propheta,
cap. 27. 11. *Sed & Pygmæi, qui erant in turribus tuis*
(ô Tyre) *pharetras suas suspenderunt in muris tuis per*
gyrum, &c.

27. Ex hac autem expositione, quæ sine dubio
literalis & germana est, non potest colligi, Dauidem
auferendo cœcos & claudos, voluisse ostendere, quod
abusus & corruptelas Ecclesiæ esset ablaturus, ut singit
Sacellanus Regis Angliae. Credo, ne quidem in men-
tem illi hoc venisse, cum ea res gesta est. Sed et si id fa-
cere voluisset, non ideo sequeretur, habuisse illum
Primatum Ecclesiæ, quia ut supra dixi, quilibet pater
familias potest tollere abusus & corruptelas, quando
certò constat, tales esse.

III. Obiectio, ex facto eiusdem Dauidis.

28. **T**ertia obiectio est hæc; *Qui perducit Arcam*
fœderis ad constitutum quietis locum, & Arcæ
deportandæ præsultat, tenet primatum Ecclesiæ:
Atqui Rex Dauid perduxit Arcam ad constitutum
quietis locum. 1. Paral. 13. 12. & Arcæ deportandæ præ-
sultauit, 2. Reg. 6. 14. Ergo habuit Primatum Ecclesiæ.
Hoc argumētum magnificat Sacellanus Regis & vim
facit in eo, quod Dauid saltauerit ante, non post Arcā.
Nam *hoc ipso*, inquit, *significauit se Primatum tenere in*
negocio Arcæ deportandæ. Mira hominis subtilitas. Cur
non similiter vim facit in eo, quod bœves Arcam præ-
cesserint, non secuti sint?

29. Ut autem magis appareat huius argumenti vanitas, tria notanda sunt. *Primum est*, quod in arca Domini fuerint hæc tria. *Vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat & tabula Testamenti*, ut expressè testatur Apostolus Hebr. 9. 4. *Alterum*, quod hæc Arca, præsertim quoad manna, quod in ea custodiebatur, fuerit typus seu figura nostræ Eucharistiae. Ratio autem figuræ consistit in his. 1. Manna datum est Istrælitis peregrinantibus in deserto, ut possent ad terram promissionis peruenire. 2. habuit omnem saporem suavitatis corporalis. (Sap. 15. 20.) 3. fuit cibus de cœlo missus. (Ioan. 6. 31.) 4. fuit expositum dubitationi (Psal. 77. 22.) & contradictioni (Nu. 21. 5.) 5. licet alij plus, alij minus colligerent, eandem tamen mensurâ postea habebât (Exod. 16. 18.) Hæc omnia accommodantur Eucharistiæ. 1. quia datur Christianis in deserto huius vitæ peregrinantibus, ut possint ad vitâ æternam peruenire. 2. continet omnem saporem suavitatis spiritualis. 3. est cibus de cœlo missus. 4. exposita est dubitationi Capharnaitarû, & contradictioni Caluinistarum. 5. siue sub magna, siue sub parua hostia sumatur; & quæ prodest sumentibus.

30. *Tertium est*, quod hæc tria distinguenda sunt. 1. Arcam ædificare. 2. eam deducere, comitari, vel præcedere. 3. eandem portare vel attingere. Arcam ædificarunt Bezeliel de tribu Iuda, & Oolias de tribu Dan. Exod. 31. 1. Arcam deduxerunt, & ante eam luserunt, non solus Rex, sed etiam populus, ut patet ex illo 1. Regum 44. *Misit populus in Silo, & tulerunt inde Arcam fæderis Domini exercituum sedentis super Cherubin.* Et 2. Reg. 5. 6. *David autem & omnis Israël ludebant corā Domino in omnibus lignis fabrefactis.* Et infra, v. 15. *David & omnis domus Israël ducebant Arcam Testamenti domini in iubilo.* Et 3. Reg. 8. 5. *Rex autem Salomon, & omnis*

multitudo Israël, gradiebatur cum illo ante arcam. At nemini licebat eam tangere propter sanctitatem (quam & aliunde, & ex eo habebat, quod figura esset Eucharistie) nisi solis Sacerdotibus. Hinc Oza, quod eā tangere presumpsisset, cum sacerdos non esset, morte à Deo punitus est. 1. Reg. 6.6. Imò ne Leuitis quidē hoc licuit. Nam vt patet nu. 4. iubebantur sacerdotes velo arcam obuoluere, & vestes per annulos arcæ trāsmittere, ne Leuitæ, qui illā portaturi essent, eā attingerēt.

31. Ex his patet, quām friuolum sit argumentum Sacellani Regis, quādo sic infert; Rex Dauid deduxit & præcessit Arcam Domini: Ergo habuit Primatum Ecclesiæ. Cur non similiter infert; Omnis multitudo Israël gradiebatur ante Arcam: Ergo habuit Primatum Ecclesiæ? Vel sic; Pueri Christiani præcedunt Eucharistiam, quando publicè in processione deportatur; Ergo habent Primatum Ecclesiæ. Ineptè omnia. Potius sic oportebat argumentari; Non licuit Regibus, sed solis sacerdotibus, attingere Arcam Domini. Ergo Sacerdotes præferuntur Regibus, in ijs, quæ ad Deum & religionem pertinent.

IV. *Obiectio, desumpta ex facto Salomonis Regis.*

32. **Q**vara obiectio est talis; Qui ædificat templum, & Deo dicat, tenet primatum Ecclesiæ: Atqui Rex Salomon ædificauit Templum, & Deo dedicauit, 1. Paral. 28.6. Et 2. Paral. 6.10. Ergo Rex Salomon tenuit primatum Ecclesiæ. Hoc argumentum sic vrget Sacellanus; *Dedicare Deo templa actus est primarius, neque cuiusquam nisi cuius partes in Religione prime. At templum à Salomone dedicatum est; Ergo.*

33. Non video hic plus subtilitatis, quam in precedenti argumento. Ut hoc ostendam, tria notanda sunt. Primum est, quod templum Hierosolymitanū, de quo agimus, ter dedicatum sit. Primo à Salomone 3. Regum 8.1. Secundò ab iis, qui à captiuitate Babylonica reuersi sunt, 1. Esdræ 6. 16. Tertiò à Machabæis, cum post prophanationem esset iterum renouatum & sanctificatum, 1. Machab. 4. 36. Alterum est, quod dedicare rem aliquam Deo, si vim nominis spectes, nihil aliud sit, quam dicare illam cultui diuino, seu offerre, & destinare illam ad colendum Deum. Hoc modo (Exod. 35.) dicuntur Israëlitæ, tam viri, quam fœminæ, hyacinthum, purpuram, byssum, coccum, pilos caprum, pelles arietum, metalla & ligna setim dedicasse Deo, id est, obtulisse ad cultum diuinum. Eodem sensu Salomon dicitur Templum Deo dedicasse, id est, diuino cultui dicasse seu mancipasse. Hinc non magis colligi potest Primatus Salomonis, qui ligna & lapides, quam fœminarum, quæ aurum, purpuram, & hyacinthum Deo dedicarunt. Tertium est, quod in hac templi dedicatione à Salomone facta, variæ ceremoniæ usurpatæ fuerint cum solenni letitia. Nam primò, postquam templum ædificatum est, congregati sunt Israëlite ad Regem Salomonem in Ierusalem. 2. Sacerdotes intulerunt Arcam, tabernaculum, & omnia vasa sanctuarij in Templum. 3. Deus, ut ostenderet sibi place-re quod agebatur, nebula impleuit templum. 4. Salomon gratiis Deo actis, multa precatus est, & præser-tim ut quicunque essent oraturi Deum in tēplo isto, exaudirentur. 5. Finita hac oratione, victimæ & sacrificia Deo oblata sunt. 6. Iterum secuta est benedictio seu gratiarum actio; ac tandem octauo die, popu-lus ad sua cum gaudio dimissus est. Hæc omnia ha-bentur 3. Regum 8.

34. Neque hinc colligi potest Primatus Salomonis; quod sic ostendo. Tria hominum genera spectari hic debent. 1. Salomon. 2. Sacerdotes. 3. Populus. Quid quisque horū fecit in hac dedicatione? Salomon orauit, & gratias Deo egit. Sacerdotes portarunt Arcam, Tabernaculum, vasa Sanctuarij, & obtulerunt sacrificia. Populus interfuit, & gratiis Deo actis, lētatus est. Si quid ergo pro Primatu Salomonis colligendum est, sic colligi deberet; quicunque in templo recens ædificato, orat Deū, ut in eo exaudiantur preces & vota supplicantium: is tenet Primatum Ecclesiæ. At qui Salomon in templo à se recens ædificato orauit Deum, ut in eo exaudirentur preces & vota supplicantium: Ergo tenuit primatum Ecclesiæ. At maior propositio apertè falsa est. Quasi nemo, nisi qui supremam iurisdictionem in Ecclesia habet, eo modo, quo Salomon, orare possit. Multi mercatores, suis sumptibus, templa in honorem Dei erexerunt, & quotidie erigunt. An non licet ipsis orare, ut Deus accepta ea habeat, & preces seruorum suorum in iis exaudiat? Omnipotè sanè. Immò, plerique clerici, quoties dedicatio alicuius templi occurrit, solent orare hoc modo: *Deus qui nobis per singulos annos huins sancti Templi tui cōsecrationis reparas diē, & sacris semper mysteriis representas incolumes; exaudi preces populi tui, & præsta, ut quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse latetur.* Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, &c. Itēque hoc modo: *Deus qui inuisibiliter omnia cōtines, templum hoc potentia tuae inhabitationis illustra, & concede, ut omnes, qui huc deprecaturi conueniunt, ex quacunque tribulatione ad te clamauerint, consolationis tuae beneficia consequantur.* Per Dominum nostrum, &c. An hinc inferas, singulos clericos, qui sic orant, supremos esse prælatos in Ecclesia? Nihil minus.

35. Plus dicam. Faciamus in aliqua diœcesi Anglicana templum incendio perire vel ab hostibus deuastari. Episcopus suis sumptibus cureret restaurari. Concedet deinde populum sibi subiectum: Inferat vasa sacra: Oret Deum, utratum habeat hoc obsequium, & preces subditorum exaudiat: Offerat sacrificium: Benè preceatur populo, & gratiis Deo actis, dimittat unumque cum gaudio. Quid? An dices hunc Episcopum esse Primatem Ecclesie? Si est, quid de Rege fieri? Si non est, quid minus fecit, quam Salomon? Imò totum id præstitit, quod Salomon & Sacerdotes simul.

V. Obiectio, desumpta ex facto eiusdem Regis Salomonis.

36. **Q**uinta obiectio est talis: Qui deponit summum sacerdotem ab officio, & aliud illi subrogat, necessario habet iurisdictionem supra summum sacerdotem: Atqui Salomon Rex depositum Abiaethar summum Sacerdotem ab officio, & subrogauit illi Sadoc. 3. Reg. 2. 27. Ergo Salomon Rex habuit iurisdictionem supra summum Sacerdotem. Hoc est præcipuum argumentum pro primatu Regis. Sed sanè parui momenti. Ac primum, sic retorqueri potest: Qui deponit Regem ab officio, & aliud illi subrogat, necessario habet iurisdictionem supra Regem: Atqui Ioiada summus sacerdos, non solum depositum, sed etiam occidit Athaliam Reginam, & Ioas in eius locum subrogauit. 4. Reg. 11. Ergo Ioiada summus sacerdos habuit iurisdictionem supra Regem.

37. Sed ad rem. Hæc obiectio duo supponit. Vnū, quod Salomon, quando depositum Sacerdotem ab officio, usus sit potestate regia. Alterum quod recte ac legitime

gitimè ea usus sit. At neutrum probari potest. Imò grauissimi authorés constanter docent , non regia, sed prophetica potestate usum esse ; nec ordinaria via , sed ex peculiari Dei instinctu fecisse , quod fecit. Ita Cardinalis Bellarminus, Iacobus Gretserus , & plures alij. Et videtur colligi posse ex illis verbis 3. Reg. 2.27. Eicit ergo Salomon Abiathar , ut non esset Sacerdos Domini , ut impleretur sermo Domini , quē locutus est super domū Heli in Silo . quasi dicat ; Olim tempore Heli Sacerdotis prædictum fuit à Deo per Samuelem prophetam, fore aliquando, ut officium sacerdotale auferatur à familia Heli, propter peccata filiorum eius. 1. Reg. 2.31. Ut ergo hæc prophetia impleretur, Salomon diuino instinctu, tanquam verus propheta, abstulit sacerdotium ab Abiathar , qui erat ex familia Heli.

38. Quod si ita est, facile apparet, nullius momenti esse obiectionem Regis Angliae. Nam nihil aliud ex facto Salomonis colligi poterit, quam prophetas accipere aliquando extraordinariam potestatem à Deo etiam supra Sacerdotes ; quod nihil ad rem facit. Non enim disputamus de potestate prophetarum , sed Regum. Nec status controversiae est, an prophetæ ex peculiari Dei instinctu possint aliquando punire Sacerdotes ; sed, an Reges ordinaria sua potestate possint id facere ? Hæc valde distincta sunt. Et alterum cum altero minimè connexum est. Non enim sequitur; Salomō Rex ex peculiari Dei instinctu, submouit Abiathar Sacerdotem ab officio sacerdotali : Ergo Iacobus Rex, ordinaria sua potestate, potest idem facere. Non magis, quam si dicam; Nathan ex peculiari Dei instinctu reprehendit Davidē Regē: ergo quilibet subditus in Anglia potest ordinaria via reprehendere Iacobum Regē.

39. Sed demus (quod tamen probari nō potest) Salomonem in submouendo Sacerdote, usum esse pot-

state regia; quid quæso hinc efficitur contra nos? Nihil sanè, nisi prius constet legitimè ea vsum esse. Hoc autem nec in Scripturis sacris disertè exprimitur; nec ex iis euidenter deduci potest. Aliud enim est, factum alicuius recenseri; aliud, probari seu commendari. Legimus quidem in Scriptura, Raziam gladio & præcipitio seipsum occidisse. Legimus à Saüle Sacerdotes Domini; ab Abimelech septuaginta fratres; ab Athalia, semen regium; ab aliis alios interfectos esse. At non legimus, hæc omnia iustè ac legitimè contigisse. Idem dico de Salomone. Legimus, ab eo depositū esse Abiathar sacerdotem. At non legimus, rectè ac legitimè id factum esse. Vel ergo probandum est Regi Angliæ, factum esse legitimè; vel nihil contra nos concludit.

40. Dicet fortè Abiathar grauiter peccauerat cōtra Salomonem Regé, ac proinde dignus erat, qui puniretur. Potuit ergo Salomon auctoritate regia illum punire. Respondeo. Non sequitur. Esto enim peccauerit Abiathar propter iniquam conspirationem, & dignus propterea fuerit, qui officio submoueretur. An ideo à Salomone submoueri legitimè potuit? Id minime consequens est. Non enim quilibet reus à quolibet puniri potest, sed ab eo duntaxat, qui in illum habeat legitimā potestatem ac iurisdictionem. Hanc autem habuisse Reges Iudæorum in Sacerdotes, nondū probatum est. Imò ex ipsis Iudæis contraria m̄ probari potest. Semper enim persuasum ipsis fuit, Reges non habere ullam iurisdictionem in eos, qui ministerio diuino deputati sunt. Hoc satis colligitur ex illo, 1. Reg. 22. 16. *Dixit Rex Saül: morte morieris Abimelech, tu & omnis domus patris tui. Et ait Rex emissariis, qui circumstabat eū; Conuertimini, & interficide Sacerdotes Domini; nam manus eorum cum Dauid est. Noluerunt autē servi Regis extenderre manus suas in Sacerdotes Domini. Ex quibus verbis patet,*

ter, Regem Saulem mandasse suis famulis, ut interficerent Sacerdotes Domini, eo quod conspirassent cum Dauide contra ipsum Regē. Porro famulos Regis, qui erant Iudæi, & optimè norant eminentiam sacerdotū supra Reges, non voluisse id facere, etiam si Rex mandasset. Nam certò persuasum illis erat, non posse Regem legitimè id mandare, nec Sacerdotes imperio Regis subiacere. Quod etiam aduertens Rex homini barbaro ac gētili imperauit, ut quod famuli facerent renuisserent, ipse imperterritus exequeretur. Quod etiam factum est. Subiugitur enim in textu; *Et ait Rex ad Doēg, Conuertere tu, & irruere in Sacerdotes. Conuersusque Doēg Idumeus irruit in Sacerdotes.*

41. Hinc ita concludo; Saul & Salomon fuerunt pares in potestate regia; nec plus iuris habuit Salomon in Sacerdotes, quā Saul, ex ea præcisè parte, qua Reges erant. Atqui Saul, qua Rex, non habuit legitimam potestatem puniendi Sacerdotes: ergo nec Salomon. Major per se nota est. Minor patet ex dictis, quia famuli Saulis non recusassent imperium sui Regis, si putassent illum habere legitimam potestatem in Sacerdotes. Libēter enim parebant illi in persequēdo Dauide. Quod ergo nollent parere in occidendis sacerdotibus, qui adhærebant Dauidi; non aliunde prouenire potuit, quā quod putarent, Regem habere potestatē in Dauidem, non autem in Sacerdotes. Idem ergo de Salomone, qua Rex erat, statuendum est. Si enim Sauli non licuit punire Sacerdotes Domini; nec Salomoni potuit licere, vterque enim qua Rex, pari potestate fuit præditus.

42. Dices; Non rectè hoc sequitur. Fuit enim aliud, dispar causa utriusque. Nam Sacerdotes à Saule interfecti, erant innocentes. Abiathar autem, quem Salomon puniuit, erat reus læse maiestatis. Quis porro

nesciat, aliud esse, interficere innocentes , quod fecit Saul ; aliud, punire reos quod fecit Salomon? Esto igitur; non recte ac legitimè fecerit Saul ; recte tamen ac legitimè fecit Salomon. *Respondeo.* Hæc disparitas non obstat. Tametsi enim Sacerdotes, qui iubebant interfici à Saule, re ipsa fuerint innocentes ; nihilominus famuli Saulis, putabat esse nocentes, ac reos læsæ maiestatis: Nec tamen putabant licere Regi, etiā nocentes Sacerdotes interficere. Hoc inde constat ; quia parabant Regi in persequendo Dauide, ut dictum est: & ideo parebant , quod existimarent Dauidem iniustè aspirare ad regnum , ac proinde læsæ maiestatis reum esse. Alias sanè nō parituri. Cum ergo audissent à Saüle, Sacerdotes adhærere Dauidi, quid aliud suspicari poterant, quam eos etiam nocentes ac reos esse? Et tamen obtemperabant Saüli in persequendo Dauide, non autem in necādis Sacerdotibus. Nec alia de causa, quam quod verè putarent, Regē habere potestatem puniendi & coērcendi laicos, non autem Sacerdotes.

43. Ex his abundè satisfactum est argumento Regis, quod, ut compendio repetam, quæ dicta sunt, dupliciter formari potest. Primo, in hunc modum ; *Salomon potestate prophetica legitimè puniuit Sacerdotem: Ergo Rex Iacobus, potestate Regia, idem præstare potest. Secundò sic; Solomon potestate Regia legitimè puniuit Sacerdotem: ergo Rex Iacobus idem præstare potest.* In priori forma , negatur consequentia ; in posteriori , antecedens. Nec à Rege Angliæ vñquam probari poterit.

VI. Obiectio, ex facto Iosiae Regis.

44. **S**exta obiectio est hæc. Qui librum legis à tenebris erutum, populo recitari facit, & fœdus inter Deum populū nque redintegrat , habet Primum

tum Ecclesiae: Vtrumque fecit Rex Iosias, 4. Reg. 22.
& 23. Ergo habuit Primum Ecclesiae. mem. r. xix
Hoc argumentum virget Sacellanus Regis in hunc
modum; Libro reperto, indexit Rex conuentum, in eo iubet
recitari librum, recitato fœdus nouum init cum Domino, po-
pulum quoque ad fœdus adiurauit. Tum præcipit ipsi Pon-
tifici, reliquisque secundi ordinis Sacerdotibus, ut eiiciant e
templo, atque exurant vasa omnia, quæ Baali sacra fuerat,
ut excelsa demoliantur. Mandauit post de Paschate novo
faciendo, denique de religione tota in integrum reformatam.

45. Multæ sunt partes huius argumenti. Prima, quod Rex, reperto libro legis Mosaicæ, conuocat populum, ut eum illi prælegeret. Fatoe. Sed Helcias Pontifex, qui librum repererat, eo fine miserat Regi, ut id faceret. Secunda, quod Rex iusserit recitari librum Legis. Esto. Etiam fœminæ apud aduersarios, legunt Biblia, aut ab ancillis recitari iubent. Tertia, quod recitato libro, fœdus nouum inierit cum Deo, id est, quod promiserit Deo se velle custodire omnia præcepta, quæ scripta erant in libro Legis. An non cuilibet, etiam priuato homini hoc licitum est? Optarim sane, singulos Christianos ita affectos esse, ut initio cum Deo fœdere, promitterent se legem seruatores. Quarta, quod populum hortatus sit, ut idem præstaret. At hoc non soli Regi, sed cuilibet concionatori licitum est apud suos auditores. Nisi quod aduersarij dicant, Legem seruatim impossibilem esse; In quo multum discrepant à Iosia, quem tantopere laudant. Quinta, quod præceperit Pontifici & Sacerdotibus secundi ordinis, ut proiicerent de Templo Dei omnia vasa, quæ facta fuerant Baal, & aliis falsis diis. Merito sane; quia hoc ad illos pertinebat. Nec tam præcepit, quam eos officij sui commonuit. Sexta, quod mandauerit Pascha celebrati, quod diu fuerat intermissum. At à Deo præ-

ceptum erat, ut celebraretur. Postea ergo Rex virgere executionem. Septima, quod totam religionem iussit in integrum reformati. Bonum factum. Nec tamen iudicium de reformatione, sed executio ad Regem pertinebat; iudicio reseruato Sacerdotibus.

VII. Obiectio ex facto Ezechiae Regis.

46. **S**eptima obiectio; Ezechias Rex confregit

Serpentem aeneum, quamvis e& diserto Dei mandato erectum, & Christum Dominum suo modo figurantem. 4.Reg. 18.4. Etgo tenuit Primum in Ecclesia. Hic duo dicenda sunt. 1. Ex qua causa vel occasione id fecerit Ezechias. 2. Quia authoritate fecerit. De priori, sic res habet. Serpens aeneus ab initio, in bonum usum erectus fuit mandato Dei, iuxta illud Numer. 21.8. Locutus est Dominus ad Mosen: Fac serpente aeneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspergerit eum, vivet. Fecit ergo Moses serpentem aeneum, & posuit eum pro signo: quem cum percussi aspergerent, sanabantur. At postea, progressu temporis, abiit in abusum, quia filii Israël adolebant ei incolumem, ut haberetur 4.Reg. 18.4. idque propterea, quod meminissent, olim ex solo illius aspectu sanatos fuisse, quotquot a serpentibus morti erant in deserto: & putarent, se tunc quoque præsidij aliquid ab eo sperare posse. Hunc abusum volens tollere Ezechias, non alia via commodiis id facere potuit, quam serpentem ipsum, qui erat occasio idololatriæ, tollendo & confringendo. At qua authoritate id fecit? Non alia, quam diuina. Deus enim, non solum Regi, sed cuilibet e populo mandauerat, ut auferrent omnem cultum idololatriæ, Deuter. 7.5. Aras eorum subvertite & confringite statuas, lucosque succidite, & sculptilia comburite, quia populus sanctus es Domino Deo tuo. Quid ergo

go mysterij hic est, quod Ezechias confregerit serpem æneum, quod quilibet aliis facere potuisse?

47. Dices; Serpens æneus, & Dei mandato factus erat, & Christum figurabat. Quid tum? Si ideo aliis non licuit eum confringere, cur Regi licuit? aut si Regi licuit, cur aliis non item? Nusquam legimus, Regi peculiare quid cōcessum fuisse circa serpentem, quōd aliis similiter concessum non sit. Et quid dicemus de Arca Noë? Nōnne, & mandato Dei facta fuit, & Christi Ecclesiam figuravit? Omnino. An ideo soli Regi permisum fuit, illam dissoluere, post peractum diluvium? Nemo dixerit.

*VIII. Obiectio sumpta ex titulis Regum
veteris Testamenti.*

48. **R**Ex Angliæ, sicut hactenus ex facto Regum veteris Testamenti conatus est aſtruere Primatum suum in Ecclesia; ita nunc ad titulos eorum conuertitur. Sunt autem hi. 1. Reges vocantur *Filij altissimi*. 2. *Dij.* 3. *Vncti Domini*. 4. *In ſolio Dei ſedentes*, 5. *Famuli Dei*. 6. *Angeli Dei*. 7. *Faſti iuxta cor Dei*. 8. *Lumina Israēlis*. 9. *Nutriti Ecclesiae*. Ergo habent Primatum in Ecclesia.

49. Videamus, quid lateat in his titulis. Primus est, Reges, inquit, vocantur *Filij altissimi*, iuxta illud 2. Reg. 7. 14. *Ego ero ei* (Salomoni) *in patrem & ipſe erit mihi in filium*. Sed quæro, an non omnes pijs ac fideles sint filij Dei, qui ex Christi institutione dicunt, *Pater nōſter, qui es in celis?* An non de omnibus pijs ac fidelibus intelligēdum sit illud 1. Ioan. 3. 1. *Videte, quam lem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur & simus?* Nihil dubito. Cur ergo Rex Angliæ hunc titulum, quem Christus & Apostoli volunt omnibus bonis communem esse, solis Regibus arrogare vult?

Et Saçellanus, qui tantopere fauet suo Regi, an se filium Dei esse non putat? An in toto Anglia, solum Regem eo privilegio gaudere censem? Nisi dicat, omnes quidem pios, sed Reges peculiari quodam modo filios Dei esse. Etiāmne improbos? Si soli probi sunt, iam non sanè, qua Reges, sed qua probi, filii Dei sunt.

50. Secundus titulus; Reges vocantur Dij, Psal. 81. 6. *Ego dixi, dij estis.* Et Exodi 22. 8. *Si inuenitur fur, duplum reddet, si latet fur, Dominus domus applicabitur ad Deos.* Mira res. Solent aduersarij grauiter accusare Catholicos, quod Pontificem Romanum appellant Deū. Et ipsi suos Reges impunè appellari sic volūt. Imo sacræ Scripturæ testimoniis abutuntur. Nam illud, *Ego dixi, dij estis,* non de solis Regibus, sed de Prophetis quoque intelligendum esse, disertè explicat Christus Ioan. 10. 34. cùm ait; *Nōnne scriptū est in lege vestra, quia ego dixi, Di j estis?* Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, &c. Similiter illud, *Dominus domus applicabitur ad Deos,* non de Regibus, qui tunc nulli erant, sed de iudicibus intelligendum esse, quis nescit? Si ergo non soli Reges, sed etiam alij vocari possunt Dij; quid est, quod ex hoc titulo colligit Rex Angliæ, Reges, & non alios, esse Primates Ecclesiæ?

51. Tertius titulus; Reges vocantur Christi, seu vni-cti Domini. 1. Reg. 24. 11. *Non extendam manum meam in Dominum meum, quia Christus Domini est.* Fateor. At non soli Reges, sed etiam Sacerdotes in veteri Testamento vngabantur. Et quanquam hoc neget Sacellanus Regis, ita tamen clarum est, vt negari, nisi impudenter, non possit. Testimonia scripturæ passim obvia sunt. Exodi 19. 7. *Oleumunctionis fundes super caput eius, atque hoc ritu cōsecrabitur.* Et Leuit. 4. 3. *Si Sacerdos, qui vñctus est, peccauerit.* Et Leuit. 8. 12. *Fundens oleum super*

super caput Aaron, vnxit eum & consecravit. Et Num. 3. 3. Hac nominis filiorum Aaron Sacerdotum, qui vnceti sunt, & quorum consecrata manus, ut sacerdotio fungerentur. Et 2. Mach. 1. 10. Qui est de genere Christorum Sacerdotum. Imo etiam Prophetæ vngebantur. 3. Reg. 19. 16. Iehu filium Namsi vnges regem super Israël; Eliseum autem filium Saphat, vnges Prophetam pro te. Hinc ita concludo; Vtrique, tam Sacerdotes, quam Reges, in Veteri Testamento, vocabantur *Vncti Domini*: Ergo si solus ille titulus spectetur, vel utrique, vel neutri habebant Primatum Ecclesiæ. Si utrique, cur de Sacerdotibus negat Rex Angliae? Si neutri, cur de Regibus affirmat? Addo. Vel sermo est de externaunctione, vel de interna. Si de externa, communis ea fuit Regibus, Sacerdotibus & Prophetis, ut dictum est. Si de interna, nemo fidelium excluditur. Omnes vnceti sunt. 2. Cor. 1. 21. *Qui vnxit nos Deus*. Et 1. Ioan. 2. 20. *Vos unctionem habetis a Sancto*.

52. Quartus Titulus; Reges dicuntur in solio Dei sedere. 2. Paralip. 9. 8. *Sit Dominus Deus tuus benedictus, qui voluit te ordinare super thronum suum, Regem Domini Dei tui*. Sed constat duplex esse regnum: unum terrenum, alterum spirituale. Duo igitur solia, duo throni distinguendi sunt. Reges sedent in solio regni terreni: Episcopi in solio Ecclesiæ, quod est regnum spirituale. Act. 20. 28. *Attendite vobis & uniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiā Dei*. Nec Regibus, sed Apostolis dictū est à Christo Mat. 19. 28. *Cum sederit filius hominis in sede maiestatis sue, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicātes duodecim tribus Israël*. En. Apostoli Regū iudices erūt; nō Reges Apostolorū.

53. Quintus titulus, Reges vocantur servi Dei. 2. Paral. 6. 15. *Qui præstitisti seruo tuo David, Patri meo, quæcunque locutus fueras ei*. Ita est. Sed an soli Reges sunt servi Dei? An non etiā Apostoli & Episcopi? Act. 4. 29.

*Et nunc Domine, da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum. Act. 16.17. Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annunciant vobis viam salutis. Roman. 1.1. Paulus seruus Iesu Christi. An nō omnes pij Christiani? Roman. 6.22. Nunc autem liberari à peccato, serui autem facti Deo. Occurrit Sacellanus, omnes quidem pios ac fideles vocari seruos Dei, sed tamen Regibus per quandam eminentiam conuenire hunc titulum. Audio. Sed in quo consistit hæc eminentia? An quia Reges sunt magis pij, quam cæteri fideles? At non semper id verum est. An quia seruiunt Deo in altiori gradu, quam cæteri? Hoc plū est in questione. Ego contendo Apostolos & Episcopos seruire in altiori gradu. Seruiunt Deo in regno Christi, quod non est de hoc mundo. Sunt dispensatores mysteriorum Dei. 1. Corinth. 4. 1. Et quod amplius est, sunt adiutores Dei. 1. Cor. 3. 9. Imò sunt patres seu genitores filiorum Dei, 1. Cor. 4. 15. Sunt fundamenta, supra quæ reliqui ædificati sunt, Ephes. 2.20. Denique, si plura expetantur, sunt supra conditionem seruorum Dei, Ioan. 15.14. *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nec scit, quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audiri à Patre meo, nota feci vobis.**

¶ 4. Sextus Titulus; Reges vocantur Angeli Dei.
*Tu autem Domine, mi Rex, sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei, ut intelligas omnia super terram. Sed quid hinc colligi potest? Non aliud, quām ex omnibus Iudæorum Regibus, solum Dauidem vocatum fuisse Angelum Dei, idque à muliere; non ob regiam potestatem, sed ob singularē sapientiam, quā erat prædictus. Quid si ego plus adferam pro Sacerdotibus? Non de uno tantum, sed de omnibus dictum est illud Malach. 2. 7. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercitum est. Nunc expendamus, uter rectius concludat,**

Rex

Rex Anglie; an ego. Regis illatio est hęc; David habuit tātam sapientiam , vt Angelo similis esse videretur: Ergo omnes Reges sunt tales: quisque igitur Rex in suo regno Primum Ecclesiae tenet. Ineptè. Hęc autem mea est ; Omnes Sacerdotes summi in Veteri Testamento, vocati sunt Angeli Dei, quia Dei voluntatem certo & infallibiliter alijs annunciatabant , quod non poterant Reges : Ergo Sacerdotes in rebus ad Deum pertinentibus erant supra Reges.

55. Septimus Titulus; Reges dicuntur facti iuxta cor Dei; 1. Reg. 13. 14. *Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum. Esto hoc. Quid tum? An quia Dauid Rex fuit vir iuxta cor Dei, omnes Reges tales sunt?* Imò, contra res habet. Saül Rex, quia non erat vir secundum cor Dei, à regno exclusus est; Dauid autem, quia erat talis, Saüli subrogatus. Sic enim loquitur Scriptura ; *Dixit Samuël ad Saüel; stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, iā nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israël in sempiternum : sed nequaquam regnum tuum ultra consurget.* *Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suū, ut esset Dux super populum suum.* Nec vlli momenti est distinctio Sacellani, cum ait ; Regem dupliciter dici posse iuxta cor Dei. 1. quoad personam Regis. 2. quoad officium seu magistratū. Omnes Reges, etiam malos, licet priori modo non sint iuxta cor Dei, posteriori tamen esse. Sed si hoc sufficit, omnes etiam Sacerdotes & Episcopi sunt secundum cor Dei. Imò magis, quam Reges. Nam Deus in Veteri Testamento sponte & ex proprio beneplacito constituit magistratum fæderale: regium autem, non nisi ex importuna Iudæorum postulatione concessit, vt habetur 1. Reg. 8. 5. Igitur Sacerdotum magistratus magis fuit secundum cor Dei, quam Regum.

56. Octauus titulus : Reges vocantur Lucernæ Israëlis, 2. Reg. 21. 17. Tunc iurauerunt viri Dauid, dicentes: *Iam non egredieris nobiscum in bellum, ne extingucas lucernam Israël.* Fateor. Sed etiam Apostoli vocantur à Christo *Lux mundi*, Matt. 5. 14. Et Episcopi septem Ecclesiarum Asiæ, vocantur *septem stellæ*, Apoc. 1. 20. Si ergo Reges ideò habent primatum in Ecclesia, quia appellantur *Lucernæ*; cur non similiter Apostoli & Episcopi habeant primatum, cum appellantur *stelle*, & *lux mundi*? Non enim hic titulus minor est, quam ille. Hinc formo tale dilemma. Hęc propositio, *Qui vocatur Lucerna, Lux, Stella, habet primatum Ecclesiæ*: vel vera, vel falsa est. Si vera, sequitur Apostolos & Episcopos habere primatum Ecclesiæ, quod Rex Angliæ negat. Si falsa, sequitur Regem Angliæ ex falso fundamento procedere.

57. Nonus titulus: Reges vocantur Nutritij Ecclesiæ, Isa. 49. 23. Et erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ. Sed adde quod sequitur: *Vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* Loquitur Propheta de futura Christi Ecclesia; & dicit, fore aliquando tempus, quando Reges & Reginæ gentiles conuertentur ad fidem Christi, & sic magno incremente augebunt Ecclesiam, eamque tanquam sponsam Christi venerabuntur. At hinc non efficitur Reges & Reginas fore primates Ecclesiæ, sed potius filios & subiectos. Et sanè, si vim faciamus in voce: *Nutritius*, quis magis nutriuit Ecclesiam Christi, quam Apostoli & eorum successores, qui per vniuersum orbem prædicarunt Euangelium, & omnes gentes, cum suis Regibus & Reginis Ecclesiæ Christi aggregarunt?

58. Haec tenus de titulis. Ex quibus sic concludo; Apostoli & Episcopi non habent minores titulos, quam Reges, immo saepe maiores: si ergo ex titulis debeat col-

ligi Primatus Ecclesiae, non minus Apostoli & Episcopi, quam Reges, erunt primates in Ecclesia; immo multo magis. Vtrumque ostendo inductione. 1. Reges vocantur filii Altissimi: Non minus Apostoli. 2. Reges vocantur Dij. Etiam Sacerdotes & Iudices Ecclesiastici. 3. Reges vnguntur. Etiam Sacerdotes. 4. Reges sedent in solio terreno: At Apostoli & Episcopi in cœlesti. 5. Reges sunt serui Dei. At Apostoli, iam non serui, sed amici. 6. Reges sunt Angeli Dei. Nec minus Sacerdotes. Imo toti generis Sacerdotum id conuenit, non toti Regum. 7. Reges sunt iuxta cor Dei. Multo magis Sacerdotes & Apostoli. 8. Reges sunt lucernæ Israëlis: At Apostoli lux mundi. 9. Reges sunt nutritij Ecclesiae. At Apostoli Patres Nutritiorum.

Conclusio totius capituli.

59. **H**oc capite ostensum est, nullum extare Ius diuinum Veteris Testamenti pro primatu Regum: extare tamen pro primatu Sacerdotum. Nec aduersarios ullum ius pro se hactenus allegasse, sed ex solis Regum factis & titulis argumentatos esse. Hanc autem argumentandi rationem non solum infirmam esse, sed etiam magis nobis, quam ipsis patrocinari. Hæsi autem diutius in hoc capite, quia si semel probatum sit, ex Veteri Testamento nihil adferri posse pro Primatu Regis: consequenter ostensum erit, Reges nullo modo esse Primaes Ecclesiae. Nam Sacellanus Regis Angliae fatetur, fundamentum illius Primatus in solo Veteri Testamento queri oportere: & nullum illius in Nouo vestigium aut exemplum existere. Nihilominus tamen, ut seruemus ordinem superius assignatum, etiam de Nouo Testamento aliquid dicendum est.

C A P. III.

*An Rex iure diuino noui Testamenti habeat
primatum Ecclesie.*

1. **V**s diuinum Noui Testamenti à Christo conditum est. Is enim, sicut veteres ritus, ceremonias, sacrificia, totam denique synagogam abrogauit: ita noua sacramenta, nouum sacrificium, nouos ministros, nouā Ecclesiam instituit: Et præcepta dedit, quibus omnia, quæ ab ipso instituta essent, legitimè gubernari & conservari possent. Nunc ergo questio est, quid in hac tota œconomia sua statuerit de Primatu Ecclesie? An eum voluerit esse apud Reges & Principes sacerdotes, an verò apud Apostolos & eorum successores?

2. Repeto quod supra monui; hunc Præmatum consistere in exteriori Iurisdictione, cuius potissimi actus sunt hi. 1. Regere Ecclesiam. 2. Synodos conuocare. 3. Iisdem præsidere. 4. Lites finire & controvërsias fidei decidere. 5. Leges & constitutiones condere. 6. Contumaces excommunicare: aut alio modo punire delinquentes. 7. Ministros Ecclesie constituere & depolare. Et si qui similes. Igitur inuestigandum est, quinam hanc Iurisdictionem in Ecclesia à Christo acceperint. Apostoli & eorū successores, an Reges & Principes sacerdotes? Id autem ex quadruplici capite inuestigari potest. 1. ex verbis Christi, quibus suam mētem in hac re declarauit. 2. ex testimonij Apostolorum, qui sine dubio Christi mentem assecuti sunt. 3. ex praxi, quæ illo tempore in Ecclesia seruata est. 4. ex alijs circumstantijs.

3. Si verba Christi spectemus, res in promptu est. Legamus Euangeliū. Mox inueniemus Petro di-

ctum

ctum esse Ioan. 21. 22. *Pasce oves meas.* Et Matth. 16. 18. *Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam, & portae inferi non praeualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claves regni cælorum.* Et Lucæ 22. 32. *Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* At nusquam legitimus Tiberio, Pilato, vel Herodi dictum esse: *Pascite oves meas: Ecclesia mee primatum tenete.*

4. Et quid est, *Pasce oves meas:* Constat ex Euangeliō, Christum esse Pastorem: Ecclesiam ouile: Christianos oves. Igitur tantundem est, ac si dixisset: In hoc pastorali officio vicariam operam mihi præsta. Ouile meum tibi commendo: pasce, quotquot in eo sunt, oves. Vel clarius: Ecclesiam meam tibi commendo, dirige & guberna fideles, quotquot in Ecclesia sunt. Vno verbo, Vicarius meus esto. Quid unquam simile dictū est Regi vel Imperatori? Imo eos ipsos, si oves Christi sunt, Petro commissos esse, necesse est, cui totum ouile commissum est. Rectè enim Epiphanius in Ancorato: *Hic est, qui audiuit, Pasce oves meas, cui creditum est ouile.* Et Eucherius Lugdunensis in Vigilia S. Petri: *prius agnos, deinde oves ei commisit, quia non solum pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oves, pascit & matres: regit & subditos, & prælatos.* Omnia igitur pastor est, quia præter agnos & oves in Ecclesia nihil est.

5. Iam quid aliud est, Petro, non Regi aut Imperatori, datas esse claves Ecclesiæ, quam datam esse potestatem & officium gubernandi Ecclesiam? Hoc ipsa metaphora planè significat. Et confirmat usus. Solent enim, qui in familia vel urbe præsunt, accipere claves in signū imperij & iurisdictionis. Vnde Dominus apud Isaiam cap. 22. cum vellet significare; se potestatem summi sacerdotis translaturum à Sobna in Eliacim, usus est metaphora claviū. Sic enim ait. *Vade, & ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo, ad Sobnā propositū*

templi, & dic ad eum; Quid tu hic? Expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te: & vocabo seruum meū Eliacim, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manu eius: & dabo clauem domus David super humerum eius: & aperiet, & nō erit, qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat. Eadem metaphora vtitur scriptura ad significandum principatum Christi, Apoc. 7.3. Hec dicit sanctus & verus, qui habet clauem David: qui aperit & nemo claudit: claudit & nemo aperit. Hinc Gregorius lib. 4. epist. 32. Cunctis Evangelium scientibus liquet, quod voce dominica, omnium Apostolorum principi Petro totius Ecclesiae cura commissa est. Ipsius quippe dicitur, Tibi dabo claves regni cælorum.

6. Et quis usus harum clavium est: soluere & ligare: aperire & claudere, id est, exercere triplicem potestatem: Vnam intromittendi in Ecclesiam, & eiiciendi, prout quisque meretur. Alteram, soluendi vincula peccatorum, legis, voti, iuramenti. Tertiam, ligandi per praæcepta & penas. Vno verbo; exercere supremam iurisdictionem in domo Dei, quæ est Ecclesia.

7. Igitur ex verbis Christi, perspicuè constat, Petro & eius successoribus, non item Regi cōmīssum esse quile, concreditas oves, concessas claves. Videamus nunc, quid Apostoli hac de re dicant. Sane D. Paulus, tametsi non semel, sed saepè, de structura & regimine Ecclesiæ Christi loquatur, nusquam tamen Reges, & Principes sacerdotes, sed ubique Apostolos & Episcopos, nominare solet. Proferam tria ipsius testimonia. Primum est, Act. 20. 18. *Attendite vobis & uniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiā Dei. Verba aperiunt sunt. Qui ergo constituti sunt præsides & rectores Ecclesiæ Christi: Episcopi. A quo constituti sunt, à Spiritu sancto. Reges ergo vel constituti non sunt, vel à Spiritu sancto non sunt.* Alterum est

Ephes.

Ephes. 2.20. *Superaedificati superfundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Hic in struētura Ecclesiæ nullum fundamentum est, præter Christum, Apostolos & Prophetas. At si Reges ad illam structuram pertinerent, & quidem magis, quam Apostoli & Prophetæ, sine dubio dicendum es-
set: *Superaedificati super fundamentū Regum, Apostolorum & Prophetarum.* At Reges omisi sunt: & tamē struētura perfecta est. Terriū est Ephes. 4.11. *Et ipse dedit ques-
dam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios ve-
rō Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consū-
mationem sanctorum in opus ministerij in edificationē cor-
poris Christi.* Hic tria spectanda sunt. 1. Ædificatio Ec-
clesiæ. 2. Opus ministerij. 3. consummatio Sanctorum.
Sensus ergo est: Christus volens suos fideles qui in il-
lum credituri sunt, perducere ad consummationem, id
est, ad sanctitatem & vitam æternam: ædificauit pro-
iis Ecclesiam, & in ea constituit Ministros, qui fidelibus
præsenterent, eosque ad finem suum consequendum, do-
cendo & gubernando iuquarent. Et quos illos? Aposto-
los, Prophetas, Euangelistas, Pastores, Doctores. Nulla
fit Regum mentio.

8. Ex his testimoniis sic cōcludo. In Ecclesia Christi
est legitimus quidam ordo, seu, ut alij vocant, disposi-
tio & Hierarchia, in qua alij prælati, alij subditi sunt:
alij Pastores, alij oues: alij in fundamento, alij supra
fundamentum: alij Doctores, alij Discipuli. Vel ergo
Reges includuntur in hac Hierarchia, tanquam Prima-
tes, vel tanquam subditi. Si hoc posterius, salua res est.
Si illud prius, necesse est, maiori potestate præditos es-
se, quam Apostolos & Episcopos. Nā si vel parē cum il-
lis, vel inferiorē potestatem haberent, non rectē dice-
rētur esse Primates Ecclesiæ. Si ergo maiore habēt, ea si-
ne dubio à Christo ipsis cōcessa est. At ubi & quib. ver-

bis? Aut ubi Apostoli in suis scriptis & actis illius potestatis à Christo concessæ meminerunt? In testimonio nihil inuenio. Omnes silent de Regibus: loquuntur de Apostolis. Solus Rex Anglie cum suo Sacellano, dicit rem ita habere *An à vobis, inquit Apostolus, verbum Dei processit? aut in vos sólos peruenit?* 1. Cor. 14.36.

9. Veniad praxin Ecclesiæ, quæ tempore Apostolorum seruata est. Ea, sine dubio, fallere non potest. Quis ergo tunc Ecclesiam gubernauit? Apostoli (Act. 26.28.) Quis primam Synodum, quæ Hierosolymis celebrata est, indixit? Apostoli: (Act. 15.6.) Quis huic Synodo cum autoritate præsedit? Apostoli. Quis sententiam dixit? Apostoli. Quis legem de abstinentia ab immolatis simulachrorum, & sanguine & suffocato fanciuit? Apostoli. Quis Corinthium incestuosum excommunicauit? Paulus Apostolus (Corinth. 5.3.) Quis accusationem aduersus presbyteros tanquam legitimus Iudex admisit? Timotheus Episcopus (1. Timoth. 5.19.) Quis Ananiam & Saphitam in causa Ecclesiastica puniuit? Petrus Apostolus (Act. 5.3.) Nullæ hic partes Regum; nullum vestigium.

10. Dicit forte Rex, eo tempore nullos fuisse Reges Christianos, qui Ecclesiam gubernare, & hæc officia præstare potuissent. Rectè quidem. Sed nec erant Apostoli aut Episcopi Christiani, antequam Christus eos vocaret, & designaret. Sicut ergo nouos Apostulos & Episcopos in noua Ecclesia instituit: cur non etiā nouos Reges, qui Ecclesiæ præsenterent? Et sicut Paulum Ecclesiæ persecutorem, subito in vas electionis immutauit: cur non simili modo egit cum Tiberio Imperatore, vel Herode Rege?

II. Hinc iam sumo nouum argumentum ex circumstantiis in hunc modum: Si Christus voluit Reges esse Primates Ecclesiæ & supra Apostolos & Episcopos

scopos iurisdictionē exercere: cur nō statim ab initio, sicut certos Apostolos elegit, sic etiā certos Reges designauit, qui Ecclesiæ præsiderent? Cur nō statim sicut Apostolos instruxit, quo pacto prædicarent Euangeliū, administrarent sacramēta, & Ecclesiam propagarent: sic etiam Reges edocuit, qua ratione Apostolis, & Doctoribus in regimine Ecclesiastico præsulēt, Synodos conuocatent, controuersias ditimerent, contumaces excōmunicatent? Cur denique sicut Apostolis præter priuatam instructionem, promisit Spiritū sanctum, cuius instinctu cætera omnia cognoscerent, quæ ad ipsorum ministerium pertinebant: Sic non etiam Regibus promisit eundem Spiritum, qui eos in suo officio perfectius omnia edoceret? Nihil horum factum.

12. Concludo, Reges ex institutione Christi non habere Primatum Ecclesiæ; quia nec verba Christi, nec testimonia Apostolorum, nec praxis primæ Ecclesiæ, nec circumstantiæ rerum, vlla ratione id significant. Omnia Apostolis & eorum successoribus patrocinantur. De illis dictum est Act. 20. 28. *Spiritus sanctus posuit vos regere Ecclesiam Dei.* Et 1. Corinth. 4. 1. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.* Et 2. Corinth. 5. 20. *Pro Christo legatione fungimur.* Et Lucæ 10. 16. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Et plura in eandem sententiam.

Obiectio.

13. Sed multa obiicit Rex Angliae in sua Apologia, his verbis: *Quid in nouo Testamento? Omnis anima iis (Regibus) subiici iubetur, idque propter conscientiā. Orandum quidem & pro omnibus, sed præcipue pro Regibus & in authoritate constitutis, ut sub iis piam ac pacatam, honestamque vitam degamus. Magistratus Dei administer est ad ul-*

ciscendos facinorosos: innocentes autem, atque probos remunerandos. *Omnibus quidem obtemperandum est superioribus potestatibus, sed potissimum principibus, & in eminentia collocatis.* Reddite unicuique quod suum est: timorem, cui timor; amore, cui amor iure debetur. Date Cœsari, quæ Cœsar is sunt, Deo, quæ Dei sunt. Regnum meum non est de hoc mundo. Quis me constituit iudicem super vos? Reges gentium dominantur eorum. Vos autem non sic. Hactenus Rex.

14. Sed facilis solutio. Ac primum, ut generatim dicam, quod res est: Hæc testimonia, partim, ad quæstionem, de qua agitur, non faciunt: partim quatenus à Christo & Apostolis prolatæ sunt, pertinent ad Reges & Imperatores Ethnico s, cuiusmodi erant Tiberius, Caius, Claudius, Nero, & similes. Certum autem est, Christum & Apostolos non voluisse suis testimoniis significare, Reges & Imperatores Ethnico s habere Primatum in Ecclesia. Qui enim sunt extra Ecclesiam, quomodo Primate s sunt in Ecclesia? qui ne quidem membra, quomodo caput? qui hostes Christi, quomodo Vicarij?

15. Speciatim sic respondeo. Illud Rom. 13.1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subditæ sit;* nihil omnino contra nos facit. Habet enim hunc facile & obuium sensum; *Omnis homo, qui sub potestate est, debet obedi re suo superiori in rebus, in quibus superior est.* Quis hoc nescit; Nego autem Reges esse superiores in rebus Ecclesiasticis, ac spiritualibus. Hoc probandum erat. Ex hoc autem loco probari non potest.

16. Illud etiam 1. Timoth. 2.2. *Orādum pro omnibus, sed præcipue pro Regibus, & in autoritate constitutis,* ut sub iis piam aopacatam vitam degamus; partim male citatum, partim male intellectum est. Non enim addit Apostolus illam particulam, *præcipue;* nec illam item, *sub iis;* sed illis relictis, sic habet. Obsecro igitur primū omnium fieri obsecra

obsecrations, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Hinc sanè non efficitur, Reges habere Primatum in Ecclesia. Nec Apostolus eo loco præfert Reges aliis hominibus, sed æqualiter de omnibus loquitur, ut patet ex sequentibus, ubi rationem reddit, cur pro omnibus orandum sit, quia, inquit, *hoc acceptum est coram Saluatore nostro Deo, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* At Deus æquè vult omnes saluos fieri. Et Christus æquè pro omnibus semetipsum tradidit. An Rex Angliæ putat, pro se magis, quam pro Apostolis & Episcopis, mortuum esse Christum? aut Deum magis velle, ut Rex saluus fiat, quam eius Sacellanus? Non ita est. Addo D. Paulum ibi loqui de Regibus gentilibus, qui ad agnitionem veritatis nondum venerant. Vult enim orationes fieri pro illis, ut conuertantur, & salui fiant. At quæ hæc consequentia est; *Orandum est pro Regibus ethnicis, ut ad fidem Christi conuertantur: Ergo Reges ethnicæ Primatum tenent in Ecclesia Christi?* Planè absurdum est.

17. Illud vero, Rom. 13. 4. *Magistratus Dei minister est ad uincendos facinorosos: vel ut vulgata lectio habet: Dei minister est vindicta in iram ei, qui malum agit: nihil ad rem facit.* Fatemur, Reges portare gladium, & habere potestatem puniendi peccata subditorū: & in ea re iustitiae diuinæ ministros esse. At negamus hanc potestatē extendi ad causas & tribunal Ecclesiasticum. In hoc tribunali præsideret Apostoli & Episcopi. Illi, ut ostensum est, conuocant synodos; sententiam dicunt; litem dirimunt; nouas constitutiones sanciunt;

contumaces excommunicant, & similes Ecclesiastice iurisdictionis actus ex officio exercent. Reges procul sunt ab hoc tribunal.

18. Eiusdem momenti est illud; *Omnibus quidem obtemperandum est superioribus, sed potissimum Principibus, & in eminentia constitutis.* Omnino sic res habet. Sed addendum est, alios esse superiores in temporalibus; alios in Ecclesiasticis. In utroque genere reperiri Principes, quibus obtemperandum sit. In hoc quidem Pontifices: in illo autem Reges. Igitur Pontificibus potissimum obtemperandum esse in rebus Ecclesiasticis; Regibus vero in politicis. *Quis hoc neget?*

19. Porro ex illo Roman. 13.7. *Reddite unicuique, quod suum est: timorem, cui timor: & amorem, cui amor iure debetur:* non video; quomodo Primatus Regum in Ecclesia stabiliri possit. Non magis, quam si dicam; Reddite parentibus amorem & timorem, qui illis iure debetur: Ergo parentes sunt Primate Ecclesiae. Cur non sic potius; Reddite Pontifici timorem & amorem, qui illi iure debetur: Ergo Pontifex est Primas Ecclesiae?

20. Iam illud, Matth. 21.22. *Reddite que sunt Cæsari: quæ sunt Dei, Deo;* Omnino extra scopum est, ut ex Euangelio constat. Querebant Iudei a Christo, an tenerentur Cæsari Romano, qui tunc gentilis erat, tributum dare, necne? Christus inspecto numismate, in quo Cæsaris effigies erat impressa, respondit: *Date Cæsari, quæ Cæsaris sunt: id est, date illi tributum, quod ei debetur.* An hinc sequitur, Cæsarem gentilem eo tempore habuisse Primate Ecclesiae Christi in Imperio Romano? aut Christum voluisse dicere, obediendum esse gentili Cæsari in rebus ad Ecclesiam pertinentibus? Nihil minus. Nisi quis puret hanc collectionem esse legitimam; Christiani in Turcia habitantes debent Imperatori Turcarum pendere tributum,

tum, quod iure exigit. Ergo debent illum agnoscere Primate in rebus Ecclesiasticis. Hoc Angli, qui in Turcia sunt, non concesserint.

21. Multò minus ad causam facit illud, Ioan. 18. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo. Quid enim? An quia Christus, secundum humanitatem, non est Rex temporalis, sed spiritualis; ideò Reges temporales habent Primatū in spiritualibus?* Contrarium potius colligendum erat hoc modo; Regnum temporale distinctum est à spirituali: sicut ergo Christus & Apostoli administrant spiritale; ita Reges & Imperatores tempore. Itēmque, sicut Christus, qua Rex spiritualis, non vult se immiscere regno temporali: ita Iacobus qua Rex temporalis est, non debet se immiscere regno spirituali.

22. Eodem spectat illud Lucæ 12. 14. *Quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?* Ex quo, si aliquid concludi debet ad rem, sic debet: Christus non est constitutus aliorum Iudex in controversiis temporalibus, qualis est de diuidenda inter fratres hæreditate. Ergo Rex Angliæ est constitutus Iudex in spiritualibus. At quæ hæc illatio est? Iam ante dixi, sic potius inferendum, Christus in causa temporali dixit; *Quis me constituit Iudicem super vos?* Ergo similiter Rex Angliæ in causa spirituali debet dicere; *Quis me constituit Iudicem super vos?*

23. Denique illud Lucæ 22. 25. *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic; quid prodest ad Primum, de quo agimus: Nihil sanè. Sensus est: Reges gentiles solent esse ambitiosi, & multa per tyrannidem facere, ac suis potius, quam subditorum commodis studere. Vos autem (mei Apostoli) nolite eos imitari, sed cum modestia & fraterna dilectione Ecclesiam administrare, sicut & ego facio.* Eodem sensu ac spiritu dixit Petrus in priori epistola Canonica, cap. 5. 3.

Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes non coacte, sed spontaneè secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Hinc iam inferat Rex Angliæ, Apostoli non debent esse ambitiosi & crudeles, sicut Reges ethnici: Ergo Rex Angliæ tenet Primatum Ecclesiæ. *Quid absurdius?* Sic potius; Christiani non debent esse ambitiosi, more gentilium: Ergo Rex Angliæ, cum Christianus sit, nō debet ambire Primatum Ecclesiæ, quem multis iam sæculis Pontifex Romanus legitimè & quietè usurpauit.

24. Ex dictis duo colliguntur. Vnum est, nos ex nostro Testamento, variis testimoniiis & argumentis perspicue demonstrasse, Reges sæculares non habere Primatum & supremam iurisdictionem in Ecclesia Christi. Alterum, nullum testimonium à Rege, vel Sacellano allatum esse, quod nō potius contra, quam pro ipso faciat. Nunc ad ius canonicum & ciuile transeamus.

C A P V T I V.

*An Rex iure ciuili vel canonico habeat
Primatum Ecclesiæ?*

I. **N**eutor sanè. De canonico, res clara est. Multi extant Canones in contrarium. Ex iis paucos accipe, *Primus est Nazianzeni ad Imperatores Constantinopolitanos, apud Gratianum dist. 10. canon. 7. Libenter accipitis, quod lex Christi sacerdotali vos subiicit potestati, atque istis tribunalibus subdit.* Dedit enim & nobis potestatem: dedit & principatum multò perfectiorem principatibus vestris. Ex hoc canone tria habemus, 1. quod principatus Episcoporum sit multò perfectior, quam Regum. 2. quod Reges in rebus Ecclesiasticis,

siasticis, subiecti sint Episcopis. 3. quod haec subiectio a Christo sit ordinata. Quid clarius?

2. Secundus est Adriani Papæ, d. 63. cap. 1. Nullus laicorum Principum se inserat electioni aut promotioni Patriarchæ, Metropolitæ, aut cuiuslibet Episcopi; ne videlicet inordinata & incongrua fiat electio, vel confusio, vel contentio: præserim cum nullam in talibus potestatem quenquam potestatiuorum, vel cæterorum laicorum habere conueniat. Ex hoc canone etiam tria discimus. 1. Quod nullus Princeps sæcularis (qualis est Rex Angliæ) debeat se inserere promotioni aut electioni Episcoporum. Quātò minus debet præesse & præsidere? 2. quod talis electio, cui se inserit Princeps sæcularis, sit inordinata, & confusa. 3. Quod in similibus causis Ecclesiasticis nullam potestatem habeat Princeps sæcularis. Multò minus Primatum.

3. Tertius est, ex 6. Synodo act. 2. distinction. 63. can. 7. Omnis electio Episcopi a Principibus facta, irrita maneat, secundum Regulam, quæ dicit: Si quis Episcopus, sæcularibus potestatibus usus, Ecclesias per ipsos obtinuerit, deponatur: & segregetur ab Ecclesia omnes, qui illi communiciant. Sanè secundum hunc canonem, omnes Episcoporum electiones irritæ sūt in Anglia, quotquot a Rege factæ sunt. Vbi ergo Primatus Regis in causis Ecclesiasticis?

4. Quartus est Gregorij ad Hermannum Episcopum Merensem, d. 96. can. 9. Quis dubitet Sacerdotes Christi, Regum & Principum omnium fidelium Patres & Magistros censeri? Nonne miserabilis insanæ esse cognoscitur, si filius patræ, discipulus magistrum sibi conetur subiungare, & iniquis obligationibus illum suæ potestati subiucere, a quo credit, non solù in terra, sed etiam in cœlis se ligari posse & solui? Omnipotens sic res habet. Miserabilis insania est, Reges sæculares usurpare sibi Primatum in Ecclesia, & subiungare sibi Episcopos, quorum filii & discipuli esse debent.

5. Quintus

5. Quintus est Gelasij Papæ ad Anastasium Imperatorem, dist. 96. can. 10. Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur, authoritas sacra Pontificum, & regalis potestas. In quibus tanto grauius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus in diuino sunt reddituri examine rationem. Et infra: Nostri itaque ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi posse voluntatem. Facto qui possunt; iure non possunt.

6. Sextus est Ioannis Papæ dist. 96. can. 11. Si Imperator Catholicus est, filius est, non Praesul Ecclesiae. Quod ad religionem competit, discere ei conuenit non docere. Et paulò post: Ad Sacerdotes enim Deus voluit, quæ Ecclesia disponenda sunt, pertinere, non ad seculi potestates: quas, si fideles sunt, Ecclesia sua Sacerdotibus voluit esse subiectas. Et infra: Imperatores Christiani subdere debent executiones suas Ecclesiasticis Praesulibus, non preferre. Igitur, si Rex Angliae Catholicus est, filius est, non Praesul Ecclesiae. Si fidelis est; Ecclesia Sacerdotibus subiectus est. Si Christianus est; debet se subdere Episcopis, non preferre.

7. Septimus est Marcelli Papæ, 11. quæst. 1. can. 5. Clericum cuiuslibet ordinis, absque Pontificis sui permisso, nullus presumat ad secularem Iudicem trahere. Nec laico quenquam clericum liceat accusare. Nimirum clerici pertinent ad tribunal Ecclesiasticum, non ad politicum sive ciuale. Vnde rectè Valentinianus, Theodosius, & Arcadius Imperatores; Continua lege sancimus, ut nullus Episcoporum, vel eorum, qui Ecclesia seruiunt, ad iudicia indicum protrahatur. Habent enim illi suos indices.

8. Octauus est Greg. ad Mauritium Imperatorem 11. q. 1. can. 40. In diuinis eloquiis Sacerdotes aliquando Di, aliquando Angeli vocantur. Et paulò post; Quid igitur mirum, si illos vestra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos Angelos aut Deos ipse etiam appellat Deus? Vide quæ supra dicta sunt cap. 2. num. 53. & 57.

9. Nonus

9. Nonus est Innocentij III. in Decretalibus, de maioritate & obedientia, can. 6. *Non negamus, quin præcellat Imperator in temporalibus, illos duntaxat, qui ab illo accipiunt temporalia: sed Pontifex in spiritualibus excellit, quæ tanto sunt temporalibus digniora, quanto anima præfertur corpori.* Et infra; *Nosse debueras, quod fecit Deus duo luminaria magna in firmamento cœli: luminare maius, ut præcesset diei, & luminare minus, ut præcesset nocti. Virumque magnum, sed alterum maius.* Ad firmamentum igitur cœli, hoc est, uniuersalis Ecclesie, fecit Deus duo magna lumina-ria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt. Pontificalis au- thoritas, & Regalis potestas. Sed illa, quæ præcessit diebus, id est, spiritualibus, maiore est: quæ vero carnalibus, minor: ut quan- ta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Re- ges differentia cognoscatur.

10. Sufficiant hi pauci Canones. Nam plures ci- tare fortasse superuacaneum est: præsertim cum proba- bile sit, Regem Angliae non tanti eos facere, ut eorum iudicio stare velit. Quanquam immerito. Omnes enim Cathedræ Academicæ in Anglia, in quibus Iuris vtri- usque Doctores antiquo ritu legitimè promouentur, non minorem iuris Canonici, quam ciuilis authorita- tem esse, luculento testimonio sunt.

11. Ex iure ciuili occurrit illud Iustiniani Impera- toris, in Authentica constitut. 123. *Si Ecclesiasticum ne- gotium sit, nullam communionem habento ciuiles magistra- tus cum ea disceptatione, sed religiosissimi Episcopi secundū sacros Canones finem imponunto.* Præclara constitutio. Decernit Imperator politicos & sæculares Principes non debere adesse, multo minus præsidere in negotijs & disceptationibus Ecclesiasticis. Quare? quia vult in ea re seruari sacros Canones, quibus cautu est, ut Epi- scopi, non autem Principes, tractent controuersias ad Ecclesiam pertinentes. Si Rex Anglæ ea mente esset,

qua

qua hic Imperator fuit, sine dubio, Primum Ecclesiae Episcopis relinquenter, non sibi arrogaret. Plura in hanc sententiam vide in sequenti cap.

C A P. V.

*An Rex consensu doctorum hominum habeat
Primum Ecclesiae.*

1. **E**xcepto Sacellano, & quibusdam alijs adulatoriis, reclamant omnes cordati & docti viri: Episcopi, Pontifex, Reges, Imperatores, alij. Seligam paucos, ne molestus sim; & incipiam à primitua Ecclesia.

2. Sanctus Ignatius, Ioannis Euangelistæ discipulus, in Epistola ad Philadelphenses, sic habet. *Principes subditi estote Cæsari, milites Principibus, Diaconi Presbyteris, Presbyteri vero & Diaconi, atque omnis clerus simul cum omni populo & militibus, atque Principibus, sed & Cæsar obediatur Episcopo: Episcopus vero Christo, sicut Patri Christus: & ita unitas per omnia seruetur. Vox digna viro Apostolico. Omnes, inquit, obedient Episcopo, Etiamne Cæsar? Omnidè. Quidni & Rex?*

3. Hosius Cordubensis Episcopus, qui interfuit primo Concilio Nicæno, Constantinum Imperatorem sic affatus est; *Desine quæso Imperator, ne te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea à nobis disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit. Et quemadmodum, qui tuum Imperium malignis oculis carpit contradicit ordinationi diuinæ, ita & tu caue, ne quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahēs magno crimini obnoxius fias.* Refert hęc verba Athanasius in epistola ad solitariam vitam agentes.

4. S. Ambrosius epist. 33. ad Marcellinam sororem suam scribit se Valentiniano Imperatori dixisse;